

AVAUNCEZ LENTEMENT



A. *Bina tigna sesquipedalia intervallo pedum duorum inter se juncta*

B. *Alia bina ad eundem modum & eodem intervallo juncta ac ex adverso defixa*

C. *Trabes bipedales immissae*

D. *Binae fibulae*

E. *Directa materia supra quam sternebantur crates & similia*

F. *Sublicae oblique contra vim & impetum fluminis operi adjunctae*

G. *Defensores pontis*

H. *Simplex unum tignum eorum quae erant sesquipedalia*

I. *Trabium bipedalium per se nuda figura*

K. *Bina sesquipedalia tigna inter se juncta seorsum oculis subjiciuntur*

L. *Fibulae quibus distinebantur*

M. *Unius fibulae simplex figura*

N. *Crates.* O. *Longurii*

P. *Fistuca sive machinatio qua tigna adacta*

Edin. Published by Mundell, Doig & Stevenson October 1806.

C. JULII CÆSARIS

QUÆ EXTANT.

INTERPRETATIONE ET NOTIS

ILLUSTRAVIT

JOHANNES GODVINUS,

PROFESSOR REGIUS.

IN USUM

DELPHINI.

JUXTA EDITIONEM PARISIENSEM.

EDITIO DECIMATERTIA,

PRIORIBUS LONGE ACCURATIOR.

EDINBURGI:
E Proelo Academico.
VENEUNT APUD MUNDELL, DOIG, ET STEVENSON.
1806.

PRÆFATIO.

QUICUNQUE Romanorum ſuam memoriam litteris æternam facere ſuſcepit, intelligi ſua ſcripta poſteris omnibus aut pleriſque voluit, non quaſi ænigmata ſapientiſſimo cuique eſſe cognita, vulgo autem incognita neſciri. Septentrionalium nationum Romano ſe poſtmodum imperio ſuperfundentium et latinitatem ſuâ barbarie fœdantium concurſu, factum eſt ut veterum Autorum monumenta tanquam cæcâ nube inducta jam agnoſci deſierint. Cum enim non magis Romanorum potentiam illi Gothi, Franci, Vandali, quam ſermonem immixtâ ſuâ linguâ profligâſſent, et Gothice, Francice, Vandalice Romanum imperium incolentibus loquendum fuiſſet, novæ linguæ victoris populi uſus, deſuetudinem veteris importavit, deſuetudo ignorationem. ignoratio diſcendi neceſſitatem fecit. Inde tot extiterunt Commentarii, qui novas veterum ſcriptorum tenebras diſcuterent. Sed Commentariorum Autores partim non ſatis perviderunt, quæ intus quaſi ſub denſâ caligine latebant, unde errandi aborta neceſſitas, partim (quod ferè ſcribentibus eſt propoſitum) magis ſuæ famæ conſuluerunt, dum docti videri volunt, quam publicæ utilitati, quæ tota in obſcurorum locorum illuſtratione fuerat poſita. Itaque tot Commentarii nati pleni rerum alienarum à re propoſita, vacui propriarum et ad locorum cognitionem facientium, qui adeo magnam in molem excreverunt, nec illâ mole lectoribus profuerunt, ſed potius obfuerunt, dum tempus breve et irreparabile quod ſingulis eſt, et bonis in Autoribus antiquis legendis ponendum fuerat, in novatorum aſſutis ad vetera monumenta laciniis evolvendis infelici ſucceſſu male teritur. Cui malo occurrere in gratiam nobiliſſimi ſui alumni aggreſſus præclarus Carolus de Sancta Maura Dux Montauſerius, Ludovici Delphini nutritius, brevem interpretationem curavit fieri locorum, quorum aut voces obſcuræ eſſent aut contextus, et earum rerum annotationem, quæ illuſtrarent partes vel rerum geſtarum vetuſtate, vel horum morum ab antiquis diſſimilitudine ignotas vel dubias. In hoc Autore interpretationem minus poſitum eſt, quia in eo, quod de Ariſtotele dicit Cicero, flumen orationis aureum, notarum

certe plus, quia rerum in multis nonnulla eſt obſcuritas. Hoc ſi præſtitimus, quod et noſtrum conſilium fuit et præſtantiſſimi Ducis Montauſerii, eſt quod illi debeas, quod te ejus fructus voluerit eſſe participem, quem Sereniſſimi Principis proprium eſſe oportuerat; ratus Principes in bonum publicum natos ſua omnia commoda in id liberaliter conferre debere, quæ etiam illorum propria et velut domeſtica videntur. Non parum etiam debes Sereniſſimi Delphini Præceptori digniſſimo Jacobo Benigno Boſſuetio Condomenſi quondam Epiſcopo, qui in excolendo tanti diſcipuli ingenio diligentem operam ſedulus impendit: nec parum etiam omni eruditionis genere clariſſimo Petro Danieli Huetio, qui huic ſuccenturiatus, nos in hoc opere verſatos ſuâ ſapientiâ rexit; face prætenta iter oſtendit, errantes aliquando, ut fit, in viam reduxit; cui, quidquid hic eſt optimum, acceptum referimus; ſi quid enim minus bonum, hoc totum noſtrum eſſe fateor. Sed, Candide Lector, Optimo Regi Ludovico xiv, Ludovici Sereniſſimi Delphini parenti benè precare, qui nos honeſtis propoſitis præmiis ad hoc quantumcunque eſt opus peragendum excitavit, et omnibus artibus Gallorum ſuorum poſteris Regem providet quam ſapientiſſimum, quam eruditiſſimum, quam maximum, ſe denique quam digniſſimum, et hâc providentiâ filios et nepotes noſtros, ut nos præſente beat regimine, de quo quàm de quoquam nunquam verius dictum:

Et ſpes et ratio ſtudiorum in Cæſare tantum,
Solus enim triſtes hâc tempeſtate Camœnas
Reſpexit. JUVENAL. SATYR. 7.

Id imprimis volui, Candide Lector, neſcius ne eſſes. Tum de Autore etiam horum Commentariorum velim te fieri certiorem.

Suetonius libro de vitâ Cæſaris, cap. 56. Plinius Epist. 18. Strabo lib. iv. Plutarchus in Cæſare, ſed et Cicero et Hirtius ſcripſerunt Cæſarem reliquiſſe rerum ſuarum Commentarios. Quod et Syllam feciſſe et Cæſaris ſucceſſorum Auguſtum memoriæ prodidit Plutarchus. Commentarios autem quia ſibi quiſque ſcribit, non populo aut poſteris, negligentiùs ſcribit. Hinc eſt quod non uſquequaque adeo perfecti ſunt, ut nihil deſideretur. Adde quod eſt ab Hirtio in præfatione, lib. viii. commemoratum, facile et celeriter eos confeciſſe, in ipſis expeditionibus nempe et ſingulis diebus, ut fiunt ephemerides, quo nomine donantur à Plutarcho, quaſi dicas diaria, nec illi recognoſcere poſtea vacaviſſe properantius editos, ut patet cum

ex multis, tum quòd in laudibus T. Labieni ibidem immodicus, quas postea in libris de bello Civili inimicus factus more suo supprimit aut extenuat. Hos commentarios, quia paulo minus diligenter conscripti videntur, abjudicant Cæsari quidam, ut Franciscus Floridus Sabinus et Ludovicus Cario, et de horum librorum Autore scrupulum nobis injiciunt, quorum alter libros tres de bello Civili Cæsaris esse negat, alter Commentarios de bello Gallico Julio Celso cuidam ascribendos putat. Imo et Lipsius nonnihil dubitat, styli, ut videtur, invenustate permotus, simul et autoritate virorum aliquot doctorum, ut erat captus eorum qui ante ducentos et amplius annos vivebant, nempe Joannis Salisberiensis, Vincentii autores speculi, Roderici Sanctii et Margaritæ cujusdam Poëticæ, quæ farrago est sententiarum ex Poëtis aliisque collectarum, à quibus quædam de Cæsare referuntur tanquam Julii Celsi autoris. Verum hunc scrupulum eximit Gerardus Joannes Vossius, qui Celsi Commentarios δὶς διὰ πασῶν differre à Commentariis Cæsaris prodit, *ut sciunt*, inquit, *si qui cum Cæsare contulerint editionem Celsi anni* MCCCCLXXIII. cujus nullam à Gesnero aut Simlero mentionem factam miratur, cujus et particulam esse scribit fragmentum illud Petavianum, à quibusdam Petrarchæ assignatum de bello Hispaniensi, quod nos in hac editione libro de bello Hispaniensi subdidimus. Addit : *Interim fatemur Celsum non tantum Cæsaris gesta conscripsisse, sed et Commentarios Cæsaris sive recensuisse sive corrupisse. Certe in MS. meo Cæsare Hirtioque ter Julius Constantinus U. C. legitur.* Ego vero fateor me ejusmodi Celsi editionem an. MCCCCLXXIII factam, quamvis sedulo in celeberrimis Bibliothecis perquisitam non invenisse ; me tamen præter autoritatem doctissimi viri, quæ merito magni ab omnibus facienda est, in eam opinionem adduci venustate styli, ut credam hos, quos in manibus habemus, genuinos esse Cæsaris Commentarios, de quibus tum Cicero, tum Hirtius tam luculenta edunt testimonia. Nihil enim illis tersius, nihil mundius, nihil Latinum magis, ut, si nulli fuisset etiam paginæ præscriptum Cæsaris non esset, tamen a Latinæ linguæ scientibus illos Cæsaris esse nullatenus dubitari posset. In errorem homines induxerunt MSS quidam tituli, quos indicare non pigebit, ut ferat eruditus ipse Lector judicium. MS. reg. cod. cujus prima pagina Claudii Puteani ipsa, ut videtur ipsius manu inscripta est nomine, hunc habet titulum rubris litteris adscriptum, *Julii Cæsaris Commentariorum belli Gallici liber primus incipit, Julius Celsus Constan-*

tinus vir clarissimus emendavit. Alter MS. R. codex, qui libros tantum de bello Gallico habet ſeptem, ſic in fine habet eâdem rubricâ ſcriptum, *Julius Celsus Constantinus U. C. legi Commentarios C. Julii Cæsaris belli Gallici, lib.* VII. *explic. Abhinc Hirtii Pansæ incip. Præfatio libri.* Et poſt librum VIII. iiſdem rubris litteris ſcriptum legitur, *Julius Celsus Constantinus U. C. legi tantum feliciter. C. Julii Pontificis maximi Ephemeris rerum gestarum belli Gallici, liber* VIII. *explicit feliciter.* MS. codex Thuanus ſic habet in margine libri II. de bello Gallico, in principio, *Julius Celsus Constantinus U. C. legi. Caii Cæsaris Commentarios feliciter;* in margine vero libri III. de bello Gallico ſic eſt ſcriptum, in principio, *Julius Celsus Constantinus U. C. lege. Flavius Licerius Firminus Lupicinus legi, libri Belli Gallici liber* II. *explicit, incipit liber* III. His et talibus titulis, qui paſſim extant in MSS. Cod. in dubium et in errorem ſimul conjecti ſunt, quicunque de horum librorum autore dubitarunt, et Celſo quam Cæſari adjudicare maluerunt; cum tamen non magis eſſe Celſi, quam illius Flavii Licerii Firmini Lupicini, quiſquis ille fuerit, judicare debuiſſent. Eodem fato damnatus est elegans ille liber Cornelii Nepotis de vita excellentium Imperatorum, qui Aemilio Probo exſcriptori potius quam Autori ab imperitis adſcriptus est, cum Probos Theodoſii ætate, qua bona Latinitas exoleverat, Cornelius Nepos Ciceronis ætate vixerit. Ita Probo coævum hunc Julium Celſum Constantinum, qui in quodam Levini Torrentii MS. Constantinopolitanus eſſe ſcribitur, fuiſſe credo; et ejuſmodi clariſſimorum Virorum lectiones testimonium libris adſcribi ſolitum, ut fides lectoribus fieret, non mendoſum eſſe codicem qui à tanto viro fuiſſe perlectus. Quod ideo fiebat, quia Librarii ignari erant, et quia ignari, ideo mendoſi nullaque fide digni, quorum Scriptioni, niſi magni et docti viri tanquam tabellionis officio functi, nulla acceſſiſſet autoritas, nullo in pretio fuiſſet codex futurus. Ita ſuperiore ſæculo cum inventa fuiſſet ars Typographica, doctiſſimis viris fuit commiſſa, ut Judoco Badio Aſcenſio, Stephanis atque etiam Profeſſoribus Regiis quibuſdam, ut Adriano Turnebo et Frederico Morello, qui viciſſim illis artibus Clariſſimi viri nomini ſuo æternitatem parabant. Ac certe Typographorum nomina in futura ſæcula ſua arte propagari experimur, cum interim principum in Republ. virorum nomina cum ipſorum vita nulla eorum ſuperſtite memoria, ſæpe tollantur.

C. JULII CÆSARIS

[1] COMMENTARIORUM

DE BELLO GALLICO,

LIBER I.

ARGUMENTUM LIBRI PRIMI.

Cæsar bella quæ in Gallia gessit narraturus, hoc primùm libro Galliam describit, duo secunda adversus Helvetios prælia commemorat, et unum adversus Germanos.

[2] GALLIA [3] est omnis divisa in partes tres: quarum unam incolunt

In C. Julii Cæsaris *rerum à se gestarum* Commentarios Interpretationes *et* Notæ.

1 COMMENTARIUS, quem ſibi quiſque ſcribit, non populo. Plutarchus commentarios ἐφημερίδας appellat, Strabo ὑπομνήματα, et melius quidem. Sic enim Cicero ſui Conſulatûs Commentarium paulo poſt ὑπόμνημα dicit. Poſtea verò invaluit, ut quivis liber Commentarius diceretur, quaſi ab initio ad id eſſent libri comparati, ut domi ſervarentur, nec in vulgus ederentur.

2 Gallia quidem à Cæſare fuit perdomita, ut his Commentariis expoſitum eſt, ſed ſuperioribus temporibus à Romanis non tentata modò, ſed delibata fuerat. M. Plautio Hypſæo et M. Fulvio Coſſ. anno ab urbe conditâ DCXXIX primum à Romanis trans Alpes dimicatum fuerat. Autores belli Salyes, cùm de incurſionibus eorum fidiſſima atque amiciſſima civitas Maſſilia quereretur. Allobroges deinde et Arverni bello tentati, cùm adverſus eos ſimiles Æduorum querelæ opem et auxilium Romanorum flagitarent, imo et domiti. Ejuſmodi bellum à principe populo Allobrogicum eſt dictum, et annorum quatuor ſpatio fuit confectum. Quam varii fuerint ejus belli eventus, teſtatur Velleius Paterculus his verbis: *Gallias, primum Domitio et Fabio nepoti Pauli, qui Allobrogicus appellatus eſt intratas cum exercitu, magnâ mox clade noſtrâ, ſæpè et affectavimus et amiſimus. C. Pontinius Allobroges iterum tumultuantes compeſcuit, deque iis triumphavit paulo ante bellum hoc, quod eſt à Cæſare geſtum.* Hæc breviter recenſet Ammianus Marcellinus lib. xv. *Hæ regiones præcipuè quæ confines Italicis, paulatim levius cedêre ſub imperium venire Romanum: primo tentatæ per Fulvium, deinde præliis parvis quaſſatæ per Sextium, ad ultimum per Fabium Maximum domitæ: cui negotii plenus effectus, aſperiore Allobrogum gente devictâ, hoc incidit cognomentum.* Tandem hanc provinciam C. Julius Cæſar cum exercitu intravit, Lucio Piſone et Aulo Gabinio Coſſ. quod bellum IX annis geſtum hic ipſe deſcribit.

3 *Eſt omnis diviſa in partes tres.*] Hæc diviſio à Cæſare inſtituta non totam Galliam Tranſalpinam complectitur, quæ quinque velut metis finitur, Rheno, Alpibus, mari Mediterraneo, Pyrenæis montibus, et oceano, ſed eam ſolùm partem comprehendit, quæ fuit ab ipſo

[1] Belgæ, aliam [2] Aquitani, tertiam qui ipsorum linguâ [3] Celtæ, nostrâ

NOTÆ.

armis domita, et excludit provinciam Gallicam quæ pridem adjuncta Romanorum imperio, àGenevâ ad Pyrenæos montes pertinebat. Imò et ante Cæsarem alia fuit ejus partitio, cùm, nondum accisis finibus, longiùs latiùsque patens Gallia aliter à Romanis dividebatur. Galli enim, quia hominum copiâ laborantes, superatisAlpibus mediam prope Italiam occupaverant; duplicem statuerant Romani Galliam, Cisalpinam, seu Citeriorem, cui se Galli circa tempora Tarquinii Prisci superfuderant et Transalpinam seu Ulteriorem, è qua in Citeriorem commigraverant. Hanc Braccatam à braccis, quibus utebantur illi populi; illam Togatam à togis, quarum ibidem vigebat usus, appellabant. Hæc verò quæ dividitur à Cæsare in partes tres, Comata dicebatur. Post Julium autem Cæsarem Augustus rerum potitus aliam dividendæ Galliæ rationem iniit. Aquitaniam à Pyrenæis montibus ad Ligerim flumen promovit, Celtis Helvetios et Sequanos ademit, Belgis attribuit, Celtarum regionem Lugdunensem, à Lugduno Romanorum Coloniâ appellavit; tribus illis partibus Narbonensem, quæ Romanorum antiquitùs erat provincia, addidit. Unde quadripartita extitit ejus tempore divisio. Postea Celtica, sive alio nomine Lugdunensis in duas divisa est; quo ab Imperatore nescitur; non certè ab ullo qui Severum antecesserit. Nam apud Spartianum legimus eum Lugdunensem provinciam Legatum accepisse. Certè Rufus Festus in breviario rerum gestarum P. R. quod Valentiniano et Valenti Imperatoribus scripsit, provincias Lugdunenses duas enumerat. Item ejus æqualis Ammian. Marcellinus *Lugdunensem primam in quâ Lugdunus et Senones*, *Lugdunensem secundam in quâ Rotomagus et Turoni*, commemorat. Tandem eadem Celtica sive Lugdunensis, quæ bifariam fuerat ante partita, in partes quatuor est divisa. Quæ ultima divisio cum plerisque Galliarum et Imperii Romani notitiis continetur; tum ea maximè provinciarum et civitatum Galliæ, quæ est ab Honorii principatu condita, et à Sirmondo Chesnioque vulgata, et sic habet: *In provinciis Gallicanis provincia Lugdunensis prima*, *provincia Lugdunensis secunda*, *provincia Lugdunensis tertia*, *provincia Lugdunensis Senonia*, *aliàs Lugdunensis quarta*: *provincia Belgica prima*, *provincia Belgica secunda*, *in quâ est transitus in Britanniam*; *provincia Germania prima*, *provincia Germania secunda*, *provincia maxima Sequanorum*, *provincia Alpium Grajarum et Seninarum*. *Item in provinciis septem provincia Viennensis*, *provincia Aquitanica prima*, *provincia Aquitanica secunda*, *provincia Novempopulana*, *provincia Narbonensis prima*, *provincia Narbonensis secunda*, *provincia Alpium maritimarum*. *In provinciis septemdecim civitates* CXIV, *castra* vi *aut* vii. Quibus porro temporibus hæc sit facta divisio, perincertum est. Non videtur esse facta à Theodosio, qui iv tantum mensibus Occidentis et Galliarum regimen obtinuit: non ab Honorio, cui non licuit id dividere, quod ab Alanis, Gothis, Suevis, Vandalis, et Francis vastabatur; fortasse à Valentiniano profecta est. Quarum divisionum aliqua vestigia hactenus in Diocœseôn Ecclesiasticarum distributione retinentur, earum scilicet quæ non sunt à recentioribusPontificibusRomanis constitutæ. Plures tamen circa Cæsaris tempora gentes ab aliis autoribus numerantur, Tacitus lib. iii. Annal. quatuor ex sexaginta Galliarum civitates, i. e. gentes enumerat; Strabo sexaginta, sed forte exciderit quaternarius numerus. Appianus in Celtico plures item commemorat, nempe gentes cccc. urbes vero supra DCCC. Josephus verò lib. ii. de bello Judaico, c. 16. Gallicas gentes numerat 315. Nempe alii majores tantùm, alii minores etiam numerant, quæ magis proprio nomine pagi appellantur.

1 *Belgæ.*] Horum populi fuêre sedecim tempore Cæsaris, qui secundo horum Commentariorum commemorantur. Sed ut est in Africâ pars quædam Africa, propriè dicta, in quâ erat Carthago; sic Belgium à nostro Cæsare dicitur quædam Belgarum portio, in quâ fuisse Bellovacos et Atrebates constat ex eodem Cæsare, horum item Commentariorum lib. v et inter hos populos revera Lucanus lib. primo de bello civili nominat Belgas.

Et docilis rector monstrati Belga covini.

Ubi legendum *rostrati.*

2 *Aquitani.*] Plin. lib. iv. c. 17. Aquitaniam ante dictam Armoricam scripsit Gallico nomine, quæ postea à Romanis Latino nomine Aquitania ab aquis Tarbellicis dicta sit. Hujus populi numerantur 12. in libro horum Commentariorum tertio, qui postea in novem fuêre contracti. Unde nomen sortita est Aquitania Novempopulaniæ. Tandem à Vasconibus Pyrenæi jugi populis, qui victi primum à Pipino, deinde ab ejus ne-

Galli appellantur. [1] Hi omnes linguâ, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis [2] Garumna flumen, a Belgis [3] Matrona et

NOTÆ.

pote Ludovico Caroli Magni filio in eam regionem postea deducti sunt, nomen Vasconiæ accepit.

3 *Celtæ.*] Dion. lib. xxxix. scripsit nationes, quæ cis transque Rhenum incolunt, antiquitùs et longè ante Cæsaris tempora appellatas esse Celtas. Diodorus verò lib. v. rerum antiquarum cap. 9. testatur ævo suo, i. e. Julii Cæsaris, omnes eas gentes quæ juxta Pyrenæos montes et Alpes, ac deinceps ad Scythiam usque habitant, communi nomine Gallos nominatos. Unde et Plutarchus tradit Gallos Celtici generis fuisse. Imò et ex Strabone intelligere licet longiùs olim patuisse, ubi ex quartâ parte orbis terrarum existimanda esse terra Celtarum dicitur: nempe ut Hebræis, vel Paulo teste in epistolâ ad Rom. gentes omnes Græcorum nomine censebantur, et tunc Occidentales, Franci ab Orientalibus appellantur; ita tunc à Græcis Galli Germanique Celtarum nomine insigniebantur, necnon maxima pars Hispaniæ, Polybio teste lib. iii. Certè nulla ferè pars Europæ videtur Celtis vacare. Inveniuntur enim in Hispaniâ Celtiberi, et nominantur Celti apud Strabonem Hispaniæ populi circa Bætim fluvium, et in Celtis Istrum oriri memorat Herodotus, et Celtoscythiæ recensentur Straboni et Plutarcho Septentrionales apud Oceanum. Sed, ut modò dixi, quemadmodum erat Africa proprie dicta in quâ Carthago fuit, sic inter Celtas seu Gallos fuit propriè dicta Celtica, quam Cæsar nominat. Cum verò Celtæ Straboni dicantur à Κέλης Κέλητος, idque apud Homerum et Pindarum equitem sonet, seque ipsi Celtas Celtæ dixerint; id eâ lege credendum est, ut idem Gallicè eadem vox significaverit, vocem enim Gallicam fuisse perquam verisimile est. Certè omnium scriptorum testimonio Celtas equitatu valuisse certum est.

1 *Hi omnes linguâ* &c.] His similia refert Strabo, Aquitanos à Gallicâ natione et cultu et linguâ differre, similesque esse Hispanis. Treviros vero Germanicâ linguâ usos, in præfatione Hieronymi in Pauli Apostoli epistolam ad Galatas cognoscitur, quòd scilicet Gallicâ minimè essent origine, sed Germanicâ, quâ et gloriabantur, teste Tacito in lib. de moribus Germanorum, tanquam per hanc gloriam sanguinis à similitudine et inertiâ Gallorum separarentur. Quæ porro fuerint Gallorum linguæ nemini notum arbitror. Neque enim una fuit, ut perhibet Cæsar. Verisimile tamen est unam fuisse quæ aliis patuit latius. Nec Gallica lingua fuit, quæ nunc Germanica est, ut videtur Gotopio et aliis nonnullis. Siquidem habet Tacitus; *Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos.* Cùm vero Hieronymus in commentario Pauli epistolæ ad Galatas testetur Galatas in Asiâ suo tempore bilingues fuisse, et præter Græcum sermonem, quem totus Oriens tunc habebat, propriam quandam linguam eandem cum Treviris habuisse (quod et ipsi compertum esse potuit qui tamdiu Treviris cum Divio Hilario vixit, ut ei ingens Synodorum volumen suâ manu descripserit) cùmque Gallogræci seu Galatæ non è Belgio, sed è Tolosanorum et Volcarum finibus in Asiam commigraverint, existimârim à Rheno ad quem Treviri pertinebant, ad Garumnam usque eundem viguisse sermonem, atque adeo hanc sermonis differentiam, quam Cæsar observat, à Dialectorum solùm modo varietate esse petendam. Quæcunque tamen lingua fuerit, mihi si licet conjecturam meam interponere, Britannicam illam linguam, quæ nunc in Armoricâ viget, fuisse maximæ parti Galliæ vernaculam suspicor. Græcam enim non fuisse in usu, quod aliquot doctis placuisse video, tam certum est, quam nunc non esse, tametsi Græcis literis usi fuerint quas à Massiliensibus acceperant. Porro ex Severo Sulpitio in Dialogis de vitâ sancti Martini, et Sidonio Apollinari in epistolâ ad Syagrium, intelligitur hanc linguam Celticam ad eorum usque tempora viguisse. Dicuntur autem differre non tantum linguâ, sed, et institutis, non quòd nullam linguam; aut nullum institutum, aut nullam legem inter se communem habuerint, sed quòd aliquam partem legum, aut aliqua instituta, aut aliquas leges habuerint singularum civitatum non omnium communes, ut etiam nunc apud Gallos et Helvetios videre est.

2. *Garumna.*] Fluvius è Pyrenæis montibus delapsus, cursum habet clx. leucarum, Tolosamque et Burdegalam alluit.

3 *Matrona.*] Fluvius in Lingonum finibus ortus, Sequanam influit apud Confluentem paulo supra Lutetiam. Hæc porro divisio non est usque adeo accurata, quin ultra citraque illos fluvios, aliqua horum populorum pars consisteret. Cujus rei argumento est quod in Rotomagi, Lutetiæ, Meldarumque finibus

[1] Sequana dividit. [2] Horum omnium fortissimi sunt Belgæ: [3] propterea quòd à cultu atque humanitate [4] Provinciæ longissimè absunt, minimèque ad eos mercatores sæpe commeant, [5] atque ea, quæ ad effeminandos animos pertinent, important. [6] Proximi sunt Germanis, qui [7] trans Rhenum incolunt, quibuscum continentèr bellum gerunt: quâ de causâ [8] Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quòd fere quotidianis præliis cum Germanis contendunt, quum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. [9] Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit à flumine

NOTÆ.

esse deprehenditur, quorum oppidorum cives Celtæ sunt.

1 *Sequana.*] In Burgundionum finibus nascitur, Lutetiamque Parisiorum totius Galliæ caput interfluit. Porro à Garumnâ ad Rhodanum usque Celtarum Regionem finiebat Provincia Gallica seu Narbonensis; cujus fines quia noti Romanis erant, qui illam jampridem possidebant, ab ipso non describuntur.

2 *Horum omnium fortissimi sunt Belgæ:*] Ad animam refertur fortitudo, ad corpus vires et robur, ad inanima fere firmitas. Ad hanc porrò Cæsaris sententiam accedit Tacitus, lib. iv. *Quicquid roboris apud Gallos sit, Belgas esse.*

3 *Propterea quòd à cultu.*] Cultus ad corporis ornatum, humanitas ad animum ferè refertur.

4 *Provinciæ.*] Provinciam Galliæ Narbonensis intelligit, cujus nomen adhuc retinet aliqua pars, *Provence.* Porrò verè dicit cultum et humanitatem à Provinciâ in Galliam fuisse invectam. Nam à Massiliensibus Galli et usum vitæ cultioris, depositâ barbariâ, et urbes mœnibus cingere didicerunt. Tunc et legibus vivere, non armis, tunc et vitem putare, tunc olivam serere consueverunt.

5 *Atque ea, quæ ad effeminandos animos.*] Cum multa, tum præcipuè vinum intelligit, de quo scribit lib. iv. horum Comment. Suevos arbitrari, ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari. Diodorus verò suppar ætate Cæsari negat suâ tempestate nasci quicquam vini in Galliâ, sed Gallos supra modum eo delectatos, quod à mercatoribus merum bibentes, in somnum aut insaniam incidere.

6 *Proximi sunt Germanis.*] Qui à Romanis Germani dicti sunt, hi olim Teutones, et adhuc suâ linguâ vocantur. Sic fortè à Romanis dicti, quod mutuis auxiliis se juvarent, et communi quodam fœdere essent conjuncti.

7 *Trans Rhenum*] De quo sic Tacitus; *Rhenus Rhæticarum Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus, modico flexu occidentem versus septentrionali Oceano miscetur.* Ejus cursus et origo à Cæsare lib. iv. horum Commentariorum fusè describitur.

8 *Helvetii*] Tunc Gallis accensebantur, nunc Germanis, qui eam regionem, expulsis Helvetiis, occupaverunt: quo tempore non planè scitur. Sic Gregorius Turonensis scripsit, *Juræ deserta inter Burgundiam et Alamanniam sita Aventico adjacere*; quâ in Alamanniâ Romanus Lupicinusque fratres monasteria statuerunt. Alamanni igitur pagum Tigurinum, qui in Galliâ inter Ursam Rhenumque fluvios positus est, atque alias partes Helvetici agri ceperunt, atque ibi consederunt; Walafridus Strabo Tigurinum pagum in Alamanniâ statuit. Scriptor vero vitæ sancti Deicolæ Abbatis Lutrensis de sancto Gallo, qui in Helvetiorum regione vitam degebat, sic memoriæ prodidit; *Et quia barbaricae linguæ facundiam habebat non minimam, Alamannorum, Suevorumque cervicositati præpotens Archiater à Domino est destinatus.* Et paulo post, *ejus inclyta merita non solum apud Alamannos, quibus à Deo delegatus est patronus, laudabiliter vigent.* Is porrò sanctus Gallus tempore Sigeberti, Theodoricique regum Franciæ et Brunechildis vivebat. Unde verisimile sit ejusmodi regionem eodem ferè tempore esse ab Alamannis occupatam, quo Gallia à Francis possideri cœpit. Helvetios verò cum scribitur reliquis Gallis præstare, intellige Celtis, qui propriè Galli. Nam paulo suprà Belgas omnium fortissimos dixit duplici nomine, et quòd abessent à Provinciâ longius, et quòd continenter cum Gallis bellum gererent.

9 *Eorum una pars.*] Ejus Galliæ pars una quam scripsimus Gallos habitare.

[1] Rhodano: continetur Garumnâ flumine, Oceano, finibus Belgarum; [2] attingit etiam à Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum: [3] vergit ad Septentriones. [a] [4] Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur: [5] pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni: spectant in Septentriones, et orientem solem. [6] Aquitania à Garumnâ flumine ad [7] Pyrenæos montes, et eam partem oceani, quæ ad Hispaniam pertinet, spectat inter occasum Solis et Septentriones. Apud Helvetios longè nobilissimus et ditissimus fuit Orgetorix. [8] Is M. Messalâ et M. Pisone Coss. regni cupiditate inductus, conjurationem nobilitatis fecit; et [9] civitati persuasit, [10] ut

INTERPRETATIO.

a. *Belgæ incipiunt ab extremis Galliæ limitibus.*

NOTÆ.

1 *Rhodano*;] Hieronymus hunc fluvium ſic deſcribit. *Adeo magni curſus eſt, ut vix adverſa navigari poſſit aqua. Ferunt hunc amnem ex Alpibus oriri, non longè à Rheni, Danubiique fontibus; fertur per Lemanum lacum, et verſus occidentem per Galliam fluens, tardum Ararim et Iſaram, et Druentiam ſuſcipiens, apud Heracleam uno oſtio, et paulo ulteriùs duobus aliis in mare Tyrrhenum irrumpit.* Vibius verò ſequeſter ſic habet de ipſo in libello de fluminibus; *Lugdunum et Avenionem decurrens, atque Arelatem, mari Tyrrheno miſcetur.*

2 *Attingit etiam à Sequanis.*] Poſtea ſunt Belgis ab Auguſto contributi, ut patet ex Plinio et Ptolemæo.

3 *Vergit ad Septentriones.*] Septentriones ſunt ſtellæ ſeptem, ex quibus quaſi juncti triones figurantur Dicuntur autem triones apud Varronem boves. Inde tota illa pars nomen invenit, quæ eſt meridici oppoſita.

4 *Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur.*] Romæ et id quoque reſpectu à Cæſare ſcribitur.

5 *Pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni*:] Plinius alios limites aſſignat, *à Scalde ad Sequanam Belgica.* Cum ſcilicet ei jam Auguſtus partes illas detraxiſſet, quas Germaniæ addiderat.

6 *Aquitania*] Quæ hoc libro tertia pars Galliæ eſſe dicitur, in tertio libro pariter ſcribitur; et regionum latitudine et multitudine hominum ex tertiâ parte Galliæ æſtimanda; tamen utroque loco deceptus videtur Cæſar à P. Craſſo legato, cui cum pars maxima ſe, abſente Cæſare, dedidiſſet, obſideſque bis victa dediſſet, bellicam ſuam gloriam mendaciis augere contendit. Illa enim provincia Aquitania, quæ poſtea Novempopulania, ac demum Vaſconia eſt appellata, Pyrenæoque et Garumnâ continetur, non amplius quam millia paſſuum centum patet in longitudinem. Quem errorem poſtmodum agnitum Auguſtus ut aliquo pacto emendaret, Aquitaniam à Pyræneo monte ad Ligerim flumen produxit, xiv gentibus, quæ Garumnam et Ligerim inter habitant, ei attributis, nempe Biturigibus Cubis, Arvernis, Rhutenis, Albienſibus, Cadurcis, Lomovicibus, Gabalis, Vellavis, Biturigibus, Vibiſcis ſive Burdegalenſibus, Nitiobrigibus ſive Aginnenſibus, Ecoliſmenſibus, Santonibus, Pictonibus et Petrocoriis, quot ſunt populi primæ Aquitaniæ. Nihilo ſecius Pomponius Mela Julium Cæſarem ſecutus, ſcribit Aquitaniam à Pyrenæo monte ad Garumnam pertinere. Minùs ſibi conſtat Plinius, qui utrique aſtipulatur diviſioni, et Julii Cæſaris, et Auguſti.

7 *Pyrenæos montes.*] Notus limes Galliæ et Hiſpaniæ.

8 *Is M. Meſſalâ* &c.] Fuit hic annus ab urbe conditâ DCXCIII. De hoc Piſone ſic habet Aſconius Pedianus; *Vixit Piſo iiſdem temporibus quibus Cicero, ſed tanta ætate major, ut adoleſcentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in eo et antiquæ vitæ ſimilitudo et multæ erant literæ; orator quoque melior quam frequentior habitus eſt, biennio tamen ſerius quam Cicero Conſul fuit.*

9 *Civitati perſuaſit*] Civitates ſunt, ut teſtatur Cicero lib. de ſomnio Scipionis, *conſilia cœtuſque hominum jure ſociati.* Aulus vero Gellius lib. xviii. c. 7. tanquam ex Verrio Flacco citat civitatem, et pro loco, et pro oppido, et pro jure quoque omnium, et pro hominum multitudine; quo ultimo ſenſu hic dicitur Orgetorix civitati perſuaſiſſe.

10 *Ut de finibus ſuis cum omnibus copiis exirent.*] Hoc ideo ab illis eſt factum, teſte Dione, ne partis populi diſceſſu, altera quæ in patriâ remaneret, eorum auxilio qui profecti fuiſſent deſtituta, injuriæ pateret finitimorum, qui ab ipſis fuerant bello vexati.

de finibus suis cum omnibus copiis exirent: perfacile esse, quum virtute omnibus præstarent, totius Galliæ imperio potiri. Id hoc facilius eis persuasit, quód undique loci naturâ Helvetii continentur; unâ ex parte, flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium à Germanis dividit; alterâ ex parte, monte [1] Jurâ altissimo, qui est inter [2] Sequanos et Helvetios; tertiâ, [3] lacu Lemano, et flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit. His rebus fiebat, ut et minus latè vagarentur, et minus facilè finitimis bellum inferre possent: quâ de caussâ homines bellandi cupidi magno dolore afficiebantur. Pro multitudine autem hominum, et pro gloriâ belli atque fortitudinis, angustos se fines habere arbitrabantur: qui [4] in longitudine millia passuum CCXL, in latitudinem CLXXX patebant. His rebus adducti, et auctoritate Orgetorigis permoti, constituerunt ea, quæ ad proficiscendum pertinerent, comparare; jumentorum et carrorum quàm maximum numerum coëmere; sementes quàm maximas facere, ut in itinere copia frumenti suppeteret; cum proximis civitatibus pacem et amicitiam confirmare. Ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt; [a] in tertium annum profectionem lege confirmant. Ad

INTERPRETATIO.

a *Sanciunt lege, esse proficiscendum tertio post anno.*

NOTÆ.

1 *Jura.*] Mons dividit Sequanos ab Helvetiis, *Mont St. Claude.* Varia tamen sortitur pro locorum varietate nomina, et in Basiliensium initium habet finibus.

2 *Sequanos.*] Ab oriente, Jurâ monte; ab occidente, Arare flumine terminantur. Sed præter Burgundiæ Comitatum, quem Helvetiis, Æduis et Lingonibus finitimi incolebant, latiùs etiam patebant. Partem enim Alsatiæ obtinebant, Rhenoque à Germanis disterminabantur.

3 *Lacu Lemano.*] In quem influit Rhodanus, hodie *Lac de Geneve.*

4 *In longitudine millia passuum* ccxl, *in latitudinem* clxxx *patebant.*] Legitur in manuscriptis libris et Gryphiano, *in longitudinem*, nec certè potior est ratio. Cluverius verò observat demendum unum c ut sit tantum cxl, et pro clxxx ponendum lxxx dempto c. Sed neque sic constabit quæ vera sit mensura Helveticorum finium. Et quoniam multa mentio passuum occurret his in libris, quia passibus Romani locorum spatia metiebantur, ut Græci stadiis, et nos leucis: hoc in loco non nihil esse scribendum videtur quod cæteris sufficiat. Sunt veteres versus juvandæ memoriæ gratiâ in hanc rem facti.

Quatuor ex granis digitus componitur unus,
Est quater in pedibus digitus, quater in pede palmus;
Quinque pedes passum faciunt, passus quoque centum
Viginti quinque stadium dant; sed miliare
Octo dabunt stadia: duplicatum dat tibi leucam.

Quibus versibus si fides adhibeatur, leuca nostra erit duorum millium passuum. Sed necessitate cogimur in multis locis hunc numerum duplicare ut scilicet sit iv millium passuum. Multa in hanc rem possunt adduci, sed quia compendio studemus, unus Strabonis locus omnium instar erit. Sic enim ille lib. iv *Ab Isara ad Viennam Allobrogum metropolim, sitam ad Rhodanum, stadia sunt trecenta et viginti. Prope verò et supra Viennam est Lugdunum, ubi commiscentur inter se Arar et Rhodanus. Stadia vero ibi sunt circiter ducenti pedestri itinere per Allobrogum terram euntibus, adverso verò flumine navigantibus paulo plus.* Hodie quinque tantum leucarum spatium inter Lugdunum et Viennam esse cognitum est. Sed neque hic, neque aliis multis in locis constabit numerorum ratio, etsi quatuor passuum millia leucæ assignaverimus, ut tandem fatendum necesse sit totam illam numerorum rationem cum apud Græcos, tum apud Latinos, turpibus erroribus scatere.

eas res conficiendas Orgetorix deligitur: is sibi legationem ad civitates suscepit. In eo itinere persuadet Castico Catamantaledis filio, Sequano, [1] cujus pater regnum in Sequanis multos annos obtinuerat, et [2] à S. P. Q. R. amicus appellatus erat, ut regnum in civitate suâ occuparet, quod pater antè habuerat: [3] itèmque Dumnorigi Æduo, fratri Divitiaci, qui eo tempore principatum in civitate suâ obtinebat, ac maximè plebi acceptus erat, ut idem conaretur, persuadet; eique filiam suam in matrimonium dat. [a] Perfacile factu esse illis probat, [4] conata perficere; proptereà quòd ipse suæ civitatis imperium obtenturus esset: non esse dubium, quin totius Galliæ plurimum Helvetii possent: se suis copiis suoque exercitu, illis regna conciliaturum, confirmat. Hac oratione adducti, [b] inter se fidem et jusjurandum dant, et, regno occupato, [5] per tres potentissimos ac firmissimos populos, totius Galliæ sese potiri posse sperant. Ea res, ut est Helvetiis per indicium enunciata, [6] moribus suis Orgetorigem ex vinculis caussam dicere cöegerunt. [7] Damnatum pœnam sequi oportebat, ut igni cre-

INTERPRETATIO.

a *Demonstrat illis esse facillimum exequi incœpta.* b *Mutuo dant fidem et jusjurandum.*

NOTÆ.

1 *Cujus pater regnum,* &c.] Ex hoc loco et pluribus aliis patet regna ista in Galliâ non fuisse hæreditaria, quibus tamen filii se privari graviter ferebant. A populo dabantur, ut se verisimile, propter justitiæ fortitudinis opinionem.

2 *A S. P. Q. R. amicus appellatus erat,*] Quia Romani erant potentes, præsidio et honori ducebatur maximo, si quis eorum amicus dicebatur. Hoc videre inde licet, quod Ptolemæum Auletem regno pulsum reducendum in regnum censuerunt, quia paulo antè à Romanis amicus erat appellatus.

3 *Itemque Dumnorigi Æduo, fratri Divitiaci,*] Ædui nobilissima et opulentissima Galliæ civitas, quæ totius Galliæ capiendæ occasionem Romanis præbuit. De Belgis et Celtis res est clara et perspicua, remque illam fatetur Eumenius in panegyrico, hoc modo; *Princeps Æduus* [Divitiacus is noster est] *Romam ad Senatum venit, scuto innixus peroravit, imbelli itaque ope Romanum exercitum Cæsaremque eis Rhodanum primus induxit; sed enim Ædui totum illud, quod Rheno, Oceano, Pyrenæis montibus, cunctis Alpibus continetur, Romano imperio tradiderunt, hibernis liberaliter præbitis, suppeditatis largiter commeatibus, armis fabricandis; pedestribus equitumque copiis auxiliaribus, ita in unam sortem societatis omnibus Celtarum Belgarumque populis, eripuere Barbaris qui quod junxere Romanis.* Nec per illos solum Celtæ Belgæque Romanis accesserunt, sed et ipsa Narbonensis Gallia: siquidem verum est quod Florus scriptum reliquit, Allobroges et Arvernos bello tentatos et mox domitos, cùm adversus eos Æduorum querelæ auxilium et opem Romanorum flagitarent. Unde factum, ut soli Gallorum nomen fraternitatis cum Pop. Romano usurpaverint teste Tacito lib. annal. xi. Inde eodem teste, *primi Ædui Senatorum in urbe jus adepti sunt, dat* [illegible]. Inde facti reliquis opulentiores, solisque [illegible] prælati Lugdunenses qui erant Romanorum colonia.

4 *Conata,*] Hic passivè scribitur quod rarius.

5 *Per tres potentissimos populos.*] Sequanos, Helvetios et Æduos. Indicium est detectio alicujus sceleris vel accusatio. Est porro ea res enunciata, quod regnum affectaret; quod tyrannicum in civitate liberâ.

6 *Moribus suis.*] Qui vigent apud nos, ut capitis postulatis non nisi in carcere se purgare liceat. Caussam autem dicere, est subire judicium et rei cujus sis postulatus reddere rationem.

7 *Damnatum pœnam sequi oportebat, ut igni,* &c.] Usitatum hoc erat apud Barbaros supplicium, ut postea ex his libris cognoscetur. Sic in hoc libro Valerius Procillus, nihil propius factum est, quam ut igni à Germanis necaretur. Sed et antiquissimum supplicium fuit [illegible]

maretur. Die constituto causæ dictionis, [a] Orgetorix ad judicium omnem suam familiam, ad hominum millia decem, undique coëgit; et omnes clientes, [1] obæratosque suos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit: per eos, nè caussam diceret, se eripuit. [b] Quum civitas, ob eam rem incitata, armis jus suum exequi conaretur, multitudinemque hominum ex agris magistratus cogerent, Orgetorix mortuus est; neque abest suspicio, ut Helvetii arbitrantur, quin ipse sibi mortem consciverit. Post ejus mortem nihilo minus Helvetii id, quod constituerant, facere conantur, ut è finibus suis exeant. Ubi jam se ad eam rem paratos esse arbitrati sunt, [2] oppida sua omnia, numero ad duodecim, vicos ad quadrigentos, reliqua privata ædificia incendunt: frumentum omne, præter quod secum portaturi erant, comburunt; ut, domum reditionis spe sublatâ, paratiores ad omnia pericula subeunda essent: trium mensium molita cibaria sibi quemque domo afferre jubent. Persuadent [3] Rauracis, et [4] Tulingis, et [5] Latobrigis finitimis, utì eodem usi consilio, oppidis suis vicisque exustis, [6] unà cum iis proficiscantur: [7] Boiosque, qui trans Rhe-

INTERPRETATIO.

a *Orgetorix congregavit undique omne famulitium suum, quod erat decem millium hominum, in locum in quo judicium illud exercebatur: jussitque omnes clientes debitoresque suos, quorum magna illi erat copia, in eundem locum convenire.*

b *Cum civitas, permota ob id factum, pararet persequi jus suum bello.*

NOTÆ.

Orientales. Ita ob scortationem igni Thamar addicitur in lib. Geneseôs et apud Jeremiam tale supplicium sumptum iri de falsis prophetis prædicitur, et apud Danielem pueri à Chaldæorum rege in fornacem conjiciuntur.

1 *Obæratosque suos.*] Obærati erant, qui ære alieno obligati erant, ut aliquid operarentur; iique, ut Varro scribit, vindemias et fœnisecia exercebant modico ære conducti, quia magno erant obligati, Anglicè *Vassals*.

2 *Oppida sua omnia, &c.*] Durum cùm sit telum necessitas, hoc sæpe duces usi sunt exemplo, ut Gulielmus ille Normanorum dux, qui cum expeditionem in Anglos suscepit, proprias naves exussit, ut milites domum reditionis spe sublatâ fortiùs pugnarent.

3 *Rauracis.*] Horum caput erat Augusta, quâ dirutâ, sedes Episcopatûs ejus in proximam urbem Sequanorum Basiliam translata est, haud multò ante annum Christi DCCC. Ipsa nunc est tenuis vicus. Rauraci à Sequanis disterminantur amne Byrsâ, qui haud ampliùs quatuor millibus passuum à Basileâ, idque paulo supra in Rhenum influit.

4 *Tulingis,*] Nonnulli existimant Tulingos esse, qui Lotharingi dicuntur. Sed Glareanus Helvetius conjectat esse *Stulingen*, qui ad septentrionem sunt Helvetiis supra Rauracos. Adde quòd ii infectâ re in suas sedes remigrare à Cæsare jussi sunt.

5 *Latobrigis*] Latobrigi ignorantur.

6 *Una cum iis*] Unà secum, posset dici; sed modo absit ambiguum, nihil refert.

7 *Boiosque,*] Erant hi Gallicæ originis, teste Tacito, qui de Helvetiis quibusdam, qui in Germaniam penetrârant, et de Boiis sic scribit, lib. de morib. Germanorum: *Inter Hercyniam sylvam Rhenumque et Mœnum amnes, Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens tenuere.* Nec tantum in Germaniam illi penetrârant, sed et, teste Livio, circiter annum urbis conditæ CL, Tarquinio Prisco Romanorum rege, trans Alpes profecti sunt, ibique, teste Plinio, Laudem Pompeiam, *Lodi*, condiderunt, in Hetruriam pervenerunt, unde incolas expulerunt. Præcipua tamen eorum sedes intra Apenninum fuit. An iidem ex Galliâ

num incoluerant, et in [1] agrum Noricum transierant, Noricamque oppugnârant, receptos ad se socios sibi adsciscunt. [2]Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent: unum per Sequanos angustum et difficile, inter montem Juram, et flumen Rhodanum, quo vix singuli carri ducerentur; mons autem altissimus impendebat, ut facile perpauci prohibere possent: alterum per provinciam nostram multò facilius atque expeditius, propterea quòd Helvetiorum inter fines, et [3] Allobrogum, qui nuper pacati erant, Rhodanus fluit, isque nonnullis locis vado transitur. Extremum oppidum Allobrogum est, proximùmque Helvetiorum finibus, [4] Geneva: ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet. Allobrogibus sese vel persuasuros, quòd nondum bono animo in populum Romanum viderentur, existimabant; vel vi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt, quâ die ad ripam Rhodani omnes conveniant. Is dies erat [5] a. d. v. kal. Apr. [6] L. Pisone, A. Gabinio consulibus. Cæsari quum id nuntiatum esset, eos [7] per provinciam nostram iter facere conari, [8] maturat ab urbe proficisci, et [9] quam maximis itineribus potest, in Galliam ulteriorem contendit,

NOTÆ.

in Germaniâm rectâ, an ex Italiâ expulſi eo tranſierint, et Noricum agrum occupaverint, incertum eſt; item quam terram in Galliâ ante omnes illas expeditiones obtinuerint. Plinius certè Lugdunenſi Galliæ Boios aſſignat, ſed illos, qui ſuâ tempeſtate vivebant, qui conceſſu Æduorum, Cæſariſque permiſſu in eam partem migraverant, quæ nunc dicitur *Bourbonnois*.

1 *Agrum Noricum*] Ager Noricus oritur ab Oeno flumine, Germanicè *Inn*, ad ortum, uſque ad Pannoniam protenditur ſuperiorem, à meridie; monte Carvanca terminatur et Alpibus ad Italiam uſque; a ſeptentrionibus, Danubio. Ex Sexti Rufi Breviario cognoſcitur eſſe diviſum in mediterraneum, et ripenſem, qui ad ripas Danubii. Qui igitur Norimbergam interpretantur non minus errant, quam qui Sequanos à Sequanâ flumine dictos putant.

2 *Erant omnino itinera duo*,] Rhellicanus Helvetius has anguſtias à Gallis et Germanis Cluſas appellari ſcripſit. Glareanus vero Helvetius et ipſe negat eſſe ea tantum itinera, et multos patere exitus ſcribit. Itaque hanc regionem auditu tantum fuiſſe notam Cæſari, quam ipſe non viderit.

3 *Allobrogum*,] Allobroges erant partim qui nunc dicuntur Sabaudi, partim Delphinates, qui hodie Diœceſibus continentur Viennæ, Gratianopolis, et Genevæ. Horum metropolis erat Vienna. Nuper pacati dicuntur, qui biennio ante fuerant domiti à C. Pomptino, qui alias Pomptinius et Pontinus dicitur.

4 *Genevæ*:] Nunc ad ripam Helvetiorum tranſlata eſt.

5 *A. d. v. kal. Apr.*.] xxvii Martii. Nolim tamen negare propter corruptum Kalendarium, alium diem fuiſſe.

6 *L. Piſone, A. Gabinio conſulibus.*] Qui Julio Cæſari et M. Bibulo in conſulatum ſucceſſerant, ann. ab urbe conditâ DCXCVI.

7 *Per provinciam.*] Ea erat provincia Galliæ Narbonenſis, quæ jam pridem erat in Romanorum poteſtate, et à Geneva Narbonem uſque pertinebat, Pyrenæiſque montibus claudebatur.

8 *Maturat ab urbe proficiſci*,] Proficiſcitur, quia Gallia provincia cum Illyrico erat ei attributa.

9 *Quam maximis itineribus*] Plutarchus in Cæſare ſcripſit octo dierum ſpatio tantum ipſi confectum: cc leucæ ſunt ad Genevam ab urbe Româ. Itaque ſi quatuor millia paſſuum leucam efficiunt, ut ſuprà docuimus, confecit ſingulis diebus xxv. leucas. Quod ipſum teſtatur Suetonius in Cæſare: *Longiſſimas vias incredibili celeritate confecit expeditus, meritoriâ rhedâ centena millia paſſuum in ſingulos dies.* Porro Gallia ulterior alio nomine Tranſalpina dicitur, quæ Romanis in Italiâ poſitis, trans Alpes eſt.

et ad Genevam pervenit: [1] Provinciæ toti quàm maximum militum numerum imperat. Erat omnino in Gallia ulteriore [2] legio una. Pontem, qui erat ad Genevam, jubet rescindi. Ubi de ejus adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt nobilissimos civitatis; cujus legationis Numeius et Verodoctius principem locum obtinebant: [3] qui dicerent sibi esse in animo, sine ullo maleficio iter per Provinciam facere, propterea quòd aliud iter haberent nullum: rogare, ut ejus voluntate id sibi facere liceat. Cæsar, quòd memoria tenebat [4] L. Cassium Consulem occisum, exercitumque ejus ab Helvetiis pulsum, et [5] sub jugum missum, concedendum non putabat; neque homines inimico animo, datâ facultate per Provinciam itineris faciundi, temperaturos ab injuria et maleficio existimabat: tamen ut spatium intercedere posset, dum milites, quos imperaverat, convenirent, legatis respondit, diem se ad deliberandum sumpturum; si quid vellent, ad Idus Aprilis reverterentur. Interea eâ legione, quam secum habebat, militibusque, qui ex Provinciâ con-

NOTÆ.

1 *Provinciæ toti quàm maximum*, &c.] Non tam Galliam Romani, quam Galli ipſi ceperunt: cùm enim tantum quatuor legiones à Republicâ accepiſſet, ſex Gallico delectu ab ipſo Cæſare conſcriptæ ſunt. Equitatus ejus totus erat Gallicus. Itaque alaudam illam genere et nomine Gallicam totam poſtea civitate donavit.

2 *Legio*] A legendo dicta, quod legantur milites in delectu, teſte Varrone lib. iv. de linguâ Latinâ, cujus varius fuit pro temporum varietate numerus. Prima legio ſub Romulo fuit trium millium peditum et trecentorum equitum: mille enim homines ex ſingulis tribubus legebat, quæ tribus tres tantum erant eo tempore. Cùm verò à Floro Tullus Hoſtilius omnis militaris diſciplinæ, artiſque bellandi conditor eſſe ſcribatur, ſtatimque à regibus ejectis apud Dionyſium Halicarnaſſeum à P. Valerio Publicola ſcripta prodatur quatuor millium, conjectura eſt non levis ab illo rege auctam in hunc numerum excreviſſe. Livius lib xlii. ſic ſcribit: *Id præcipue provinciæ Macedoniæ datum, quod cum alterius Conſulis legionibus quina millia et ducenti equites ex veteri inſtituto darentur in legiones ſingulas, in Macedoniam ſena millia peditum ſcribi juſſa, equites treceni æqualiter in ſingulas;* lib. verò vii. ait iv. millium et ducentorum peditum fuiſſe: et. lib. viii. ait quinis millibus peditum, et trecenis equitibus conſtitiſſe. Polybius verò numerum facit ampliorem. Videtur tempore Cæſaris fuiſſe non magna.

3 *Qui dicerent ſibi eſſe in animo,*] Moſes hoc ipſum Idumæis promiſit, cum neceſſariò per illorum fines ſibi eſſet tranſeundum. Hoc idem Dercyllidas Lacedæmonius per fines amicorum fecit teſte Xenophonte; hoc Agis Lacedæmonius Peloponneſiis præſtitit, non ſine admiratione urbium, ut narrat Plutarchus: exemplaque ejus rei quamvis pauca, nonnulla tamen extant. Moſi promittenti credendum fuit, quia ſanctus vir; non barbaris, quos nullus rex, nulla continebat diſciplina, quique antiquitùs præterea inimico erant in Romanos animo. Eventus conſilium Cæſaris probavit: nec enim aut Æduis aut eorum clientibus pepercerunt.

4 *L. Caſſium Conſulem.*] De L. Caſſio extat hiſtoria in Appiano et apud Oroſium, lib. vi. c. 17. Florus in epitome 65. Livii ſcribit, milites, qui ex eâ clade ſuperfuerant, obſidibus datis et dimidiâ rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hoſtibus pactos eſſe. Porro ille Conſul fuerat anno urbis conditæ dcxlvii.

5 *Sub jugum miſſum.*] Hoc modo ſub jugum mittebantur. Fixis in terram haſtis duabus, ſuper eas tertia ligabatur: tunc victi hoſtes diſcingebantur, et ſub illâ diſcincti, inermeſque tranſire cogebantur. Unde ſubjugare dictum pro debellare. Hunc morem deſcribit T. Livius lib iii. ubi de Æquis loquitur.

venerant, à lacu Lemano, quem flumen Rhodanum influit, ad [1] montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, millia passuum decem novem murum in altitudinem pedum sexdecim, fossamque perducit. Eo opere perfecto, præsidia disponit, castella communit, quò faciliùs, si se invito transire conarentur, prohiberi possent. Ubi ea dies, quam constituerat cum legatis, venit; et legati ad eum reverterunt; negat se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per Provinciam dare; et si vim facere conentur, prohibiturum ostendit. Helvetii eâ spe dejecti, navibus junctis, [2] ratibusque compluribus factis alii, alii vadis Rhodani, quà minima altitudo fluminis erat, nonnunquam interdiu, sæpius noctu, si perrumpere possent, conati, operis munitione, et militum concursu, et telis repulsi, hoc conatu destiterunt. Relinquebatur una per Sequanos via, quà Sequanis invitis propter angustias ire non poterant. Iis quum suâ sponte persuadere non possent, legatos ad Dumnorigem Æduum mittunt, ut eo deprecatore à Sequanis hoc impetrarent. Dumnorix gratiâ et largitione apud Sequanos plurimum poterat; et Helvetiis erat amicus, quòd ex eâ civitate Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat; et cupiditate regni adductus, novis rebus studebat, et quamplurimas civitates suo sibi beneficio habere obstrictas volebat. Itaque rem suscipit; et à Sequanis impetrat, ut per fines suos Helvetios ire patiantur; obsidesque utì inter sese dent, perficit: Sequani, ne itinere Helvetios prohibeant: Helvetii, ut sine maleficio et injuriâ transeant. Cæsari nuntiatur Helvetiis esse in animo per agrum Sequanorum et [3]Æduorum iter in [4] Santonum fines facere, qui non longè a [5] Tolosatium finibus absunt, quæ civitas est in provinciâ. Id si fieret, intelligebat magno cum Provinciæ periculo futurum, ut homines bellicosos, populi Romani inimicos, locis patentibus, maximèque frumentariis finitimos haberet. Ob eas caussas ei munitioni, quam fecerat, [6] T. Labienum legatum præ-

NOTÆ.

1 *Montem Juram*] De Jurâ monte supra dictum est. Frustra quærunt docti reliquias, quasi non hæ studiose tanquam impedimenta viarum dirutæ sint.

2 *Ratibusque compluribus factis*.] Rates, Angl. *Float-boats of timber*, quod primum navigii genus fuit, antequam essent naves inventæ, teste Plinio lib. vii. et Diodoro lib. v. Bibliothecæ.

3 *Æduorum*.] De Æduis suprà, quorum nunc urbs Augustodunum, *Autun*.

4 *Santonum*] Santones, *Saintonge*, quorum urbs Mediolanum Santonum, *Saintes*.

5 *Tolosatium*] Tolosates, Plinio Tolosani, colonia Galliæ Narbonensis Tectosagum fuit, exinde Regni Gothorum caput, nunc Parlamento nobilitata, *Toulouse*.

6 *T. Labienum legatum præficit*.] Legatus à legando dictus, quod olim à Senatu legaretur ad ducem consulendi potius quam imperandi gratiâ. Erat autem Imperatoris vicarius. Magna legati potestas erat, quamdiu aberat Imperator. Imperatori verò præsenti obnoxia. Ut plurimum tot erant legati quot legiones quibus singuli attribuebantur, aliquando tamen plures aut pauciores. Si quid ab ipsis, absente Imperatore, gereretur, Imperatori adscribebatur, utpote gestum ejus auspiciis. Itaque cladem Tigurinorum, Helvetiorum pagi, sibi adscribit Cæsar, tametsi illum cecidisset Labienus legatus. Hic porro Labienus orto civili bello, Pompeii partes amplexus est, factusque est Cæsari infensissimus.

fecit: ipse in Italiam magnis itineribus contendit, duasque ibi legiones conscribit, et tres, quæ circum [1] Aquileiam hiemabant, ex hibernis educit: et qua proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpes erat, cum his quinque legionibus ire contendit. Ibi [2] Centrones et [3] Garoceli, et [4] Caturiges, locis superioribus occupatis, itinere exercitum prohibere conantur. Compluribus his præliis pulsis, ab [5] Ocelo, quod est [6] citerioris Provinciæ extremum, in fines [7] Vocontiorum [8] ulterioris Provinciæ, die septimo pervenit: inde in Allobrogum fines; ab Allobrogibus in [9] Segusianos exercitum ducit. Hi sunt extra provinciam trans Rhodanum primi. Helvetii jam per angustias et fines Sequanorum suas copias transduxerant, et in Æduorum fines pervenerant, eorumque agros populabantur. Ædui, quum se suaque ab his defendere non possent, legatos ad Cæsarem mittunt rogatum auxilium: ita se omni tempore de populo Romano meritos esse, ut penè in conspectu exercitûs nostri, agri vastari, liberi eorum in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint. [10] Eodem tempore quo Ædui, [11] Ambarri quoque, [12] necessarii et consanguinei Æduorum Cæsarem certiorem faciunt, sese depopulatis agris non facilè ab oppidis vim hostium prohibere. Item Allobroges, qui trans Rhodanum vicos possessionesque habebant, fugâ se ad Cæsarem recipiunt, et demonstrant sibi præter agri solum nihil esse reliqui. Quibus rebus adductus Cæsar, non expectandum sibi statuit, dum omnibus fortunis sociorum

NOTÆ.

1 *Aquileiam*] Aquileia prope Venetias nunc eſt diruta, quam calamitatem videtur illi attuliſſe Attila, eâ poſt triennem obſidionem potitus.

2 *Centrones,*] In Alpibus Graiis, ut placet Ptolemæo. Eorum urbs Axima et Forum Claudii Axima nunc pagus *Eſmes*, aut *Aime*. Forum Claudii poſtea causâ neſcio quâ Darentaſia dictum. Unde et regio. Quæ urbs poſtea facta metropolis, habet ſub ſe Sedunum et Auguſtam. Nunc à veteri aliquo monaſterio *Monſtiers en Tarentaiſe*.

3. *Garoceli,*] Sunt Maurienneuſes. *Val de Morienne*.

4 *Caturiges,*] Sunt in Alpibus Cotiis, non Graiis, ut cenſet Ptolemæus; ut verò legitur apud Livium, non ita. Eorum caput Ebredunum; *Embrun*. Eſt et Brigantio et Caturigomagus, jam inde à Plinii tempore in Alpibus Cotiis. Poſtea ſunt orbes illæ cum Rame Alpibus maritimis adſcriptæ. Catuligæ nunc *Chorges*.

5 *Ocelo,*] Ocelus eſt *Oux*, alio nomine *Exilles*.

6 *Citerioris Provinciæ*] Galliam intelligit quæ cis Alpes Romanis erat poſita, ideoque Ciſalpina alio nomine diſcebatur.

7 *Vocontiorum*] Vocontii ſunt poſita ubi Dea Vocontiorum, *Die*, et Vaſio, *Vaiſon*, in eâ parte Galliæ quæ nunc dicitur *Provence*, inter Iſaram et Rhodanum, Ptolemæo.

8 *Ulterioris Provinciæ,*] Erat Gallia ultra Alpes Romanis poſita, ideoque Tranſalpina alio nomine dicta. Utraque et citerior et ulterior erat Cæſari, à populo Romano attributa.

9 *Seguſianos*] Seguſiani ſunt, ubi poſtmodum poſitum fuit Lugdunum, teſte Plinio. De Allobrogibus dictum ſuperius.

10 *Eodem tempore quo Ædui,*] Nullum exemplar vetus hanc lectionem habet. Videndum ne, *quo Ædui*, ſit aliquod interpretamentum, quod in textum irrepſerit. Jam id Ciacconio annotatum.

11 *Ambarri*] Ignorantur. Inter Æduos et Allobroges ſiti videntur.

12 *Neceſſarii,*] Neceſſarii dicuntur in quos neceſſaria officia conferuntur, ſive propter affinitatem, ſive cognationem, ſive amicitiam, ſive hoſpitium, ſive ſuperiora accepta beneficia

consumptis, in Santones Helvetii pervenirent. [1] Flumen est Arar, quod per fines Æduorum et Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non possit. Id Helvetii, ratibus ac [2] lintribus junctis, transibant. Ubi per exploratores Cæsar certior factus est, tres jam copiarum partes Helvetios id flumen traduxisse, quartam vero partem citra flumen Ararim reliquam esse; [3] de tertiâ vigiliâ cum legionibus tribus è castris profectus ad eam partem pervenit, quæ nondum flumen transierat: [4] eos impeditos et inopinantes aggressus, [5] magnam partem eorum concîdit: reliqui sese fugæ mandârunt, atque in proximas silvas abdiderunt. [6] Is pagus appellabatur Tigurinus: nam omnis civitas Helvetia [7] in quatuor pagos divisa est. Hic pagus unus, quùm domo exisset, patrum nostrorum memoriâ L. Cassium Consulem interfecerat, et ejus exercitum sub jugum miserat. Ita sive casu, sive consilio Deorum immortalium, quæ pars civitatis Helvetiæ insignem calamitatem populo Romano intulerat, [a] ea princeps pœnas persolvit. Quâ in re Cæsar non solùm publicas, sed etiam privatas injurias ultus est; [8] quòd

INTERPRETATIO.

a *Ea prima dedit pœnas.*

NOTÆ.

1 *Flumen eſt Arar,*] Primus omnium Ammianus Marcellinus, qui circa annum Chriſti CCCLXXX. vivebat, Saconam vocat. Jure per Sequanorum et Æduorum fines fluere; dicitur, quos dividit *Saone.*

2 *Lintribus.*] Lintres ex cavâ arbore fiunt: Unde Virg. 1 Georg.

——— *cavat arbore lintres.*

monoxyli nomine Græco dicuntur; quam rem hoc modo deſcribit Veget. lib. III. c. 7. *Commodum repertum eſt, ut monoxylos, hoc eſt paulo latiores ſcaphulas ex ſingulis trabibus excavatas, pro genere ligni et ſubtilitate leviſſima carpentis, ſecum portet exercitus.* Monoxylis etiam lintribus Plinius lib. VI. dicit vehi piper Becaren, qui portus eſt Indiæ. Livius dec. 3. lib. I. *Novaſque alias primum Galli inchoantes cavabant ex ſingulis arboribus.*

3 *De tertiâ vigiliâ*] Media nocte. Nox enim in partes quatuor dividebatur, quæ dicebantur vigiliæ; et Polyænus quidem hanc pugnam νυκτομαχίαν appellat. Tertia autem vigilia dicitur media nox. Prima vigilia ab occaſu ſolis uſque ad id ſpatium, quod medium eſt inter occaſum ſolis et mediam noctem; Secunda vigilia erat ab eo tempore uſque ad mediam noctem; Tertia vigilia, à media nocte uſque ad id ſpatium, quod medium eſt inter mediam noctem et ſolis exortum: Inde quartæ vigiliæ erat initium, et ad ortum uſque ſolis producebatur. Clepſydris autem illa ſpatia à Primipilo diſcernebantur, quæ vaſcula erant, menſuræque ex aqua, quarum artificium pete ex Vitruvio. Earum vigiliarum ſignum tuba dabatur. De quibus vide plura apud Veget.

4 *Eos impeditos et inopinantes aggreſſus,*] Vegetius lib. III. c. 7. *Inſtantes adverſarii ad tranſitus fluminum inſidias, vel ſuperventus facere conſueverunt.*

5 *Magnam partem eorum concîdit;*] Non ipſe quidem, ſed Labienus, ut prodidit memoriæ Plutarchus. Verùm quia à legato ſuo et auſpiciis ſuis res geſta, eam ſibi more Romanorum adſcribit.

6 *Is pagus.*] Hoc vicus et pagus intereſt, quod vicus ſit villarum ſeu ædium ruſticarum abſque mœnibus conjunctio; pagus verò villarum ſocietas, ditio, ager, qui multis vicis conſtat. Feſtus dicit ἀπὸ τῆς πηγῆς dici, quod ejuſdem fontis aqua uterentur. Hic autem pagus videtur eſſe *Zurich*, non conſtat tamen.

7 *In quatuor pagos.*] Id eſt in quatuor partes. Plutarchus in Numa, Εἰς μέρη τὴν χώραν διεῖλεν, ἃ πάγους προσηγόρευσεν: *In partes regionem diviſit, quos pagos appellavit.*

8 *Quod ejus ſoceri L. Piſonis,* &c.] Cæſar enim Calpurniam, L. Piſonis ſibi in conſulatu ſucceſſuri filiam, uxorem duxerat.

ejus socerı L. Pisonis avum, L Pisonem legatum, Tigurini eodem prælio, quo Cassium, interfecerant. Hoc prælio facto, reliquas copias Helvetiorum ut consequi posset, pontem in Arare faciendum curat, atque ita exercitum transducit. Helvetii repentino ejus adventu commoti, quùm id quod ipsi diebus XX ægerrimè confecerant, ut flumen transirent, illum uno die fecisse intelligerent, legatos ad eum mittunt: cujus legationis Divico Princeps fuit, [1] qui bello Cassiano dux Helvetiorum fuerat. Is ita cum Cæsare egit: si pacem populus R. cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros atque ibi futuros Helvetios, ubi Cæsar constituisset, atque esse voluisset: sin bello persequi perseveraret, reminisceretur et veteris incommodi populi R. et pristinæ virtutis Helvetiorum: [2] quòd improvisò unum pagum adortus esset, quum ii, qui flumen transissent, suis auxilium ferre non possent; ne ob eam rem, aut suæ magnopere virtuti tribueret, aut ipsos despiceret. Se ita à patribus majoribusque suis didicisse, [3] ut magis virtute, quam dolo contenderent, aut insidiis niterentur. [4] Quare ne committeret, ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate populi R. et internecione exercitûs nomen caperet, [5] ac memoriam proderet. His Cæsar ita respondit: [6] Eò sibi minus dubitationis dari, quòd eas res, quas legati Helvetii commemorassent, memoriâ teneret: atque eò graviùs ferre, quò minus merito populi R. accidisset; qui si alicujus injuriæ sibi conscius fuisset, non fuisse difficile cavere: sed eo deceptum, quòd neque commissum à se intelligeret, quare timeret, neque sine causâ timendum putaret. [7] Quòd si veteris contumeliæ oblivisci vellet; num etiam recentium injuriarum, quòd eo invito iter per Provinciam per vim tentâssent, quòd Æduos, quòd Ambarros, quòd Allobroges vexâssent, memoriam deponere posset? Quòd suâ victoriâ tam insolenter gloriarentur, quòdque tam diu se impunè tulisse injurias admiraren-

NOTÆ.

1 *Qui bello Cassiano.*] Bellum Cassianum est bellum Helveticum, quo victus est Cassius: more Romanorum scilicet, qui bellum victi nomine appellant, putà Jugurthinum, &c.

2 *Quod improviso unum pagum adortus esset,*] Desideratur vicisset; sed Ευφημίας χάριν, et cunctatus cladem fateri, maluit sic loqui.

3 *Ut magis virtute.*] Hirtius in lib. de bello Afric. *Galli hominis aperti, minimeque insidiosi, qui per virtutem, non per dolum dimicare consueverunt.*

5 *Quare ne committeret.*] Et hoc est quod Diodorus de Gallis prodidit, plurima jactanter in suam laudem et exterorum contemptum dicere, minacesque esse et detractores, suique opinione inflatos.

5 *Ac memoriam proderet.*] Sic Cic in Verre, *Imagines ad memoriam proderdam* Sic Cannæ, sic Thrasymenus lacus cladem Romanorum prodiderunt, Optimè Græcus Interpres: *Μήπως οὗτος ἐν ᾧ ἐσμὲν τόπος πανωλεθρίας μνημεῖον εἰς τὸν ἀεὶ ἔπειτα χρόνον ὑπολειφθῇ.*

6 *Eô sibi minus dubitationis dari,*] Hoc principium orationis sive responsibus Cæsaris, illi parti legati Helvetii respondet, in quâ habetur: *Sin bello persequi perseveraret, reminisceretur veteris incommodi populi* R. quasi diceret, non dubitaturum se Helvetios bello persequi, aut desiturum, propter memoriam illius cladis; cui illa memoria revocabat in animum cæsos fuisse Romanos, non quia magis imbelles Helvetiis, sed quia minus cauti. Optimè Græcus Interpres: *Τὰ ὑπό σου ῥηθέντα διὰ μνήμης ἔχοντες ἧττον ἀπορῶμεν minus sumus solliciti quod meminerimus.*

7 *Quod si veteris contumeliæ oblivisci vellet;*] Videndus Appianus, epitome Liviana, et Orosius.

ur, eodem pertinere. [1] Consuêsse enim Deos immortales, quò gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res, et diuturniorem impunitatem concedere. Cum ea ita sint, tamen si obsides ab iis sibi dentur, uti ea, quæ polliceantur, facturos intelligat; et si Æduis de injuriis quas ipsis sociisque eorum intulerint, item si Allobrogibus satisfaciant, sese cum iis pacem esse facturum. Divico respondit: Ita Helvetios a majoribus suis institutos esse, uti obsides accipere, non dare consueverint; ejus rei populum R. esse testem. Hoc responso dato, discessit. Postero die castra ex eo loco movent. Idem Cæsar facit, equitatumque omnem ad numerum quatuor millium, quem ex omni Provincia, et Æduis, atque eorum sociis coactum habebat, præmittit; qui videant, quas in partes hostes iter faciant: qui cupidiùs novissimum agmen insecuti, alieno loco cum equitatu Helvetiorum prælium committunt, et pauci de nostris cadunt. Quo prælio sublati Helvetii, quòd quingentis equitibus tantam multitudinem equitum populerant, audaciùs subsistere, nonnunquam ex novissimo agmine prælio nostros lacessere cœperunt. Cæsar suos à prælio continebat, ac satis habebat in præsentiâ hostem rapinis, pabulationibus, populationibusque prohibere. Ita dies circiter quindecim iter fecerunt, uti inter novissimum hostium agmen, et nostrum primum, non amplius quinis aut senis millibus passuum interesset. [4] Interim quotidie Cæsar Æduos frumentum, quod essent publicè polliciti, flagitare. Nam propter frigora (quòd Gallia sub Septentrionibus, ut ante dictum est, posita est) non modò frumenta in agris matura non erant, sed ne pabuli quidem satis magna copia suppetebat. Eo autem frumento, quod flumine Arare navibus subvexerat, propterea minùs uti poterat, quòd iter ab Arare Helvetii averterant; à quibus discedere nolebat. Diem ex die ducere Ædui, conferri, comportari, adesse dicere. Ubi se diutius duci intellexit; et diem instare, [5] quo die frumentum militibus metiri oporteret: convocatis eorum Principibus, quorum magnam copiam in castris habebat, in his Divitiaco et Lisco, qui summo magistratu præerat (quem

INTERPRETATIO.

a *Ineunt certamen cum equitibus Helvetiorum iniquo loco.*

NOTÆ.

1 *Conſuêſſe enim Deos immortales,*]. Valer. Max. lib. I. c, II. *Lento enim gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat.*

2 *Uti ea, quæ polliceantur.*] Nempe ſe fore in eâ parte, ubi Cæſar conſtituerit.

3 *Equitatumque omnem,*] Romanorum enim copiæ erant pedeſtres, nec equitatu valebant. Ea porro provincia, quam commemorat, eſt provincia Galliæ Narbonenſis.

4 *Interim quotidie Cæſar, &c.*] Vegetius lib. III. c. 2, *Ut pabula, frumentum, cæteræque annonariæ ſpecies, quas a provincialibus conſuetudo depoſcit, maturius exigantur.*

5 *Quo die frumentum, &c*] Non enim militibus Romanis panis coctus, ſed frumentum dabatur; ipſi milites ſuum panem coquebant. Qui mos poſtea cum diſciplinâ militari pariter exolevit, ut patet cum ex multis, tum ex Salluſtio.

[1] Vergobretum appellant Ædui, qui creatur annuus, et vitæ necisque in suos habet potestatem) graviter eos accusat, quòd, quum neque emi, neque ex agris sumi posset, tam necessario tempore, tam propinquis hostibus, ab iis non sublevetur: præsertim cùm magnâ ex parte, eorum precibus adductus, bellum susceperit: multo etiam gravius, quòd sit destitutus, queritur. Tum demum Liscus oratione Cæsaris adductus, quod antea tacuerat, proponit; esse nonnullos, quorum auctoritas apud plebem plurimùm valeat, qui privati plus possint, quam ipsi magistratus: hos seditiosa atque improbâ oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant; quòd præstare dicant, si jam principatum Galliæ obtinere non possint, Gallorum quam Romanorum imperia perferre: neque dubitare debeant, quin si Helvetios superaverint Romani, unà cum reliquâ Gallia Æduis libertatem sint erepturi: ab iisdem nostra consilia, quæque in castris gerantur, hostibus enuntiari: hos à se coërceri non posse: quin etiam, quòd necessario rem Cæsari enuntiârit, intelligere sese, quanto id cum periculo fecerit: et ob eam caussam, quamdiu poterit, tacuisse. Cæsar hac oratione Lisci Dumnorigem Divitiaci fratrem designari sentiebat: sed, quòd pluribus præsentibus eas res jactari nolebat, celeriter consilium dimittit, Liscum retinet: quærit ex solo ea quæ in conventu dixerat. Dicit liberiùs, atque audaciùs. Eadem secretò ab aliis reperit esse vera: ipsum esse Dumnorigem summâ audaciâ, magnâ apud plebem propter liberalitatem gratiâ, cupidum rerum novarum; complures annos [2] portoria, reliquaque omnia Æduorum vectigalia parvo pretio redempta habere; propterea quòd, [3] illo licente, contra liceri audeat nemo: his rebus et suam rem familiarem auxisse, et facultates ad largiendum magnas comparâsse: magnum numerum equitatûs suo sumptu semper alere et circum se habere: [a] neque solùm domi, sed etiam apud finitimas civitates, largitèr posse; atque hujus potentiæ causâ, matrem [4] in Biturigibus, homini illic nobilissimo ac potentissimo [5] collocâsse: ipsum ex

INTERPRETATIO.

a *Et eum esse potentissimum, non tantum apud suos, sed etiam in civitatibus proximis.*

NOTÆ.

1 *Vergobretum,*] Hodie Magistratus Augustoduni quod Heduorum est caput et in biennium eligitur, *Vierg* dicitur; quo nomine in totâ Galliâ nullus alius insignitur, ut antiqui nominis media pars remansisse videatur.

2 *Portoria,*] Portorium est propriè merces, quæ dabatur portitoribus: portitor autem est is, qui homines de citeriore ripâ in ulteriorem traducit. *Secundo,* Portorium dicitur vectigal, quia in transitu fluminis pendebatur.

3 *Illo licente,*] Liceri est pretium pro eâ re offerre, quam velis emere. Duas ob causas Gallorum principes viri, munia publicanorum exercebant; quia cùm potentiores aliis essent, facile ad se, quod quæstuosissimum erat, traducebant; et populis illis libentius adjudicabat, quia securius vectigalibus cavebatur, dum erant illi copiosi, qui damnum, si quod esset, præstare poterant.

4 *In Biturigibus,*] Cubis scilicet, *Berry,* ut videtur; alii enim Bituriges Vibisci, *Bourdeaux.*

5 *Collocâsse:*] Sic Scævola *in lege* XL. I. *Pater virginem filiam nuptum collocavit.* Sic alii Jurisconf. Papinianus et Paulus.

Helvetiis uxorem habere: sororem ex matre, et propinquas suas nuptum in alias civitates colocâsse: [a] favere et cupere Helvetiis, propter eam affinitatem: odisse etiam suo nomine Cæsarem et Romanos, quòd eorum adventu potentia ejus diminuta, et Divitiacus frater in antiquum locum gratiæ atque honoris sit restitutus: si quid accidat Romanis, summam in spem regni per Helvetios obtinendi venire: [b] imperio populi R. non modò de regno, sed etiam de eâ, quam habeat, gratiâ desperare. Reperiebat etiam Cæsar inquirendo, quòd prœlium equestre adversum paucis antè diebus esset factum, initium ejus fugæ a Dumnorige atque ejus equitibus factum esse; ([1] nam equitatu, quem auxilio Cæsari Ædui miserant, Dumnorix præerat) eorumque fugâ reliquum esse equitatum perterritum.

XIX. Quibus rebus cognitis, quum ad has suspiciones certissimæ res accederent: quòd per fines Sequanorum Helvetios traduxisset: quòd obsides inter eos dandos curâsset: quòd ea omnia non modò injussu suo et civitatis, sed etiam inscientibus ipsis fecisset: quòd à magistratu Æduorum accusaretur: satis esse caussæ arbitrabatur, quare in eum aut ipse animadverteret, aut civitatem animadvertere juberet. His omnibus unum repugnabat, quòd Divitiaci fratris summum in popúlum R. studium, summam in se voluntatem, egregiam fidem, justitiam, temperantiam cognoverat. Nam, ne ejus supplicio Divitiaci animum offenderet, verebatur, Itaque priùs quàm quidquam conaretur, Divitiacum ad se vocari jubet; et quotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium Procillum, principem Galliæ provinciæ, familiarem suum, cui summam rerum omnium fidem habebat, cum eo colloquitur; simul commonefacit, quæ ipso præsente in concilio Gallorum de Dumnorige sint dicta, et ostendit quæ separatim quisque de eo apud se dixerit: petit atque hortatur, ut sine ejus offensione animi, vel ipse de eo, caussâ cognitâ, statuat, vel civitatem statuere jubeat.

XX. Divitiacus multis cum lacrymis Cæsarem complexus obsecrare cœpit, ne quid gravius in fratrem statueret: scire se illa esse vera, nec quenquam ex eo plus, quàm se, doloris capere; [c] propterea quòd, (quum ipse gratiâ plurimum domi, atque in reliquâ Galliâ, ille minimum propter adolescentiam posset) per se crevisset; [2] quibus opibus ac nervis, non solùm ad minuendam gratiam, sed penè ad

INTERPRETATIO.

a *Studere et bene velle Helvetiis ob eam affinitatem.*

b *Populo Romano rerum potiente, non solum desperare de regno, verum de illâ quoque autoritate, quâ valeat.*

c *Quia ille auctus esset suâ operâ, cum ipse haberet magnam autoritatem in suâ civitate, atque in ceterâ Galliâ; ille vero nullam, ob suam juventutem.*

NOTÆ.

1 *Nam equitatu, &c.*] Gellius: *Bene legunt equitatu, et volunt illud i superfluum in dandi casu. Sic Cæsar in Anti-catone; unius superbiæ dominatuque;* et Virg.

—— *teque aspectu ne subtrahe nostro.*

2 *Quibus opibus ac nervis.*] Sic dicuntur vires, comparatione ductâ ab animalium corporibus, quorum vires in nervis consistunt.

perniciem suam uteretur: sese tamen et amore fraterno, et existimatione vulgi commoveri: quòd si quid ei à Cæsare gravius accidisset, cùm ipse eum locum amicitiæ apud eum teneret, neminem existimaturum non suâ voluntate factum; quâ ex re futurum, uti totius Galliæ animi à se averterentur. Hæc quum pluribus verbis flens à Cæsare peteret, Cæsar ejus dextram prehendit: consolatus rogat finem orandi faciat: tanti ejus apud se gratiam esse ostendit, uti et Reip. injuriam, et suum dolorem, ejus voluntati ac precibus condonet. Dumnorigem ad se vocat, fratrem adhibet: quæ in eo reprehendat, ostendit; quæ ipse intelligat, quæ civitas queratur, proponit: monet, ut in reliquum tempus omnes suspiciones vitet; præterita se Divitiaco fratri condonare dicit. Dumnorigi custodes ponit, ut, quæ agat, quibuscum loquatur, scire posset.

XXI. Eodem die ab exploratoribus certior factus hostes sub montem consedisse, millia passuum ab ipsius castris octo: qualis esset natura montis, et qualis in circuitu adscensus, qui cognoscerent, misit: renunciatum est facilem esse. De tertiâ vigiliâ T. Labienum legatum [1] pro Prætore cum duabus legionibus, et iisdem ducibus, qui iter cognoverant, [2] summum jugum montis ascendere jubet; quid sui consilii sit, ostendit. Ipse de quartâ vigiliâ eodem itinere, quo hostes ierant, ad eos contendit, equitatumque omnem ante mittit. P. Considius, qui rei militaris peritissimus habebatur, et in exercitu [3] L. Syllæ, et postea in [4] M. Crassi fuerat, cum exploratoribus præmittitur.

XXII. Primâ luce, quum summus mons à T. Labieno teneretur, ipse ab hostium castris non longiùs mille et quingentis passibus abesset; neque, ut postea ex captivis comperit, aut ipsius adventus, aut Labieni, cognitus esset: [a] Considius equo admisso ad eum accurrit: dicit montem, quem à Labieno occupari voluerit, ab hostibus teneri: id se à Gallicis armis atque insignibus cognovisse. Cæsar suas copias in proximum collem subducit, aciem instruit. Labienus, ut erat ei præceptum à Cæsare, ne prœlium committeret, nisi ipsius copiæ prope hostium castra visæ essent, ut undique uno tempore in hostes impetus fieret; monte occupato, nostros expectabat, prœlioque abstinebat.

INTERPRETATIO.

a *Considius advolat ad ipsum equô incitatô.*

NOTÆ.

1 *Pro Prætore.*] Alii legant properè, alii verò pro Prætore, aut videatur extraordinaria potestas illi data. Sic apud Romanos fieri solitum, cùm absente Magistratu, cui erat Provincia decreta, ejus legati cum imperio ad rem gerendam mitterentur: quod ex aliquot denariis probatur, in quibus legati pro Prætore dicuntur, quos Flavius Ursinus commemorat.

2 *Summum jugum*] Sic dicitur quod jungatur, et in arcum curvetur. Propriè cacumen montis. Aliæ sunt ejus vocis significationes tropicæ, et ab hac prima deductæ.

3 *L. Syllæ.*] Lucius Cornelius Sylla patricio genere natus multa bella externa et civilia gesserat, quæ require apud Plutarchum in ejus vitâ.

4 *M. Crassi.*] Marcus Crassus omnium Romanorum ditissimus, qui à Parthis fuit occisus. Ejus pariter res gestas vide apud eundem Plutarchum et Appianum in lib. 1. de bello civili, item in Parthico.

Multo denique die per exploratores cognovit Cæsar, et montem à suis teneri, et hostes castra movisse, et Considium timore perterritum, quòd non vidisset, pro viso sibi renuntiâsse. Eo die quo consuêrat intervallo, hostes sequitur, et millia passuum tria ab eorum castris castra ponit.

XXIII. Postridie ejus diei, quòd omnino biduum supererat, quum exercitu frumentum metiri oporteret, et quòd à [1] Bibracte oppido Æduorum longè maximo ac copiosissimo, non ampliùs millibus passuum XVIII aberat, rei frumentariæ prospiciendum existimavit: et iter ab Helvetiis avertit, ac Bibracte ire contendit. Ea res per fugitivos [2] L. Æmilii, Decurionis equitum Gallorum, hostibus nuntiatur. Helvetii, seu quòd timore perterritos Romanos discedere existimarent, eò magis, quòd pridie superioribus locis occupatis, prœlium non commisissent; sive quòd re frumentariâ intercludi posse confiderent, commutato consilio, atque itinere converso, nostros à novissimo agmine insequi ac lacessere cœperunt.

XXIV. Postquam id animadvertit, copias suas Cæsar in proximum collem subducit, equitatumque, qui sustineret hostium impetum, misit. Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quatuor veteranarum, ità utì supra se in summo jugo duas legiones quas in Galliâ citeriore proximè conscripserat, et omnia auxilia collocaret, ac totum montem hominibus compleret. Intereà sarcinas in unum locum conferri, et eum ab iis, qui in superiore acie constiterant, muniri jussit. Helvetii, cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum contulerunt: ipsi confertissimâ acie, rejecto nostro equitatu, [3] phalange factâ [a] sub primam nostram aciem successerunt.

XXV. [4] Cæsar primùm suo, deinde omnium è conspectu remotis

INTERPRETATIO.

a *Progreſſi ſunt ad noſtram primam aciem*

NOTÆ.

1 *Bibracte.*] Æduorum oppidum longè maximum atque copioſiſſimum, nunc in vici formam redactum, haud longè ab Auguſtoduno. Nunc dicitur, *Beuray*.

2 *L. Æmilii Decurionis.*] Decuriones et Centuriones, ut Nonio Marcello videtur, à numero militum, cui præerant, dicebantur. Cum enim ab initio Romulus tria millia peditum, equites tricentos habuiſſet, in tres tribus totum illum numerum diſtribuit: quarum tribuum unamquamque in decem curias partitus eſt. Curia autem centum habebat pedites, decemque equites: quibus equitibus decem qui præerat, Decurio dicebâtur. Poſtea verò creſcente numero, mutata eſt etiam ratio; et pro decuria facta eſt turma, quæ teſte Vegetio, lib. II. cap. 14. equites habet xxxii. quibus qui præest vocatur Decurio, qualis hic erat turmæ præfectus L. Æmilius.

3 *Phalange factâ.*] Non hic intelligit phalangem, qualem deſcribit Ælianus, c. 7. quæ est coagmentata ex pluribus decurſis, ſed potiùs qua appellat συνασπισμὸν, cùm in longitudine et latitudine ſecundùm paraſtatam atque epiſtatam ita contrahitur, ut propter contiguitatem nec dextrorſum nec ſiniſtrorſum inclinationem exercitus admittat; quam aciei diſpoſitionem ſuſtinendo hoſtium impetui aptiorem, quam inferendo dicit, et probat ipſe hujus pugnæ eventus; cùm enim invadentes Helvetii junctis clypeis pugnarent, magno fuit ipſis impedimento, quòd pluribus eorum ſcutis uno ictu pilorum transfixis colligatiſque, commodè pugnandi facultas esset erepta.

4 *Cæſar primum ſuo. &c.*] Suetonius: *Ancipiti prælio equos dimittebat, et in primis ſuum, quo major permanendi neceſſitas imponeretur, auxilio fugæ erepto.* Plutarchus vero narrat, ipſi cum adductus eſſet equus, recuſâſſe

equis, ut, æquato periculo, spem fugæ tolleret; [1] cohortatus suos, prœlium commisit. Milites, è loco superiore [2] pilis missis, facilè hostium phalangem perfregerunt: ea disjectâ, gladiis districtis, in eos impetum fecerunt. Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quòd pluribus eorum [3] scutis uno ictu pilorum transfixis [4] et colligatis, cùm ferrum se inflexisset, neque evellere, neque, sinistrâ impeditâ, satis commodè pugnare poterant: multi ut, diù jactato brachio, præoptarent scutum manu emittere, et [5] nudo corpore pugnare. Tandem vulneribus defessi, et pedem referre, et quòd mons suberat circiter mille passuum, eò se recipere cœperunt. Capto monte, et succedentibus nostris, Boii et Tulingi, qui hominum millibus circiter XV agmen hostium claudebant, et novissimis præsidio erant, ex itinere nostros latere aperto aggressi, circumvenire; et id conspicati Helvetii, qui in montem sese receperant, rursus instare, et prœlium redintegrare cœperunt. [6] Romani conversa signa tripartito intulerunt, prima ac secunda acies, ut victis ac submotis resisteret; tertia, ut venientes exciperet. Ità, [7] ancipiti prœlio, diù atque acritèr pugnatum est.

XXVI. Diutiùs quùm nostrorum impetum sustinere non possent, alteri se, ut cœperant, in montem receperunt; alteri ad impedimenta et carros suos se contulerunt. Nam hoc toto prœlio, quum [8] ab horâ septimâ ad vesperam pugnatum sit, adversum hostem videre nemo potuit. [9] Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est: propterea quòd pro vallo carros objecerant, [10] et è loco superiore in nostros venientes tela conjiciebant, et nonnulli inter carros rotasque

NOTÆ.

his verbis ufum: Hoc utar poft victoriam ad perfequendos, nunc eamus contra hoftes: atque fic peditem excurriffe. Idem feciffe apud Mundam narrat Frontinus, lib. II. c. 8.

1 *Cohortatus fuos.*] Nunquam fine cohortatione ad prælium fuos mittebat

2 *Pilis miffis*] Pilum fuit telum Romanum, cujus haftile pedum quinque et femis; ferrum triangulum, unciarum novem, quod arte et virtute directum, et fcutatos pedites, et loricatos equites fæpe tranfverberabat.

3 *Scutis*] Scutum differt à clypeo rotundo, quia oblongum eft, et hoc notat *συνασπισμός*, quod fcuta Gallorum fic pilis fuerint veluti confuta.

4 *Et colligatis, cùm ferrum*, &c.] Hoc ideo fiebat, quia tale erat ferrum pili, et tam tenue, ut fe infixum inflecteret, ideo autem tenue et hebetabile, ut ne hoftibus ufui effe poffet, et rejici.

5 *Nudo corpore*] Non infolitum Gallis, quos Livius ait nudos pugnâffe, ideoque eminùs, Romanorum pilis confixos occubuiffe.

6 *Romani converfa figna*, &c.] Converfio fignorum eft motio militum fingulorum, cum in haftam, id eft, dextrorfum fe convertunt: vel in fcutum, id eft, finiftrorfum. Romanorum verò manipulorum figna erant diverfa; modò Deorum imagines, mòdo Imperatorum; fed legionis fignum erat Aquila nec plus unâ erat in una legione.

7 *Ancipiti prœlio,*] Hic anceps prœlium dicitur, quia duobus in locis pugnatur.

8 *Ab hora feptima.*] Ab hora prima pomeridiana, vel circiter; horas enim ab ortu folis numerabant, eratque fexta quæ nunc dicitur meridiana.

9 *Ad multam noctem*] Plutarchus habet Εἰς μέσας νύκτας, five apud Cæfarem *mediam* pro *multam* legerit, five alibi.

10 *Et è loco fuperiore*] Veget. lib. iii. c. 13. *In fubjectos enim vehementius tela defcendunt, et majore impetu obnitentes pars altior pellit: qui adverfo nititur clivo, duplex fubit et cum loco et cum hofte certamen.*

[1] mataras ac tragulas subjiciebant, nostrosque vulnerabant. Diu quum esset pugnatum, [2] impedimentis castrisque nostri potiti sunt. Ibi Orgetorigis filia, atque unus è filiis captus est. [3] Ex eo prœlio circiter millia hominum CXXX superfuerunt, eâque totâ nocte continentèr ierunt; nullam partem noctis itinere intermisso, [4] in fines Lingonum die IV pervenerunt; quum et propter vulnera militum, et [5] propter sepulturam occisorum, nostri triduum morati, eos sequi non potuissent. Cæsar ad Lingones litteras nuntiosque misit, ne eos frumento, neve aliâ re juvarent: qui si juvissent, se eodem loco illos, quo Helvetios, habiturum. Ipse, triduo intermisso, cum omnibus copiis eos sequi cœpit.

XXVII. Helvetii, omnium rerum inopiâ adducti, legatos de deditione ad eum miserunt: qui quum eum in itinere convenissent, seque ad pedes projecissent, supplicitérpue locuti, flentes pacem petîssent, atque eos in eo loco, quo tum essent, suum adventum expectare jussisset, paruerunt. Eò postquam Cæsar pervenit, obsides, arma, [6] servos, qui ad eos perfugissent, poposcit. Dum ea conquiruntur, et conferuntur, nocte intermissâ circiter hominum millia VI ejus pagi, qui [7] Verbigenus appellatur, sive timore perterriti, ne, armis traditis supplicio afficerentur;

NOTÆ.

1 *Mataras ac tragulas.*] Telorum genera. Matara erat Gallica. Sisenna, lib. III. hist. apud Nonium in voce, lancea: *Galli materibus, Suevi lanceis configunt.* Autor libri ad Heren. *Ut si quis Macedones appellaret hoc modo: Non tam citò Sarissæ Græciâ potitæ sunt: aut idem Gallos significans dicat: Nec tam facile ex Italia mataris transalpina depulsa est.* Galli appellant *matras* jaculum pennatum, quod ex arcu balista mittitur. Tragula à trahendo quod scutis trahatur; genus pili erat quod amentum habebat, ut patet ex v. lib. Cæsaris de bello Gall.

2 *Impedimentis castrisque nostri potiti sunt.*] Suetonius ait; Nullum unquam eum hostem vicisse, quin castris exuerit: sed Gallis erant pro castris objecti carri.

3 *Ex eo prælio circitèr*, &c.] Variant in eo numero scriptores Strabo et Plutarchus, sed major fides Cæsari debetur, non tantum quia testis occulatus, sed quia majorem superstitum hostium numerum tradidit, quem non temere videtur fuisse amplificaturus. Sed ut semel dicam quod sentio, parva fides est numeris, in quibus semper fuit facilis librariorum lapsus, non solum apud Cæsarem, sed ubique.

4 *In fines Lingonum*] Frontino dicitur Lingonum opulentissima civitas, quæ LXX millia hominum Domitiano tradidit. Accensi sunt Belgis à Plinio et Ptolemæo: sed postea Celtis sunt attributi. Nec mirum, cum enim Matrona fluvius sit notus Belgarum et Celtarum limes, oriaturque in Lingonum finibus, utris accensendi sint, satis incertum est. Eorum Metropolis est Andomatunum. Mosam in finibus Lingonum oriri dicit Cæsar, lib iv. Itaque eorum fines noti, qui accuratius ex Lingonum Ecclesiastica Diœcesi possunt cognosci.

5 *Propter sepulturam*] Quæ sepultura apud antiquos plus temporis et impensæ postulabat: erant enim cædenda et congerenda ligna ad cadaverum ustionem, et aperienda terra ad reliquiarum defossionem. Porrò tantam sepulturæ rationem habebant, ut de donativo certam pecuniam tota legio conferret, ad sepulturam, si quis contubernalium defecisset, teste Vegetio, lib. ii. c. 20.

6 *Servos qui ad eos profugissent.*] Quia servi à dominis duriter habebantur, vel quod naturâ homines libertatem amant, simul ubì servi in conspectu hostilis erant exercitus, ad illum confugiebant. Ita superius per fugitivos L. Æmilii Decurionis equitum Gallorum, quòd Bibracte Cæsar ire contendisset, continuò fuit Helvetiis nuntiatum. Atque hæc fortasse causa fuit, cur gregariis militibus servos habere raro liceret.

7 *Verbigenus*] Verbigenus pagus ignoratur, cum tota ipsa natio perierit.

sive spe salutis inducti, quòd, in tantâ multitudine [1] dedititiorum, suam fugam aut occultari, aut omnino ignorari posse existimarent: primâ noctis vigiliâ, ex castris Helvetiorum egressi, ad Rhenum, finesque Germanorum contenderunt.

XXVIII. Quod ubi Cæsar rescivit, quorum per fines iêrant, his, uti conquirerent, et reducerent, si sibi purgati esse vellent, imperavit. [2] Reductos in hostium numero habuit: reliquos omnes, obsidibus, armis, perfugis traditis, in deditionem accepit. Helvetios, Tulingos, Latobrigos, in fines suos, unde erant profecti, reverti jussit; et quòd, omnibus frugibus amissis, domi nihil erat, quo famem tolerarent, Allobrogibus imperavit, ut his frumenti copiam facerent: ipsos, oppida, vicosque, quos incenderant, restituere jussit. Id eâ maximè ratione fecit, quòd noluit eum locum, unde Helvetii discesserant, vacare: ne propter bonitatem agrorum, Germani, qui trans Rhenum incolunt, è suis finibus in Helvetiorum fines transirent, et finitimi Galliæ Provinciæ, Allobrogibusque essent. [3] Boios, petentibus Æduis (quòd egregiâ virtute erant cogniti,) ut in finibus suis collocarent, concessit: quibus illi agros dederunt, quosque posteà in parem juris libertatisque conditionem, atque ipsi erant, receperunt.

XXIX. In castris Helvetiorum tabulæ repertæ sunt [4] literis Græcis confectæ, et ad Cæsarem perlatæ; quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset eorum, qui arma ferre possent, et item separatim pueri, senes, mulieresque. [5] Quarum omnium rerum summa erat, capitum Helvetiorum millia CCLXIII. Tulingorum millia XXXVI. Latobrigorum XIV. Rauracorum XXIII. Boiorum XXXII. Ex his, qui arma ferre possent, ad millia XCII. Summa omnium fuerat ad millia CCCLXVIII. Eorum, qui domum redierunt, [6] censu habito, ut Cæsar imperaverat, repertus est numerus millium C et X.

NOTÆ.

1 *Dedititiorum.*] Dedititii qui victi armis, in finem ſe tradiderant, eâ lege ut ne mancipia fierent.

2 *Reductos in hoſtium numero habuit;*] Id eſt, aut necavit, aut ſub corona vendidit, quæ fortuna vi captorum hoſtium erat.

3 *Boios, petentibus Æduis.*] Id ea maximè ratione videntur feciſſe Ædui, quod Boii Gallica eſſent origine, imo et Galli; qui in Germaniam ſuperiori tempore tranſierant. Nunc *Bourbonnois.*

4 *Litteris Græcis confectæ.*] Cum litteræ ſint orientalem hominum commentum, vix potuerunt illud ab aliis, quam à Maſſilienſibus, utpote finitimis, accepiſſe; qui cum ab oriente veniſſent, et Græcâ eſſent origine, ſuas illis Græcas litteras tradiderunt: ſed orationem fuiſſe Gallicam exiſtimo, etſi litteræ Græcæ fuerint. Fateor aliter nonnullis doctis videri, nempe et litteras fuiſſe Græcas et ſermonem Græcum, citareque in hanc ſententiam ex lib. v. horum Commentariorum: *Hanc Græcis conſcriptam litteris,* &c. ſed quod ibidem ſubjungit Cæſar: *Ne interceptâ epiſtolâ noſtra ab hoſtibus concilia cognoſcantur,* manifeſtè probat nullum fuiſſe Gallis linguæ Græcæ uſum.

5 *Quarum omnium rerum ſumma,* &c.] Mirum, quantum in eis numeris et à Cæſare, et inter ſe etiam diſcrepent Strabo, Plutarchus, Eutropius, et Orotius: cujus varietatis cauſa petenda ex ſcribarum erroribus, qui facile in numerorum notas invaſerunt. Cauſabonus in Polyænum fatetur, Cæſaris, Strabonis, et Plutarchi, ipſiuſque Polyæni eſſe corruptos textus in eo loco.

6 *Cenſu habito.*] Cenſus hic eſt tantummodo capitum enumeratio. Romæ verò cenſus præter hanc capitum enumerationem, facultatum etiam æſtimationem, populique certas in claſſes diſtributionem complectebatur.

XXX. Bello Helvetiorum confecto, [1] totius ferè Galliæ legati, principes civitatum, ad Cæsarem gratulatum convenerunt: [a] intelligere sese, tametsi pro veteribus Helvetiorum injuriis populus R. ab iis pœnas bello repetisset; tamen eam rem non minùs ex usu terræ Galliæ, quàm populi R. accidisse: propterea quòd eo consilio, florentissimis rebus, domos suas Helvetii reliquissent, uti toti Galliæ bellum inferrent, imperioque potirentur, locumque domicilio ex magnâ copiâ deligerent, quem ex omni Gallia opportunissimum ac fructuosissimum judicâssent; reliquasque civitates [2] stipendiarias haberent. Petiêrunt, utì sibi consilium totius Galliæ in diem certam indicere, idque Cæsaris voluntatæ facere, liceret. Sese habere quasdam res, quas è communi consensu ab eo petere vellent. Eâ re permissâ, diem concilio constituerunt, et jurejurando, ne quis enuntiaret, nisi quibus communi consilio mandatum esset, inter se sanxerunt.

XXXI. Eo consilio dimisso, iidem principes civitatum, qui antè fuerant, ad Cæsarem reverterunt: petieruntq; utì sibi secretò de suâ omniumq; salute cum eo agere liceret. Eâ re impetratâ, sese omnes flentes Cæsari ad pedes projecerunt [b] non minùs se ïd contendere et laborare, ne ea, quae dixissent, enuntiarentur, quàm utì ea, quae vellent, impetrarent: propterea, quòd si enuntiatum esset, summum in cruciatum se venturos viderent. Locutus est pro his Divitiacus Æduus: Galliae totiùs [3] factiones esse duas: harum alterius principatum tenere Æduos, alterius [4] Arvernos. Hi quum tantoperè de potentatu inter se multos annos contenderent, factum esse, utì ab Arvernis Sequanisq; Germani mercede accerserentur. Horum primò circiter millia XV Rhenum transisse; posteaquam agros, et cultum, et [5] copias Gallorum, homines feri ac barbari adamâssent, transductos plures; nunc esse in Galliâ ad C et XX millium numerum: cum his Æduos, eorumq; clientes, semel atq; iterum armis contendisse; magnam calamitatem pulsos accepisse: omnem nobilitatem, omnem Senatum, omnem equitatum

INTERPRETATIO.

a Dicentes *ſcire ſe, quamvis populus R. cepiſſet ſupplicium de illis propter antiquas injurias ab Helvetiis acceptas, nihilominus id eveniſſe non minus in commodum Galliæ, quàm populi R.*

b Dicentes *non minus ſe id petere et eniti, ne efferentur ea quæ locuti eſſent, quam ut conſequerentur ea quæ cuperent.*

NOTÆ.

1 *Totius fere Galliæ legati.*] Celticæ ſcilicet, neque enim Belgicæ videtur quæ bellum parabat.

2 *Stipendiarius*] A ſtipendio ſtipendiarius, id eſt vectigalis, quia ſtipendia pendebat. Stipendium autem dictum eſt, quod per ſtipes, id eſt, modica æra colligatur.

3 *Factiones eſſe duas.*] Factionis primum honeſtum vocabulum fuit, autore Feſto. Ut de factiones quadrigariorum atque hiſtrionum. Tandem pro ſeditioſa civium in certas partes diviſione acceptum eſt.

4 *Arvernos*] Notus Galliæ populus, qui adhuc nomen retinet, *Auvergne*, continenturque Diœceſibus Eccleſiaſticis Claromontis, et ſancti Flori: tantæ olim autoritatis, ut teſte Strabone, ad Narbonenſium Maſſilienſiumque fines, Pyrenæos montes, Oceanumque et Rhenum pertineret. Hoc et teſtantur bella, quæ contra Romanos Bituito duce geſſerunt.

5 *Copias Gallorum.*] Copiæ hic non pro hominum multitudine, ſed pro opibus et abundantia accipiuntur: cujus ſignificationes rariora ſunt apud hiſtoricos exempla.

amisisse. Quibus prœliis calamitatibusq; fractos, qui et suâ virtute [1] et populi R. hospitio atque amicitiâ, plurimum antè in Galliâ potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare nobilissimos civitatis, et jurejurando civitatem obstringere, sese neque obsides repetituros, neque auxilium à populo R. imploraturos, neque recusaturos, quo minùs perpetuò sub illorum ditione atque imperio essent. Unum se esse ex omni civitate Aeduorum, qui adduci non potuerit, ut juraret, aut suos liberos obsides daret: ob eam rem se ex civitate profugisse, et Romam ad Senatum venisse, auxilium postulatum; quòd solus neque jurejurando, neque obsidibus teneretur. Sed pejùs victoribus Sequanis, quàm Aeduis victis accidisse: propterea quòd Ariovistus rex Germanorum in eorum finibus consedisset, tertiamque partem agri Sequani, qui esset optimus totius Galliæ, occupavisset, et nunc de alterâ parte tertiâ Sequanos decedere juberet; propterea quòd, paucis mensibus antè, [2] Harudum millia hominum XXIV ad eum venissent, quibus locus ac sedes pararentur: futurum esse paucis annis, utì omnes è Galliæ finibus pellerentur, atque omnes Germani Rhenum transirent: neque enim conferendum esse Gallicum cum Germanorum agro, neque hanc consuetudinem victûs cum illâ comparandam. Ariovistum autem, ut semel Gallorum copias prœlio vicerit, quod prœlium factum sit [3] Amagetobriæ, superbè et crudeliter imperare, obsides nobilissimi cujusque liberos poscere, et in eos [4] omnia exempla cruciatûs edere, si qua res non ad nutum aut ad voluntatem ejus facta sit: hominem esse barbarum, iracundum, temerarium: non posse ejus imperia diutiùs sustineri: nisi quid in Cæsare populoque R. sit auxilii, omnibus Gallis idem esse faciendum, quod Helvetii fecerunt, ut domo emigrent; aliud domicilium, alias sedes, remotas à Germanis, petant, fortunamque, quæcunque accidat, experiantur. Hæc si enunciata Ariovisto sint, non dubitare, quin de omnibus obsidibus, qui apud eum sint, gravissimum supplicium sumat. Cæsarem, vel auctoritate suâ atque exercitûs, vel recenti victoriâ, vel nomine populi R. deterrere posse, ne major multitudo Germanorum Rhenum transducatur. Galliamque omnem ab Ariovisti injuriâ posse defendere.

NOTÆ.

1 *Et populi R. hospitio.*] Publico ſcilicet, aliud enim privatum, aliud publicum; ſed primum fuit privatum, à quo publicum fluxit. De privato infra dicetur, ubi ejus comparebit exemplum. Hoc publicum qui eſſet adeptus, huic peregrè advenienti dabatur locus et lautia, ut patet ex Liv. iii. dec. lib. viii. *Locus inde lautiaque legatis* Saguntinorum *præberi jussa.* De lautiis autem ſic teſtatur Feſtus, in voce Dacrimas: *Item dautia quæ et lautia dicimus, et dantur legatis hoſpitii gratia.* Et alibi: *Lautia epularum magnificentia.*

2 *Harudum*] Gens Germanica, quæ ignoratur. Quorundam Charudum mentionem facit Ptolemæus, quos in Cimbrica Cherſoneſo conſtituit; qui ſi ſunt, videntur eſſe horum reliquiæ. quæ procul à Romanis in ultimas terras, conceſſerint.

3 *Amagetobriæ,*] Amagetobriæ locus ignoratur. Conjicitur tamen eſſe Bingam ex his verſibus Auſonianis,

Tranſieram celerem nebuloſo flumine Navam
Addita miratus veteri nova mœnia vico,
Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas.

Ubi enim ille fluvius in Rhenum influit, Binga poſita eſt.

4 *Omnia exempla cruciatûs edere.*] Terent. in Eunucho: *Quæ futura eſſe exempla dicunt in eum indigna:* nempe quia pœnæ non tantum ad vindictam, ſed potius ad exempla.

XXXII. Hâc oratione à Divitiaco habitâ, omnes, qui aderant, magno fletu auxilium à Cæsare petere cœperunt. Animadvertit Cæsar unos ex omnibus Sequanos nihil earum rerum facere, quas cæteri facerent, sed tristes, capite demisso, terram intueri. Ejus rei quæ caussa esset, miratus, ex ipsis quæsivit. Nihil Sequani respondêre, sed in eâdem tristitiâ taciti permansêre. Quùm ab iis saepiùs quaereret, neque ullam omnino vocem exprimere posset; idem Divitiacus Aeduus respondit. Hoc esse miseriorem graviorem que fortunam Sequanorum, quàm reliquorum, quòd soli nec in occulto quidem queri, nec auxilium implorare auderent; absentisque Ariovisti crudelitatem, velut si coram adesset, horrerent; propterea quòd reliquis tamen fugae facultas daretur; Sequanis verò, qui intra fines suos Ariovistum recipissent, [1] quorum oppida omnia in potestate ejus essent, omnes cruciatus essent perferendi.

XXXIII. His rebus cognitis, Caesar Gallorum animos verbis confirmavit, pollicitusque est, sibi eam rem curae futuram; magnam se habere spem, et beneficio suo et auctoritate adductum Ariovistum, finem injuriis facturum. Hac oratione habitâ, concilium dimisit. Et secundùm ea multae res eum hortabantur, quare sibi eam rem cogitandam, et suscipiendam putaret: imprimis, quòd Aeduos, fratres consanguineosq; saepenumerò ab Senatu appellatos, in servitute atque in ditione videbat Germanorum teneri, eorumque obsides esse apud Ariovistum ac Sequanos intelligebat: [a] quod in tanto imperio populi R. turpissimum sibi et Reipub. esse arbitrabatur. Paullatim autem Germanos consuescere Rhenum transire, et in Galliam magnam eorum multitudinem venire, [2] populo R. periculosum videbat: neque sibi homines feros ac barbaros temperaturos existimabat, quin, quum omnem Galliam occupâssent, ut ante [3] Cimbri Teutonique fecissent, in provinciam exirent, atque indè in Italiam contenderent; praesertim quùm Sequanos à Provinciâ nostrâ Rhodanus divideret. Quibus rebus quàm maturrimè occurrendum putabat. Ipse autem Ariovistus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut ferendus non videretur.

XXXIV. Quamobrem placuit ei, ut ad Ariovistum legatos mitteret,

INTERPRETATIO.

a *Quod existimabat esse probrosissimum sibi, et Reipub. re Romanâ tantopere florente.*

NOTÆ.

1 *Quorum oppida omnia*] Hoc est, quod Ariovistus infra dicit, se *sedes habere in Gallia ab ipsis* Gallis *concessas:* quæ oppida primum videtur sui muniendi causâ accepisse, deinde Galliæ impugnandæ causâ retinuisse.

2 *Populo R. periculosum videbat.*] Si secutis temporibus, Valens Imperator Cæsaris exemplum et consilium secutus fuisset, in bella, quibus tandem oppressus fuit, non incidisset. Gothi enim cum ab ipso petiissent, ut voluntate ejus Danubium transire liceret, Thraciæque partem colere, concessit incautus: sed quasi aliis popularibus illi viam et aditum in Romanorum terras patefecissent, tanta secuta est illius gentis colluvies, ut nullis postea viribus ab Imperatoris, et Romanorum pernicie potuerint retardari.

2 *Cimbri Teutonique.*] Germanicæ gentes, quas C. Marius Italiæ et Provinciæ Gallicæ se superfundentes, internecione delevit. Cimbri nunc Dani, Germani verò se sua lingua etiam nunc Teutonos dicunt.

qui ab eo postularent, ut aliquem locum [1] medium utriusque colloquio deligeret: velle sese de Rep. et summis utriusque rebus cum eo agere. [2] Ei legationi Ariovistus respondit: Si quid ipsi à Caesare opus esset, sese ad eum venturum fuisse: si quid ille à se velit, illum ad se venire oportere: praeterea se neque sine exercitu in eas partes Galliae venire audere, quas Caesar possideret, neque exercitum sine magno commeatu atque [3] molimento in unum locum contrahere posse: sibi autem mirum videri, quid in suâ Galliâ, quam bello vicisset, aut Caesari, aut omninò populo R. negotii esset.

XXXV. His responsis ad Caesarem relatis, iterum ad eum Caesar legatos cum his mandatis mittit: [4] Quoniam tanto suo populique R. beneficio affectus (quum in consulatu suo rex atque amicùs à Senatu appellatus esset,) hanc sibi populoque R. gratiam referret, ut in colloquium venire invitatus gravaretur, neque de communi re dicendum sibi et cognoscendum putaret; haec esse, quae ab eo postularet: Primùm; [5] ne quam multitudinem hominum ampliùs trans Rhenum in Galliam transduceret: deinde obsides, quos haberet ab Aeduis, redderet: Sequanisque permitteret, ut, quos illi haberent, voluntate ejus reddere illis liceret: neve Aeduos injuriâ lacesseret: neve his sociisve eorum bellum inferret: si id ita fecisset, sibi populoque R. perpetuam gratiam atque amicitiam cum eo futuram; si non impetraret, quoniam M. Messalâ, M. Pisone Coss. Senatus censuisset, utì, quicunque Galliam provinciam obtineret, [6] quod commodo Reip. facere posset, Aeduos caeterosque amicos populi R. defenderet, se Aeduorum injurias non neglecturum.

NOTÆ.

1 *Medium utriuſque colloquio.*] Colloquium eſſe videtur prima et certiſſima ratio, humanitatique maximè conſentanea, quâ vitari poteſt, ne controverſia in bellum erumpat. Cicero lib. 1. de officiis: *Cum duo ſint genera diſceptandi; unum per diſceptationem, alterum per vim; cum illud primum ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet priore.* Tum ſic longe facilius et certius, quam per legatos et nuncios res geritur.

2 *Ei legatione Arioviſtus reſpondit.*] Sic de Arioviſti reſponſo Florus: *Quis eſt autem Cæſar? et, ſi vult, veniat, inquit. Et quid ad illum agat noſtra Germania? Num ego me interpono Romanis?*

3 *Molimento.*] Sic legendum, non emolumento. Neque enim emolumentum Latine aliud ſignificat, quam quæſtum. Hanc vero vocem, *molimenti* ſcilicet, uſurpavit Siſenna, lib. iv. hiſt. apud Nonium: *Contra magno cum molimento, ac perpetuo ſono procedunt.* Item Livius lib. v. *Motam certa ſede ſua parvi molimenti adminiculis, ſequentis modo, accipimus levem ac facilem tranſlatu fuiſſe* De ſtatua Junonis.

4 *Quoniam tanto ſuo populique R beneficio affectus.*] Hoc à Cæſare factum fuerat, ut amicos ſuæ tyrannidi pararet, quam jam tum animo meditabatur: ſed ſua cauſa quod fuerat à ſe factum, hic ſibi gratiæ ab Arioviſto poſtulat apponi. Porrò magno honori eſſe ſolebat, ſocietatem et amicitiam populi R. adipiſci.

5 *Ne quam multitudinem hominum.*] Quanquam multis hujus ſæculi viſum eſt, materiam bellorum à Cæſare levi de cauſa fuiſſe quæſitam, tamen æqua fuit illa poſtulata, quæ ferri curavit Arioviſto. Eventus enim poſtea docuit, cavendum fuiſſe Romanis ab illis ſeptentrionalibus populis, unde tandem Romano imperio fuit orta pernicies; de quibus Cerealis apud Tacit. lib. xx: hiſt. *Germanos ſæpe in Galliam tranſcendiſſe, neque aliam tranſeundi cauſam eis, quam libidinem, avaritiam, et mutandæ ſedis amorem; ut, relictis, paludibus et ſolitudinibus, fœcundiſſimum Galliæ ſolum unà cum Gallis poſſiderent.* Prævidebat quidem Cæſar illum ſuis poſtulatis exaſperatum iri: ſed inde belli cauſæ, quas Cæſar non recuſabat, imò, autore Dione, quærebat.

6 *Quod commodo Reip.*] Solemnis hæc in publica re mandata, nec omittenda exceptio; ne, temporibus mutatis, quod à po-

XXXVI. Ad haec Ariovistus respondit: Jus esse belli, ut, qui vicissent, iis, quos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent: item populum R. victis non ad alterius praescriptum, sed ad suum arbitrium imperare consuesse: si ipse populo R. non praescriberet, quemadmodum suo jure uteretur; non oportere se à populo R. in suo jure impediri: Aeduos sibi, quoniam belli fortunam tentassent, et armis congressi ac superati essent, stipendiarios esse factos: magnam Caesarem injuriam facere, qui suo adventu [1] vectigalia sibi deteriora faceret: Aeduis se obsides redditurum non esse: neque iis, neque eorum sociis injuriâ bellum illaturum, si in eo manerent, quod convenisset, stipendiumque quotannis penderent: si id non fecissent, [2] longè ab his fraternum nomen populi R. abfuturum: quòd sibi Caesar denuntiaret, se Aeduorum injurias non neglecturum, neminem secum sine suâ pernicie contendisse: quum vellet, congrederetur: intellecturum, quid invicti Germani, [3] exercitatissimi in armis, qui intra annos XIV tectum non subissent, virtute possent.

XXXVII. Haec eodem tempore Caesari mandata referebantur, et legati ab Aeduis et [4] Treviris veniebant: Aedui, questum, quòd Harudes, qui nuper in Galliam transportati essent, fines eorum popularentur: sese, ne obsidibus quidem datis, pacem Ariovisti redimere potuisse: Treviri autem, [5] pagos centum Suevorum ad ripam Rheni consedisse, qui Rhenum transire conarentur: iis praeesse Nasuam et Cimberium fratres. Quibus rebus Caesar vehementer commotus, maturandum sibi existimavit, ne, si nova manus Suevorum cum veteribus copiis Ariovisti sese conjunxisset, minùs facilè resisti posset. Itaque re frumentariâ quàm celerimè potuit, comparatâ, magnis itineribus ad Ariovistum contendit.

XXXVIII. Quùm tridui viam processisset, nuntiatum est ei, Ariovistum cum suis omnibus copiis ad occupandum [6] Vescontionem, quod est oppidum maximum Sequanorum, contendere, triduique viam à suis

NOTÆ.

pulo in publicum commodum præceptum fuerat, in perniciem verteretur. Atque hoc mandato quod Senatus censuisset, nixus, bellum indixit. Grotius tamen lib. *de jure belli et pacis*, existimat denunciatione nova à populo R. fuisse opus, quod Ariovistus novo bello Æduos non lacesseret, atque adeo Cæsaris bellum fuisse injustum, contendit. Sed certe male cœptum bene cessit.

1 *Vectigalia sibi deteriora faceret:*] Cum obsidibus ab Æduis Ariovisto datis, cautum esset vectigalibus, quæ ab ipsis accipiebat; redditis iisdem Cæsaris causa obsidibus, tollebatur cautio, atque adeo deteriora fiebant vectigalia.

2 *Longe ab his*, &c.] Elegans locutio, quia quæ sunt longinqua non solent prodesse; cujus non deest exemplum apud *Virg.*

Longe illi Dea mater erit.

Et apud Florum: *Longè illi triplex murus totidemque arces*, de Syracusis.

3 *Exercitatissimi in armis*] In his enim potius, quam in terræ cultura occupantur. Tacit. de moribus Germanorum: *Nec arare terram, aut expectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes et vulnera mereri. Pigrum quinimo et iners videtur sudore acquirere quod possis sanguine parare.*

4 *Treviris.*] Populus vel solo nomine notus prope Rhenum inter Belgas, *Treves.*

5 *Pagos centum Suevorum.*] Cum horum Comment lib. IV. Suevi pagos centum habuisse dicantur, totam gentem ad Rheni ripam convenisse oportuit. Qui sint pagi supra dictum est.

6 *Vescontionem.*] Vescontio Sequanorum Metropolis, *Bezançon.*

finibus processisse. Id nè accideret, magnoperè praecavendum sibi Caesar existimabat: namque omnium rerum, quae ad bellum usui erant, summa erat in eo oppido facultas; idque naturâ loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem; propterea quòd flumen [1] Dubis, ut circino circumductum, penè totum oppidum cingit; reliquum spatium, quod non est amplius pedum DC, quà flumen intermittit, mons continet magnâ altitudine, ita ut radices ejus montis ex utrâque parte ripae fluminis contingant: [2] hunc murus circumdatus arcem efficit, et cum oppido conjungit. Huc Caesar magnis diurnis nocturnisque itineribus contendit; occupatoque oppido, [3] ibi praesidium collocat.

XXXIX. Dum paucos dies ad Vescontionem, rei frumentariae commeatûsque caussâ, moratur, ex percunctatione nostrorum vocibusque Gallorum et mercatorum, ([4] qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque exercitatione in armis esse, praedicabant, saepenumerò sese cum iis congressos, ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse) tantus subitò timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret. Hic primùm ortus est à [5] tribunis militum, ac [6] praefectis, reliquisque, [7] qui ex urbe amicitiae caussâ Caesarem secuti, magnum periculum miserabantur, quòd non magnum in re militari usum habebant: quorum alius aliâ caussâ illatâ, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret, petebat, ut ejus voluntate discedere liceret; nonnulli pudore adducti, ut timoris suspicionem vitarent, remanebant: hi neque vultum fingere, neque interdum lacrymas tenere poterant; abditi in tabernaculis aut suum fatum querebantur, aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur. Vulgò totis castris testamenta obsignabantur. Horum vocibus, ac timore, paulatim etiam ii, qui magnum in castris usum habebant, milites, centurionesque, quique

NOTÆ.

1 *Dubis.*] Sic dicendus, non *Adduasdubis*, urbemque interfecat, *le Doux*.

2 *Hunc murus circumdatus arcem efficit.*] Ibidem arx est posita, et muri illius nonnullæ etiamnum reliquiæ visuntur.

3 *Ibi præsidium collocat.*] *Præsidium dictum est, quod præsidebant aliquo in loco extra castra, quo tutior esset regio.* Varro.

4 *Qui ingenti magnitudine.*] Idem dicit libro vi. Idem Pomponius Mela. Idem Tacit. lib. de moribus Germanorum.

5 *Tribunis militum.*] Tribuni militum dicti autore Varone, quasi terni, quod tres primis temporibus essent in legione, cùm legio trium millium esset. Imperabant peditibus, non etiam equitibus. Tribuni autem illo tempore non solum erant comitiati, id est a populo in comitiis delecti, sed rufuli, ut ait Asconius, id est, in exercitu ab imperatore facti, qui hæc munia suis amicis et gratiæ, non virtuti concedebat. In quo peccâsse videtur Cæsar, magnam inde terroris et seditionis exercitus causam nactus. Sed neque hoc postea Romanos imperatores, quo minus idem facerent, deterruit. Siquidem Vegetius tribunorum duo genera dicit: *Est major, qui per epistolam sacram Imperatoris judicio destinatur: et minor, qui ex labore provenit.*

6 *Præfectis.*] Præfecti quidem varii erant. Hic tamen præfectos legionis innuere videtur, quorum summa erat absente legato autoritas.

7 *Qui ex urbe amicitiæ caussa.*] Plutarchus scribit hos ad delicias et quæstum abusuros expeditione Cæsaris ad hoc bellum venisse. Quod et exemplo Trebatii constat, quem aliquando Cæsar joco scribit Ciceroni, se regem Galliæ facturum.

equitatui praeerant, perturbabantur. Qui se ex his minùs timidos existimari volebant, non se hostem vereri, sed angustias itineris, et magnitudinem sylvarum, quae inter eos atque Ariovistum intercederent, aut rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere dicebant. Nonnulli etiam Caesari renuntiabant, cùm castra moveri, ac signa ferri jussisset, [1] non fore dicto audientes milites, neque propter timorem signa laturos.

XL. Haec quum animadvertisset Caesar, [2] convocato concilio, omniumque ordinum ad id concilium adhibitis centurionibus, vehementèr eos incusavit: primùm, quòd aut quam in partem, aut quo consilio ducerentur, sibi quaerendum aut cogitandum putarent. Ariovistum, se Consule, cupidissimè populi R. amicitiam appetisse: cur hunc tàm temerè quisquam ab officio discessurum judicaret? Sibi quidem persuaderi, cognitis suis postulatis, atque aequitate conditionum perspectâ, eum neque suam, neque pop. R. gratiam repudiaturum: quòd si furore atque amentiâ impulsus bellum intulisset, quid tandem vererentur? aut [3] cur de suâ virtute, [4] aut de ipsius diligentiâ, desperarent? [5] Factum ejus hostis periculum patrum nostrorum memoriâ, quùm, Cimbris et Teutonis à C. Mario pulsis, non minorem laudem exercitus, quàm ipse imperator, meritus videbatur: [6] factum etiam nuper in Italià, [7] servili tumultu, quos tamen aliquis usus ac disciplina, quam à nobis accepissent, sublevaret. Ex quo judicari posset, quantum haberet in se boni constantia: propterea quòd, quos aliquandiu [8] inermes sine caussâ timuissent, hos postea armatos ac victores superâssent. Denique hos esse Germanos, quibuscum saepenumerò Helvetii congressi, non solùm in suis, sed etiam in illorum finibus plerumque superassent, qui tamen pares esse nostro exercitui

NOTÆ.

1 *Non fore dicto audientes milites.*] Dio ſcribit in vulgus hoc emanâſſe, quòd bellum injuſtum, injuſſu populi R. et propter ambitionem ſuſciperent.

2 *Convocato concilio, omniumque ordinum,* &c.] Concilium erat extraordinarium. Nam vulgo primi tantum vocabantur centuriones. Duo autem erant in manipulo centuriones, cumque eſſent xxx in legione manipuli, erant omnino in legione lx centuriones.

3 *Cur de ſua virtute.*] Militum.

4 *Aut de ipſius diligentia.*] Cæſaris. Modò orationis tollatur ambiguitas, an *ſua*, an *ipſius* dicatur nihil refert, neque perpetuæ ſunt de ea re Grammaticorum leges.

5 *Factum ejus hoſtis periculum*] Ante annos XLV aut XLIV, anno enim DCL Marius Teutones devicit: anno autem DCXCIV hæc à Cæſare gerebantur.

6 *Factum etiam nuper in Italia.*] Vegetius lib. III. cap. 12. *Inimici ſi ante à nobis ſuperati ſunt, commemorandum.* Illud autèm periculum factum fuerat ante annos quatuordecim, cùm in ſervili bello Germanicas cohortes, ſtulta ſeceſſione à reliquis Spartaci copiis divulſas Conſul Gellius, autore Plutarcho, repentino impetu oppreſſit. Quæ adeò clades minus eorum ignaviæ, quam arrogantiæ fuit tribuenda. Sed hoc confirmandorum ſuorum cauſâ reticet Cæſar.

7 *Servili tumultu*] Quid ſit tumultus indicat Cicero VIII Philippica: *Quid eſt enim tumultus niſi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? Unde etiam nomen ductum eſt tumultus. Itaque majores noſtri tumultum Italicum, quod domeſticus, tumultum alterum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus: præterea nullum tumultum nominabant.*

8 *Inermes.*] Primitùs enim ſine armis erant. Poſtea verò ex ferro ergaſtulorum fabricatis enſibus et telis, ſe armaverunt illi ſervi.

non potuerint. Si quos adversum prœlium, et fuga Gallorum commoveret, hos, si quaererent, reperire posse diuturnitate belli defatigatis Gallis, Ariovistum, quum multos menses castris ac paludibus se continuisset, neque sui potestatem fecisset, desperantes jam de pugna, et dispersos subitò adortum, magis ratione ac consilio quàm virtute, vicisse: [a] cui rationi contra homines barbaros atque imperito locus fuisset; hac ne ipsum quidèm sperare nostros exercitus capi posse. Qui suum timorem in rei frumentariae simulationem angustiasque itinerum conferrent, facere arrogantèr, quùm aut de officio imperatoris desperare, aut ei praescribere viderentur: haec sibi esse curae; frumentum Sequanos, [1] Leucos, Lingones subministrare, jamque esse in agris frumenta matura. De itinere ipsos brevi tempore judicaturos. Quòd non fore dicto audientes, neque signa laturi dicantur, nihil se eâ re commoveri: scire enim, quibuscunque exercitus dicto audiens non fuerit; aut, malè re gestâ, fortunam defuisse; aut aliquo facinore comperto, avaritiam esse convictam; suam innocentiam perpetuâ vitâ, [2] felicitatem Helvetiorum bello esse perspectam. Itaque se, quod in longiorem diem collaturus esset, [3] repraesentaturum, et proximâ nocte de quartâ vigiliâ castra moturum, ut quamprimùm intelligere posset, utrùm apud eos pudor atque officium, an timor, plus valeret. Quòd si praeterea nemo sequatur, tamen se cum solâ [4] decimâ legione iturum, de qua non dubitaret, sibique eam [5] Praetoriam cohortem futuram. Huic legioni Caesar et indulserat praecipuè, et propter virtutem confidebat maximè.

INTERPRETATIO.

a *Ne ipſum quidem* Arioviſtum *ſperare noſtros exercitus poſſe circumveniri iſtâ arte, quæ prævaluiſſet adverſus homines barbaros, et rudes* rei militaris.

NOTÆ.

1 *Leucos.*] Leuci ſunt Tullenſes: quod probatur ex Itinerario Antonini, *Tullo id eſt Leucorum;* ex aliis item locis plurimis. Ipſe Ptolemæus ponit urbes Leucorum Tullum et Naſium.

2 *Felicitatem.*] Hæc eſt, quæ niſi virtuti bellicæ juncta fuerit, nihil fit bello; quam Cicero in orat. pro M. Marcello ſcribit maximam partem quaſi ſuo jure ſibi vindicare; et quicquid eſt proſperè geſtum, id penè omne ducere ſuum, quam propter Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, et cæteris magnis imperatoribus ſæpius imperia mandata atque exercitus, eſſe commiſſos. cui etiam ubique ipſe Cæſar tantum tribuit.

3 *Repræſentaturum.*] Se facturum in præſentia, quod in alium diem cætero qui fuiſſet dilaturus. Repræſentare enim verbum eſt juris, pro ante diem præſtare, aut ſolvere. Ita Cic. lib. v. Epiſt. ad Famil. *Neque exſpectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſumus.* Et lib. xvi. ad Tironem: *Conſerva te mihi: dies promiſſorum adeſt, quam etiam repræſentabo, ſi adveneris.* Item Philipp. II. *Quin etiam corpus libenter obtulerim, ſi repræſentari morte mea libertas civitatis poteſt.*

4 *Decima legione.*] Sic dicta ob ordine delectûs. Quæ porro cauſa ſit, cur tantopere illi cohorti, ſeu potius legioni, quam pro cohorte prætoria fuerit habiturus, confideret, quærunt nonnulli, quod nihil admodum antea Cæſar geſſerit, neque hæc legio geſſiſſe ſcribatur, aut majora fuiſſe in bello Helvetico auſa, fruſtra: nam vel illa legio conſtabat ex amicis Cæſaris, vel tribuni centurioneſque erant ejus amici, vel prœlio contra Helvetios inſignis fuerat ejus opera, vel aliquo alio bello.

5 *Prætoriam cohortem.*] Prætoria cohors dicebatur, quod à Prætore non diſcederet, ut affirmat Feſtus. Sed non omnes Imperatores talem habuerunt, ut patet vel ex eo loco; Si enim Cæſar habuiſſet, non ſine magnâ co-

XLI. Hâc oratione habitâ, mirum in modum [1] conversae sunt omnium mentes, summaque alacritas et cupiditas belli gerendi innata est: princepsque decima legio per Tribunos militum ei gratias egit, quòd de se optimum judicium fecisset, seque esse ad bellum gerendum paratissimam confirmavit. Inde reliquae legiones per Tribunos militum et [2] primorum ordinum Centuriones egerunt, uti Caesari satisfacerent, se neque unquam dubitâsse, neque timuisse, neque de summâ belli suum judicium, sed Imperatoris esse, existimavisse. Eorum satisfactione accept , et itinere exquisito per Divitiacum, (quòd ex aliis Gallis ei maximam fidem habebat) ut, millium ampliùs quadraginta circuitu locis apertis, exercitum duceret, de quartâ vigiliâ, uti dixerat, profectus est. Septimo die, quum iter non intermitteret, ab exploratoribus certior factus est, Ariovisti copias à nostris, [3] millibus passuum IV et XX abesse.

XLII. Cognito Caesaris adventu, Ariovistus legatos ad eum mittit, quod antea de colloquio postulâsset, id per se fieri licere, quoniam propiùs accessisset, seque id sine periculo facere posse existimaret. Non respuit conditionem Caesar: jamque eum ad sanitatem reverti arbitrabatur, quùm id, quod antea petenti denegasset, ultrò polliceretur: magnamque in spem veniebat, pro suis tantis populique R. in eum beneficiis, cognitis suis postulatis, fore utì pertinacia desisteret. Dies colloquio dictus est ex eo die quintus. Interim quum saepe ultro citroque legati inter eos mitterentur, Ariovistus postulavit, ne quem peditem ad colloquium Caesar adduceret: vereri se, ne per insidias ab eo circumveniretur: uterque cum equitatu veniret: alia ratione se non esse venturum. Caesar, quòd nec colloquium, interposita caussa, tolli volebat, neque salutem suam Gallorum [4] equitatu committere audebat; commodissimum esse statuit, omnibus equis Gallis equitibus detractis, legionarios eo milites legionis decimae, cui quammaximè confidebat, imponere; ut praesidium quùm amicissimum, si quid opus facto esset, haberet. Quod quùm fieret, non irridiculè quidam ex militibus decimae legionis dixit; Plus, quàm

NOTÆ.

hortis illius prætoriæ ignominia, dicturus fuit illam decimam legionem cohortis prætoriæ loco futuram. Cujus autor fuisse videtur Scipio Africanus, qui fortissimum quemque delegit, qui à bello non abesset, cæteris militiæ muneribus vacaret. Talis autem cohors videtur sic dicta, non consularis, aut imperatoria, quod veteres omnes magistratum, cui pareret exercitus, prætorem appellarent. Plures postea cohortes prætorias habuerunt Imperatores, primo quidem firmamentum imperii, deindè perniciem. Cohors Prætoria similis regiorum custodum cohorti, *Regiment des Gardes.*

1 *Conversæ sunt omnium mentes.*] Dio asserit adeò contradicere ausum esse neminem, ut, qui in suspicionem Cæsari venerant, quasi rumorum illorum autores, in primis assentirentur.

2 *Primorum ordinum Centuriones.*] Ii sunt, centurio primipili, primus principum centurio, primus hastatorum.

3 *Millibus passuum* IV *et* XX *abesse.*] Sex leucas vel circiter.

4 *Equitatu.*] Sic solet Cæsar pro *equitatui* in dandi casu, ut supra cognitum est ex A. Gellio, et ab ipso confirmatum fuit, non tantum nostri Cæsaris, sed etiam Virgilii testimonio

pollicitus esset, Caesarem facere: pollicitum in cohortis praetoriae loco decimam legionem habiturum, nunc [a] [1] ad equum rescribere.

XLIII. Planities erat magna, et in ea tumulus terreus satis grandis. Hic locus aequo ferè spatio ab castris utrisque aberat: eò, ut erat dictum, ad colloquium venerunt. Legionum Caesar, quam equis devexerat, passibus CC ab eo tumulo constituit: itemque equites Ariovisti pari intervallo constiterunt. Ariovistus, ut ex equis colloquerentur, et praeter se, denos ut ad colloquium adducerent, postulavit. Ubi eo ventum est, Caesar initio orationis sua Senatûsque in eum beneficia commemoravit: [2] quòd rex appellatus esset à Senatu, quòd amicus, [3] quòd munera amplissima missa: quam rem et paucis contigisse, et à Romanis pro maximis hominum officiis consuevisse tribui docebat: illum, quum neque aditum, neque caussam postulandi justam haberet, beneficio ac liberalitate suâ ac Senatûs, ea praemia consecutum. Docebat etiam, quàm veteres, quàmque justae causae necessitudinis ipsis cum Aeduis intercederent; quae Senatusconsulta, quoties, quàmque honorifica in eos facta essent: ut omni tempore totius Galliae principatum Aedui tenuissent, priùs etiam quàm nostram amicitiam appetissent: populi R. hanc esse consuetudinem, ut socios atque amicos non modò sui nihil deperdere, sed gratiâ, dignitate, honore auctos velit esse: [b] quod verò ad amicitiam populi R. attulissent, id iis eripi quis pati posset? Postulavit deinde eadem, quae legatis in mandatis dederat, ne aut Aeduis, aut eorum sociis, bellum inferret: obsides redderet: si nullam partem Germanorum domum remittere posset, at ne quos ampliùs Rhenum transire pateretur.

XLIV. Ariovistus ad postulata Caesaris pauca respondit: de suis virtutibus multo praedicavit: transîsse Rhenum sese non sua sponte, sed rogatum et accersitum à Gallis: non sine magna spe magnisque praemiis domum propinquosq; reliquisse; sedes habere in Gallia ab ipsis concessas;

INTERPRETATIO.

a *Allegere inter equites.*

b *At quis posset ferre illud ipsis tolli, quod jam habuissent, etiam* antequam *facti fuissent amici populi Romani?*

NOTÆ.

1 *Ad equum rescribere.*] Vocabulum militare, cum de peditibus fiebant equites: imò et rescribi dicebatur, cum de legionibus profligatis aliæ fiebant legiones. Sic Livius lib. IX. *Delectus prope omnium voluntariorum fuit, rescriptæ ex eodem milite novæ legiones.*

2 *Quod rex appellatus esset*, &c.] T. Livius IV Decade, scribit neminem solitum esse *regem et amicum* à Senatu populoque R. appellari, nisi qui optimè de Republ. meritus esset. Et lib. I. de bello civili, Cæsar reprehendit Lentulum, quod regum appellandorum largitionibus moveretur, nec enim gratis ille regibus honor tribuebatur.

3 *Quòd munera amplissima missa.*] Cum multis locis habentur illorum publicorum munerum specimina, tum apud Tacitum lib. IV Annal. *Cognitis dehinc Ptolemæi per id bellum studiis, repetitus ex vetusto mos, missusque è senatoribus, qui Scipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regemque et socium atque amicum appellaret.* Sed non intra hæc munera constitit liberalitas Cæsaris, si fides est Suetonio; qui autor est eum magno studio reges atque provincias per orbem terrarum illexisse, aliis millia captivorum dono offerentem, aliis extra Senatus populique autoritatem, quo vellent et quoties vellent, auxilia submittentem. Sed hic Cæsar gratiæ sibi apponi postulat, ut suprà dictum est, quod fortunæ et dignitatis suæ amplificandæ causâ fecerat.

obsides eorum voluntate datos; stipendium capere jure belli, quod victores victis imponere consueverint: non sese Gallis, sed Gallos sibi bellum intulisse: [1] omnes Galliae civitates ad se oppugnandum venisse, ac contra se castra habuisse; eas omnes copias uno abs se prœlio fusas ac superatas esse. Si iterum experiri velint, paratum se decertare: sin pace uti malint, iniquum esse de stipendio recusare, quod suâ voluntate ad id tempus pependerint: amicitiam populi R. sibi ornamento et præsidio, non detrimento, esse oportere; [2] idque se eâ spe petisse: si per populum R. stipendium remittatur, et dedititii subtrahantur, non minùs libenter sese recusaturum pop. R. amicitiam, quàm appetierit: quòd multitudinem Germanorum in Galliam transducat, id se sui muniendi, non Galliæ impugnandæ, caussâ facere; ejus rei testimonium esse, quòd nisi rogatus non venerit; et quòd bellum non intulerit, sed defenderit: [3] se priùs in Galliam venisse, quàm populum R. nunquam ante hoc tempus exercitum populi R. Galliæ Provinciæ fines egressum: quid sibi vellet? cur in suas possessiones veniret? [4] Provinciam suam esse hanc Galliam, sicuti illam nostram: ut sibi concedi non oporteret, si in nostros fines impetum faceret; sic iterum nos esse iniquos, quòd in suo jure se interpellaremus: quòd ex S. C. Aeduos appellatos amicos diceret; non se tam barbarum, neque tam imperitum esse rerum, ut non sciret, [5] neque bello Allobrogum proximo Aeduos Romanis auxilium tulisse, neque ipsos in his contentionibus, quas Aedui secum et cum Sequanis habuissent, auxilio populi R. usos esse: debere se suspicari, simulatâ Caesarem amicitiâ, quòd exercitum in Galliâ habeat, sui opprimendi caussâ habere: quòd nisi decedat, aut exercitum deducat ex his regionibus, sese illum non pro amico, sed pro hoste habiturum: quòd si eum interfecerit, multis sese nobilibus, principibusque populi Romani gratum esse facturum: id se ab ipsis per eorum nuncios compertum habere, quorum omnium gratiam atque amicitiam ejus morte redimere posset: quòd si discessisset, ac liberam sibi possessionem Galliae tradidisset, magno se illum praemio remuneraturum, et quaecunque bella geri vellet, sine ullo ejus labore et periculo confecturum.

NOTAE.

1 *Omnes Galliæ civitates*] Jactanter, non verè dixit; soli enim Ædui et eorum socii cum eo congressi sunt.

2 *Idque se eâ spe petîsse.*] Eam nempe amicitiam.

3 *Se prius in Galliam venisse.*] Et id mendaciter ab Ariovisto dictum. Domitius enim longe ante Arvernos bello fregerat.

4 *Provinciam suam esse hanc Galliam.*] Erat enim Provincia Galliae Narbonensis in potestate Romanorum, jam inde à superioribus temporibus; quo pacto Sequanorum et Æduorum regionem suam Provinciam esse judicabat Ariovistus.

5 *Neque bello Allobrogum proximo.*] Mirum id quidem, cum, teste Floro, Æduorum querelis opem et auxilium Romanorum flagitantibus, hoc bellum Allobrogicum fuerit susceptum. Hujus enim belli causa fuit, quod Salyorum regem elapsum è pugna Allobroges suscepissent, Æduorumque agros vastâssent. Fortasse accisæ Æduorum opes non patiebantur se huic bello interponere, quamvis suâ causâ suscepto: aut erant ab eodem hoste, aut ab alio eorum fines defendendi.

XLV. Multa à Caesare in eam sententiam dicta sunt, quare negotio desistere non posset; et neque suam neque populi R. consuetudinem pati, utì optimè meritos socios desereret; neque se judicare Galliam potiùs esse Ariovisti, quàm populi R. Bello superatos esse Arvernos et Rutenos à Q. Fabio Maximo, [1] quibus populus R. ignovisset: [2] neque in provinciam redegisset, neque [3] stipendium imposuisset: quòd si antiquissimum quodque tempus spectari oporteret, populi R. justissimum esse in Galliâ imperium; si judicium Senatûs servari oporteret, [4] liberam debere esse Galliam, [5] quam bello victam suis legibus uti voluisset.

XLVI. Dum haec in colloquio geruntur, Caesari núnciatum est, equites Ariovisti propiùs tumulum accedere et ad nostros adequitare, lapides telaque in nostros conjicere. Caesar loquendi finem fecit, seque ad suos recepit, suisque imperavit, nè quod omnino telum in hostes rejicerent: nam etsi sine ullo periculo legionis delectae cum equitatu proelium fore videbat; tamen committendùm non putabat, ut pulsis hostibus dici posset, eos à se per fidem in colloquio circumventos. Posteaquam in vulgus militum elatum est, quâ arrogantiâ in colloquio Ariovistus usus, omni Galliâ Romanis interdixisset; impetumque in nostros ejus equites fécissent, eaque rés colloquium diremisset; multò major alacritas, studiumque pugnandi majus exercitui injectum est.

XLVII. Biduo post, Ariovistus legatos ad Caesarem mittit, velle se de his rebus, quae inter eos agi coeptae, neq; perfectae essent, agere cum eo: utì aut iterum colloquio diem constitueret; aut, si id minùs vellet, ex suis legatis aliquem ad se mitteret. Colloquendi Caesari caussa visa non est; et eò magis, quòd pridie ejus diei Germani retineri non potuerant, quin in nostros tela conjicerent. Legatum ex suis sese magno cum periculo ad eum missurum, et hominibus feris objecturùm, existimabat. Commodissimum visum est, Caium Valerium Procillum, Caii Valerii Caburi filium, summâ virtute et humanitate adolescentem,

NOTAE.

1 *Quibus populus R. ignoviſſet.*] Ignoviſſe dicebatur populus R. cum populos liberos relinquebat, ſuiſque uti legibus, et ſuos magiſtratus patrio more creare permittebat. Mirum tamen, quod præter conſuetudinem Romani ignoverint: certe illam veniam magna ignominia commutaverunt, cum Domitius Ænobarbus et Fabius Maximus iis, quibus dimicaverant in locis, ſaxeas turres exſtruxere, et deſuper exornata armis hoſtilibus trophæa fixere. Autor Florus.

2 *Neque in provinciam redegiſſet.*] Tum in Provinciam redigebant, cum ademptis legibus, et Romano magiſtratui et vectigalibus ſubjiciebantur populi.

3 *Stipendium.*] A ſtipe pendenda dictum. Aut certum, cùm certa pecunia imperabatur: aut incertum, quod in portubus, paſcuis et agris exigebatur. Dicuntur etiam ſed alio ſenſu ſtipendia, quæ accipiunt milites, atque etiam anni militiæ; ut habere duo vel tria ſtipendia, eſt duos vel tres annos militâſſe.

4 *Liberam debere eſſe Galliam.*] Arvernos et Rutenos intelligit, qui ante aliquot annos à Romanis victi fuerant, et poſtea cum Sequanis conjuncti, cùm Germanos accerſiviſſent, eorundem graviſſimum jugum experiebantur.

5 *Quam bello victam ſuis legibus uti voluiſſet.*] Id eſt, ſuis propriis quibus antea utebatur; non autem Romanis, quæ ipſi alienæ erant, quibus tamen neceſſe erat eos populos uti, quos Romani in Provinciam redegiſſent.

([1] cujus pater à Caio Valerio Flacco civitate donatus erat) et propter fidem et [2] propter linguae Gallicae scientiam, [a] quâ multâ jam Ariovistus longinquâ consuetudine utebatur, et quòd in eo peccandi Germanis caussa non esset, ad eum mittere; et M. Mettium, [3] quì hospitio Ariovisti usus erat. His mandavit ut quae diceret Ariovistus cognoscerent, et ad se referrent. Quos quùm apud se in castris Ariovistus conspexisset, exercitu suo praesente, conclamavit: Quid ad se venirent? an speculandi caussâ? Conantes dicere prohibuit, et in catenas conjecit.

XLVIII. Eodem die castra promovit, et millibus passuum VI à Caesaris castris sub monte consedit. Postridie ejus diei, praeter castra Caesaris suas copias transduxit, et millibus passuum II ultra eum castra fecit; eo consilio, utì frumento commeatuque qui ex Sequanis et Aeduis supportaretur, Caesarem intercluderet. Ex eo die dies continuos V [4] Caesar pro castris suas copias produxit, et aciem instructam habuit, ut si vellet Ariovistus proelio contendere, ei potestas non deesset. Ariovistus his omnibus diebus exercitum castris continuit: equestri praelio quotidiè contendit. [5] Genus hoc erat pugnae, quo se Germani exercuerant.

INTERPRETATIO.

a *Qua Ariovistus jam utebatur plurimum ex longo usu.*

NOTAE.

1 *Cujus pater à C. Valerio Flacco civitate donatus erat.*] Apud gentes, quæ in Romanorum erant imperio, magni privilegii loco erat, jus civium Romanorum obtinere. Propterea C. Valerius Procillus dicebatur, quia pater ejus à C. Valerio Flacco civitate fuerat donatus. Solebant enim illi novi Romani cives, suorum patronorum nomina assumere.

2 *Propter linguæ Gallicæ scientiam.*] Et hoc argumento esse potest, quod non eadem lingua Gallica erat cum Germanica. Siquidem consuetudini longinquæ, quam Ariovistus cum Gallis habuerat, tribuitur ejus Gallici sermonis cognitio.

3 *Qui hospitio*] Privatum hoc erat hospitium, quod Græcè dicitur ἰδιοξενία. Inde autem nata hospitia, quod apud antiquos nullus diversoriorum erat usus. Itaque singulæ paulo clariores familiæ cum exteris jus hospitii contrahebant, quod posteritati hæreditarium relinquebant. Apud Homerum Glaucus et Diomedes hospites se esse agnoscunt: *Μοι ξεῖνος πατρώιος ἐσσὶ παλαιός Mihi hospes paternus es antiquus:* cujus hospitii vis tanta fuit, ut mediâ in acie, fervente pugnâ, alter ab altero manus abstinuerit, atque etiam arma inter se permutaverint, tanquam mutuis muneribus inter se certantes, tametsi alter horum ænea pro aureis acceperit. Sed Ariovistus barbarus jura hospitii nihil dubitavit violare; haud veritus Jovem ejus juris vindicem, ut putabant:

Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.

Ad hospitii porro agnitionem abaculis fortuito ruptis utebantur, quorum sibi quisque partem retinebat.

4 *Cæsar pro castris, &c.*] Veget. lib. III. cap. 18. *Semper studere debes, ut prior instruas aciem, quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi utile judicas, cùm nullus obsistit: deinde tuis auges confidentiam, et adversariis fiduciam minuis, quia fortiores videntur, qui provocare non dubitant; inimici autem incipiunt formidare, qui vident contra se acies ordinari.*

5 *Genus hoc erat pugnæ.*] Idem non semel fecerunt Romani et ante et post. Ipse Cæsar lib. III de bello Civ. Adolescentes expeditos, electos ad pernicitatem, armis inter equites præliari jubebat. Lib VII. horum Comment. *Cum equitatu expeditisque, qui inter pedites præliari consuessent.* Item ibid. *Trans Rhenum in Germaniam mittit, equitesque ab iis accersit et levi armaturæ pedites, qui inter eos præliari consueverunt.* Tacitus idem habet in lib. de morib. Germ. Item Ammianus lib. XV. Veget. lib. III. cap. 16. Orosius lib. IV. cap. 18. itemque Pausanias in Phocicis.

Equitum millia erant VI, totidem numero pedites velocissimi ac fortissimi, quos ex omni copiâ singuli singulos, suae salutis caussâ, delegerant. Cum his in proeliis versabantur: ad hos se equites recipiebant: hi, si quid erat durius, concurrebant: si qui, graviore vulnere accepto, equo deciderant, circumsistebant: si quo erat longiùs prodeundum, aut celeriùs recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut, jubis equorum sublevati, cursum adaequarent.

XLIX. Ubi eum castris sese tenere Caesar intellexit, ne diutiùs commeatu prohiberetur, ultra eum locum, quo in loco Germani consederant, circiter passus DC ab his, castris idoneum locum delegit, acieque triplici instructâ, ad eum locum venit. [1] Primam et secundam aciem in armis esse, tertiam castra munire jussit. Hic locus ab hoste circiter passus DC, utì dictum est, aberat: eò circiter hominum numerum [2] XVI millia expedita cum omni equitatu Ariovistus misit, quae copiae nostros perterrerent, et munitione prohiberent. Nihilo secciùs Caesar, ut ante constituerat, duas acies hostem propulsare, tertiam opus perficere jussit. Munitis castris, duas ibi legiones reliquit, et [3] partem auxiliorum: quatuor reliquas in castra majora reduxit.

L. Proximo die, instituto suo Caesar ex castris utrisque copias suas eduxit: paullulumque à majoribus progressus aciem instruxit, hostibusque pugnandi potestatem fecit. Ubi ne tum quidem eos prodire intellexit, circiter meridiem exercitum in castra reduxit. Tum demum Ariovistus partem suarum copiarum, quae castra minora oppugnaret, misit: [4] acriter utrinque usque ad vesperum pugnatum est. Solis occasu suas copias Ariovistus, multis et illatis et acceptis vulneribus, in castra reduxit. Quum ex captivis quaereret Caesar, quamobrem Ariovistus proelio non decertaret, hanc reperiebat caussam: Quòd apud Germanos ea consuetudo esset, ut [5] matresfamiliâs eorum sortibus et vaticinationibus declararent, utrùm proelium committi ex usu esset,

NOTAE.

1 *Primam et ſecundam*, &c.] Veget. lib. I. cap. 25. *Si hoſtis incumbat, tunc omnes equites et media pars peditum ad pulſandum impetum ordinantur, reliqui poſt ipſos ductis foſſis muniunt caſtra.*

2 XVI *millia expedita.*] Vacua impedimentis, leviter armata.

3 *Partem auxiliorum:*] Quæ ſunt auxilia ſic, Vegetius explicat lib. II. cap. I. *Ipſi pedites in duas diviſa ſunt partes, hoc eſt, in auxilia et legiones: ſed auxilia à ſociis, vel fœderatis gentibus mittebantur. In auxiliis minor, in legionibus longe amplior conſuevit militum numerus aſcribi.* Item: *Legionibus ſemper auxilia, tanquam levis armatura, in acie jungebantur, ut in his præliandi magis adminiculum eſſet, quam principale ſubſidium.*

4 *Acriter utrinque pugnatum eſt.*] Dio lib. XXXVIII. refert Arioviſtum propemodum caſtris Romanorum eſſe potitum; quo ſucceſſu elatum, ſpretis mulierum vaticinationibus, prælium ſequenti die non detrectaſſe.

5 *Matris familiâs.*] Tacit. lib. de moribus Germ. ſcripſit, eos fœminis ineſſe etiam ſanctum aliquid et providum putare, nec aut earum conſilia aſpernari, aut reſponſa negligere. Plutarchus autem memoriæ prodidit ſacras mulieres, inſpectis fluviorum vorticibus, fluentorumque gyris et murmuribus, futura prædicere conſueſſe. Tacitus verò II. annal. meminit, Velledæ virginis, quæ late imperitabat, vetere apud Germanos more, quo pleraſque fœminarum fatidicas, et, augeſcente ſuperſtitione, arbitrentur Deas.

necne: eas ita dicere, [1] Non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam proelio contendissent.

LI. Postridie ejus diei Caesar, praesidio utrisque castris, quod satis esse visum est, relicto, [2] omnes alarios in conspectu hostium pro castris minoribus constituit, (quòd minùs multitudine militum legionariorum, pro hostium numero, valebat) ut ad speciem alariis uteretur. Ipse, triplici instructâ acie, usque ad castra hostium recessit. Tum demum necessariò Germani suas copias è castris eduxerunt: generatimque constituerunt, paribusque intervallis [3] Harudes, Marcomanos, Triboccos, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Suevos; omnemque aciem suam [4] rhedis et carris circumdederunt, ne qua spes in fugâ relinqueretur. Eò mulieres imposuerunt, quae in proelium proficiscentes milites, passis crinibus, flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent.

LII. Caesar singulis legionibus singulos legatos et [5] quaestorem praefecit, utì eos testes suae quisque virtutis haberet. Ipse à dextro cornu, quòd eam partem minimè firmam hostium esse animadverterat, proelium commisit. Ita nostri acriter in hostes, signo dato, impetum fecerunt; itaque hostes repentè celeriterque procurrerunt, ut spatium pila in hostes conjiciendi non daretur. Rejectis pilis, comminùs gladiis pugnatum est. At Germani celeriter, ex consuetudine suâ, [6] phalange

NOTAE.

1 *Non esse fas Germanos superare*, &c.] Fas est jus divinum, unde Virgilius discrimen statuit inter fas et jus; lib. Georg.

Quin etiam festis quædam exercere diebus
Fas et jura sinunt.——

Si vero quid nolit Deus fieri, id certè videtur ἀδύνατον, impossibile Sic item de Germanis habet Tacitus: *Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur: nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt.* Cujus superstitionis ipsi Græci immunes non fuerunt: siquidem erat in Lycurgi legibus, ne ante plenilunium cum exercitu exirent. Propterea autem properavit pugnare Cæsar, ut notat Frontinus, ut acie commissâ, religione hostes impediret. Sic Vespasianus sabbathorum die Judæos vicit.

2 *Omnes alarios.*] Per alarios intelligit auxiliares, qui in hoc bello maximam partem erant equites et Galli, quibus ideo ad speciem usus est, quia paucas habebat legiones; sed quia alariis, qui maximam partem Galli erant, parum fidebat, noluit habere legionariis immixtos, sed proximos. Dicti sunt alarii, quod acies iis hinc et inde equitibus protegeretur, ut alis aves.

3 *Harudes*, &c.] De gentibus illis nihil certi habetur, nisi Vangiones, ubi nunc est Vormatia; Nemetes verò, ubi est Spira, tandem consedisse. Notitia imperii R. occidentalis, seu potius Provinciarum Romanarum imperii occidentalis, cujus autor existimatur Marianus Scotus, sic habet, *Civitas Vangionum: hæc est Vormatia.* Ptolemæus habet, *Vangiones: Borbetomagus*, id est, *Worms.* Frustra vero est Cluverius, qui bene magna de antiquis Germanorum populis volumina conscripserit, quod nec amplius sylvæ sint, quas integras dicuntur incoluisse, neque ipsi sedibus suis satis constiterint. Strabo verò hoc enumerat ordine Rheni accolas, Helvetios, Sequanos, Mediomatrices, quorum in locum Tribocchi, natione Germani, relictis sedibus, trajectoque Rheno venerint. Hi videntur esse Alsati.

4 *Rhedis et carris circumdederunt,*] Quintilianus: *Rheda vocabulum Gallicum, quo tamen Cicero utitur. Carra autem neutrius generis esse consuetudine persuasum est. Sisenna, et Cæsar masculino genere efferunt.*

5 *Quæstorum præfecit,*] Quæstores à quærendo dicti, quod pecunias publicas quærerent et reconderent. Ut plurimum habebat Consul vel proconsul Quæstorem unum.

6 *Phalange facta*, &c.] Orosius scripsit Germanos coacto in unum agmine, scutisque supra caput contextis, ad irrumpendam Romanorum aciem totos undique perstrinxisse; sed postquam aliqui Romanorum militum super obductam saliere testudinem, scutis sigillatim-

factâ, impetus gladiorum exceperunt. Reperti sunt complures nostri milites, qui in phalanges insilirent, et scuta manibus revellerent, et desuper vulnerarent. Quum hostium acies à sinistro cornu pulsa, atque in fugam conversa esset, à dextro cornu vehementer, multitudine suorum, nostram aciem premebant. Id quum animadvertisset [1] P. Crassus adolescens, qui equitatui praeerat, quòd expeditior erat, quàm hi qui inter aciem versabantur, tertiam aciem laborantibus nostris subsidio misit.

LIII. Ita proelium restitutum est, atque omnes hostes terga verterunt, neque priùs fugere destiterunt, quàm ad flumen Rhenum [2] millia passuum ex eo loco circiter quinquaginta pervenerunt. Ibi perpauci, aut viribus confisi, transnatare contenderunt; aut, lintribus inve[illegible] salutem sibi petiêrunt. In his fuit Ariovistus, qui naviculam deligatam ad ripam nactus, eâ profugit: reliquos omnes, equites consecuti nostri interfecerunt. [3] Duae fuerunt Ariovisti uxores, una Suevâ natione, quam domo secum adduxerat; altera [4] Noricâ, regis Vocionis soror, quam in Galliâ duxerat à fratre missam: utraque in eâ fugâ periît: duae filiae harum, altera occisa, altera capta est. C. Valerius Procillus, quum à custodibus in fugâ trinis catenis vinctus traheretur, in ipsum Caesarem hostium equitatum persequentem in-

NOTAE.

velut ſquammis revulſis, deſuper nudos deprehenſorum humeros perfodiſſe. Ibidem Florus ſic habet: *Qui calor in prœliando fuerit nullo magis exprimi poteſt, quam quod elatis ſuper caput ſcutis, cum ſe velut teſtudine Barbarus tegeret, ſuper ipſa Romani ſcuta ſalierunt, et inde in jugulos gladii deſcendebant.* Quæ Oroſii et Flori verba tenebras Cæſaris textui pro luce offuderunt. Fatentur enim ſe neſcire interpretes, quomodo id fieret. At Dio, quæ ſit illa teſtudo, ſatis planis verbis declarat, quidque barbaris plurimum nocuerit, exponit; nempe quod duraverunt magis Romani, labore verò barbari paulo vehementiore fracti ſunt, neque tamen in fugam ſe dederunt, non quod nollent, ſed quod non poſſent propter laſſitudinem. Conglobati igitur treceni plus minùs, et undique ſe ſcutis protegentes, rectique ſtantes, ægrè moveri poterant ob denſationem, vulneribus eo modo neque illatis neque acceptis. Hoc eſt, quod à Cæſare *phalanx*, ab aliis *teſtudo* dicitur. Romani primum pila rejicêre, ut nulli jam uſui futura, gladiis verò neque cominus dimicare poterant, neque capita hoſtium aſſequi, qua tamen parte facilius vulnerari poterant, utpote nuda. Complures itaque mortui ſunt, antequam caderent, propter denſationem aciei, mortuique nihilominus ſtabant à commilitonibus ſuſtentati.

1 *P. Craſſus adoleſcens.*] I. M. Craſſi filius magnas res in bello Gallico geſſit, quæ totis his Commentariis commemorantur, et à Cæſare ad patrem in Parthos proficiſcentem cum mille delectis equitibus venit, belloque Parthico fortiter pugnans occubuit.

2 *Millia paſſuum ex eo loco circiter quinquaginta.*] Alii codices habent quinque millia paſſuum: Plutarch. XXXVI millia paſſuum; Eutropius L millia. Hoc ideo fit, quia facilis in numeris lapſus, ut et in numero cæſorum, qui à Plutarcho et Appiano LXXX millium fuiſſe perhibetur.

3 *Duæ fuerunt Arioviſti uxores,*] Græcis et Romanis non licuit plures uxores ſimul ducere aut habere, cæteris fere gentibus etiam ſanctiſſimis licuit. Quin Valentinianus Romanus Imperator Chriſtianus, cum Severam in ſuo matrimonio haberet, ex qua Gratianum Imperatorem filium ſuſceperat, Juſtinam uxorem Severæ ſuperinduxit, quæ ipſi Valentinianum II. peperit, lege prius tamen facta, ut liceret duas uxores legitimo in matrimonio habere. De Germanis nihilominus ſic proditum à Tacito: *Prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine ſed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.*

4 *Noricâ,*] De Norica ſupra dictum.

cidit; quae quidem res Caesari non minorem, quàm ipsa victoria, voluptatem attulit; quod hominem honestissimum provinciae Galliae, suum familiarem et hospitem, ereptum è manibus hostium, sibi restitutum videbat: neque ejus calamitate de tantâ voluptate et gratulatione quidquam fortuna diminuerat. Is, se praesente, [1] de se ter sortibus consultum dicebat, utrùm igni statim necaretur, an in aliud tempus reservaretur: sortium beneficio se esse incolumen. Item M. Mettius repertus, et ad eum reductus est.

LIV. Hoc proelio trans Rhenum nunciato, Suevi, qui ad ripas Rheni venerant, domum reverti coeperunt: quos [2] Ubii, qui proximè Rhenum incolunt, perterritos insecuti, magnum ex his numerum occiderunt. Caesar, unâ aestate duobus maximis bellis confectis, maturiùs paullo quàm tempus anni postulabat, [3] in hiberna in Sequanos exercitum deduxit: hibernis Labienum praeposuit: ipse in citeriorem Galliam, [4] ad conventus agendos, profectus est.

NOTAE.

1 *De se ter sortibus consultum dicebat.*] Quod quomodo fieret, sic Tacitus explicat, lib. de morib. Germ. *Auspicia sortesque ut qui maximè observant. Sortium consuetudo simplex; virgam frugiferæ arbori decisam, in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temerè ac fortuitò spargunt. Mox si publice consulatur sacerdos civitatis: si privatim ipse paterfamilias, precatus Deos cœlumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur; si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio.*

2 *Ubii.*] Qui erant tempore Cæsaris transrhenani, Augusti postea tempestate eorum voluntate ab Agrippa in sinistram Rheni ripam, quæ Gallica est, sunt translati. Postea in eorum oppidum Agrippina Claudii conjux, filia Germanici, mater Neronis, in quo scilicet genita erat, Veteranos coloniamque deduci imperavit: cui nomen inditum ex vocabulo ipsius, *Colonia Agrippina, Cologne.*

3 *In hiberna.*] Hiberni sunt, ubi hiemant milites, quæ vel urbes sunt, vel castra accuratius instructa; in quo à stativis differunt, in quibus sub pellibus degebatur, quod ad breve tempus ibi maneretur.

4 *Ad conventus agendos ipse profectus est.*] Festus Pompeius: *Conventus quatuor modis intelligitur: uno, cum quemlibet hominem ab aliquo conventum esse dicimus; altero, cum significatur multitudo ex compluribus generibus hominum, contracta in unum locum. Tertio, cum à magistratu populus judicii causa congregatur. Quarto, cum in aliquem locum frequentia hominum, supplicationis aut gratulationis causa colligitur.* Tertio modo intelligendum est. Cum enim Cæsar Galliam utramque transalpinam citerioremque obtineret, in hac quæ pacata erat, nihil aliud agendum, quam jurisdictionem habuit, quod fiebat in conventibus. Plutarchus verò scribit ibi eum hominum animos captâsse, quos aut muneribus aut spe plenos à se dimittebat, nil denegantem quod peteretur, sic clam Pompeio capientem cives pecunia hostium, quos armis civium ceperat.

LIBER II.

ARGUMENTUM.

Liber secundus expeditiones bellicas quatuor continet, nempe bellum contra Belgas; contra Nervios; contra Atuaticos: contra Armoricos, quos postremos sub ejus auspiciis debellavit P. Crassus ejus legatus. Gesta sunt hæc anno ab urbe condita DCXCVII.

I. QUUM esset Caesar in citeriore Galliâ in hibernis, ita uti suprà demonstravimus, crebri ad eum rumores afferebantur, litterisque item Labieni certior fiebat, omnes Belgas, quam tertiam esse Galliae partem dixeramus, contra populum R. conjurare, obsidesque inter se dare. Conjurandi has esse caussas: Primùm, quod vererentur, ne, omni pacatâ Galliâ, ad eos exercitus noster adduceretur: deinde, quòd ab nonnullis Gallis sollicitarentur; partim, qui ut Germanos diutiùs in Galliâ versari nollent, ita populi R. exercitum hiemare atque inveterascere in Galliâ molestè ferebant; partìm qui, mobilitate et levitate animi, novis imperiis studebant: ab nonnullis etiam, quòd in Galliá à potentioribus, atque iis qui ad conducendos homines facultates habebant, vulgò regna occupabantur; qui minùs facilè eam rem imperio nostro consequi poterant.

II. Iis nuntiis litterisque commotus Caesar, duas legiones in citeriore Galliâ novas conscripsit, et initâ aestate, in interiorem Galliam qui deduceret, [1] Q. Pedium legatum misit. Ipse, quum primùm pabuli copia esse inciperet, ad exercitum venit. [2] Dat negotium Senonibus, reliquisque Gallis, qui finitimi Belgis erant, utì ea, quae apud eos gerantur, cognoscant, seque de his rebus certiorem faciant. Hi constanter omnes nuntiaverunt, manus cogi, exercitum in unum locum conduci. Tum verò dubitandum non existimavit, quin ad eos duodecimo die proficisceretur. Re frumentariâ provisà, castra movet, diebusque circiter XV ad fines Belgarum pervenit.

III. Eò quum de improviso, celeriùsque omnium opinione venisset, [3] Rhemi, qui proximi Galliae ex Belgis sunt, ad eum legatos Iccium et

NOTAE.

1 *Q. Pedium legatum.*] Q. Pedius Juliæ ſororis Cæſaris nepos erat, et ab eo poſtea ſcriptus eſt hæres ex quadrante cum L. Pinario, teſte Sueton. Poſt aliquot annos conſulatum cum Cæſare Octav. geſſit, quo in honore deceſſit vir triumphalis. Hujus lege damnati ſunt percuſſores Cæſaris.

2 *Dat negotium Senonibus.*] Senones populus notus, cujus fines qui noſſe voluerit, Diœceſeos Eccleſiaſticæ Senonenſis, Antiſſiodorenſiſque fines nôrit, quos duplex illa Diœceſis comprehendebat. *Sens.*

3 *Rhemi.*] Pariter noti de nomine. Caput eorum Durocortorum, *Rheims.*

Antebrogium primos civitatis suae miserunt; qui dicerent, se suaque omnia in fidem atque potestatem populi R. permittere, neque se cum reliquis Belgis consensisse, neque contra populum R. omnino conjurasse, paratosque esse et obsides dare, et imperata facere, et oppidis recipere, et frumento caeterisque rebus juvare: reliquos omnes Belgas in armis esse: [1] Germanosque qui cis Rhenum incolunt, sese cum his conjunxisse: tantumque esse eorum omnium furorem, ut ne [2] Suessones quidem fratres consanguineosque suos, qui eodem jure, iisdem legibus utantur, unum imperium, unumque magistratum cum ipsis habeant, deterrere potuerint, quin cum his consentirent.

IV. Quum ab his quaereret, quae civitates, quantaeque in armis essent, et quid in bello possent, sic reperiebat: plerosque Belgas esse ortos à Germanis, Rhenumque antiquitùs transductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse; Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse; solosque esse, qui patrum nostrorum memoriâ, omni Galliâ vexatá, Tuetonos, Cimbrosque intra fines suos ingredi prohibuerint. Quâ ex re fieri, utì earum rerum memoriâ, magnam sibi auctoritatem, magnosque spiritus in re militari sumerent. De numero eorum omnia se habere explorata Rhemi dicebant; propterea quòd propinquitatibus affinitatibusque conjuncti, quantam quisque multitudinem in communi Belgarum concilio ad id bellum pollicitus sit, cognoverint. Plurimum inter eos [3] Bellovacos, et virtute, et auctoritate, et hominum numero valere: hos posse conficere armata millia centum; pollicitos ex eo numero lecta millia LX, totiusque belli imperium sibi postulare. Suessones suos esse finitimos: latissimos, feracissimosque agros possidere. Apud eos fuisse regem nostrâ etiam memoriâ [4] Divitiacum, totius Galliae potentissimum; qui quum magnae partis harum regionum, tum etiam Britanniae, imperium obtinuerit: nunc esse [5] regem Galbam: ad hunc propter justitiam, prudentiamque, summam totius belli omnium voluntate deferri: oppida habere numero XII: polliceri millia armata quinquaginta: [6] totidem Nervios, qui maximè feri inter ipsos habeantur, longissimèque absint: XV millia [7] Atrebates: [8] Ambianos X millia: [9] Morinos XXV millia:

NOTAE.

1 *Germanosque qui cis Rhenum incolunt.*] Ii postea nominantur Condrusi, Eburones, Cæræsi, Pæmani.

2 *Suessones.*] Populus vel solo nomine notus, *ceux de Soissons.*

3 *Bellovacos.*] Bellovaci, *ceux de Beauvais.*

4 *Divitiacum.*] Is non solum Suessones, sed et Ambianos, in suâ potestate habuerit, à quibus in Britanniam trajecerit. Sunt enim inter Suessiones et mare Ambiani.

5 *Regem Galbam.*] Dio vocat eum Adram. Uter codex fallax, non potest statui. Græci enim in exterorum nominibus sæpe falluntur; certe Galba nomen Romanum est.

6 *Totidem Nervios, &c.*] Hic commemorantur populi quindecim Belgarum, quibus addendi sunt Rhemi, ut sint omnino populi sexdecim. Nervii cum à Cæsare finitimi dicantur, esse Ambianorum. Atrebatium, et Veromanduorum; videntur esse Cameracenses, *ceux de Cambray.*

7 *Atrebates.*] Quorum urbs dicitur à Ptolemæo Origiacum, *Arras, ceux d'Artois:* vel potius qui nunc Atrebatensi Diœcesi continentur. Nam Audomaropolis, *S. Omer,* quæ nunc est in comitatu Artesiæ, Morinorum est.

8 *Ambianos.*] Quorum urbs dicitur Samarobriva ad Sumenam fluvium, *Amiens.*

9 *Morinos.*] Quorum urbs primaria fuit Taruana, *Terouane,* et Gessoriacum, *Boulogne*

[1] Menapios IX millia: [2] Calletes X millia: [3] Velocasses et [4] Veromanduos totidem: [5] Aduaticos XXIX millia: [6] Condrusos, [7] Eburones, [8] Caeraesos, Paemanos, [9] qui uno nomine Germani appellantur, arbitrari ad XL millia.

V. Caesar Rhemos cohortatus, [a] liberaliterque oratione prosecutus, omnem senatum ad se convenire, principumque liberos obsides ad se adduci jussit. Quae omnia ab his diligenter ad diem facta sunt. Ipse Divitiacum Aeduum magnopere cohortatus, docet quantopere Reipubl. communisque salutis intersit, manus hostium distineri, ne cum tantâ multitudine uno tempore confligendum sit: id fieri posse, si suas copias Aedui in fines Bellovacorum introduxerint, et eorum agros populari coeperint. His mandatis eum ab se dimittit. [b] Postquam omnes Belgarum copias in unum locum coactas ad se venire, neque jam longè abesse, ab his quos miserat exploratoribus, et ab Rhemis cognovit; flumen [10] Axonam, quod est in extremis Rhemorum finibus, exercitum transducere maturavit, [11] atque ibi castra posuit. Quae res et latus unum castrorum ripis fluminis muniebat, et post ea quae erant, tuta ab hostibus reddebat, et commeatus ab Rhemis reliquisque civitatibus, ut sine periculo ad eum portari posset, efficiebat. In eo flumine pons erat: ibi praesi-

INTERPRETATIO.

a *Et allocutus eos benignis verbis.*

b *Ubi audivit ab illis speculatoribus quos miserat, et ab Rhemis, exercitum Belgarum congregatum in eundem locum ad se tendere, nec jam procul distare.*

NOTAE.

Ii sunt qui dioecesibus continentur Boloniæ, sancti Audomari et Ipræ, in quas postremas duas divisus est Episcopatus Taruanæ jam dirutæ. Hos Virgilius extremos hominum appellat.

Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.

1 *Menapios.*] Menapii cum sint confines Morinis, Morinique sint qui episcopatibus tribus continentur, Bononiensi, Audomaropolitano, et Iprensi, cognoscitur esse Gandavenses, Antuerpienses, Brabantios, finitimosque eorum. Quod autem Morinis Menapii confines sint, pater ex Dione lib. lix.

2 *Caletes.*] Ultra Rhotomagum sunt Strabo scribit esse ostio Sequanæ conterminos, *ceux de Caux.*

3 *Velocasses.*] *Vexin*, ad Esiam usque flumen pertinet. Hodie dividuntur in Normannos et Francos. Iis ascribitur Rhotomagus à Ptolemæo.

4 *Veromanduos.*] Veromandui vel solo nomine noti, quorum caput Augusta Veromanduorum, nunc Fanum sancti Quintini, *S. Quintin.*

5 *Aduaticos.*] Vix sciri potest ubi positi Aduatici; alii Antuerpienses, alii Hannoios, alii putant esse Namurcenses. Gryphianus liber habet, Catuacos.

6 *Condrusos.*] Condrusi nunc contribuuntur Leodicensibus: suntque prope Urtam fluvium nomenque retinet, *Condreux*, vel *Condrotz.*

7 *Eburones.*] Putantur esse Leodicenses. Tantum illius nominis fuit odium Romanis, propter cladem, quam ab iis acceperant, ut in Tungrorum nomen ejus gentis reliquiæ concesserint.

8 *Cæræsos, Pæmanos.*] Cæræsi et Pæmani penitùs ignorantur.

9 *Qui uno nomine Germani appellantur.*] Sic dicti forte, qui cum olim essent è Germaniâ in Galliam profecti, sic à Gallis appellabantur. Venerunt et alii postmodum è Germaniâ, ut Treviri, Menapii, Batavique. Nihilominus antiquis illis populis id nominis preseveravit.

10 *Axonam.*] Axona fluvius Augustam Suessonum alluit, et apud Compendium in Esiam influit, *Aisne.*

11 *Atque ibi castra posuit.*] Quam sapienter atque ex præceptis Vegetii, vide ibidem, ubi præcipit, *Ne salubris aqua sit longius.*

dium ponit; et in alterâ parte fluminis Q. Titurium Sabinum legatum cum VI cohortibus reliquit: castra in altitudinem pedum XII vallo, fossâque duo de viginti pedum, munire jubet.

VI. Ab ipsis castris oppidum Rhemorum, nomine [1] Bibrax, aberat millia passuum VIII: id ex itinere, magno impetu, Belgae oppugnare coeperunt: [2] aegrè eo die sustentatum est: [3] Gallorum eadem atque Belgarum oppugnatio est. Hi, ubi circumjectâ multitudine hominum totis moenibus, undique in murum lapides jaci coepti sunt, murusque defensoribus nudatus est; [4] testudine factâ, portis succedunt, murumque subruunt. Quod tum facilè fiebat: nam tanta multitudo lapides ac tela conjiciebant, ut in muro consistendi potestas esset nulli. Quum finem oppugnandi nox fecisset, Iccius Rhemus; summâ nobilitate et gratiâ inter suos, qui tum oppido praeerat, unus ex iis qui legati de pace ad Caesarem venerant, nuntios ad eum mittit, nisi subsidium sibi mittatur, se diutiùs sustinere non posse.

VII. Eò de mediâ nocte Caesar, iisdem ducibus usus, qui nuntii ab Iccio venerant, [5] Numidas et [6] Cretas sagittarios, et [7] funditores Baleares subsidio oppidanis mittit. Quorum adventu, et Rhemis cum spe defensionis studium propugnandi accessit, et hostibus eâdem de caussâ spes potiundi oppidi discessit. Itaque paulisper apud oppi-

NOTAE.

2 *Bibrax*,] Nonnullis dicitur, *Braisne*, aliis *Bray*; nam sunt ejusmodi in eadem regione oppidorum nomina.

2 *Ægre eo die sustentatum est:* Id est, res sustentatæ, et defensum oppidum: Sic apud Virg.

——————— *Totis*
Usque adeo turbatur agris ——

id est, res turbantur.

3 *Gallorum eadem atque Belgarum oppugnatio est.*] Imo et Romanorum aliquando, ut ex Josepho patet, Jotapatæ in Judæa expugnationem describente. Quod genus oppugnationis ex corona dicitur: sed rarius Romani, qui machinas adhibebant, ea oppugnatione utebantur; nunquam non Galli, qui machinarum erant expertes. Utrumque modum, oppugnationis, corona nempe et operibus, notat Livius lib. xxxvii. *Prima luce mœnia corona est aggressus. Deinde oppugnare Amphissam statuit, et cum ad mœnia castra posuisset, non corona, sicut Lamiam, sed operibus oppugnare urbem est adortus.*

4 *Testudine factâ.*] Illud genus testudinis sic describit Livius, lib. xliv. *Quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nixis: fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant*, &c. *Huic testitudini simillima parti muri admota, cum armati superstantes subiissent*, &c. Hanc testitudinem, cum opus erat, geminabant, ita ut altera testudo alteri superincumberet: ejusmodi Tacitus iteratam testudinem vocat, lib. xix. *Super iteratam testudinem scandentes.*

5 *Numidas.*] Numidæ ex Provincia Africæ Numidia, quæ nunc Romanis parebat, à Sylla domita. Νομάδες Græce, qui pastoritiam vitam degebant, cultum mensuetiorem docti à Masinissâ rege, deinde in pristinam feritatem relapsi.

6 *Cretas sagittarios.*] Creta insula Jovis clara natalibus. *Hecatompolis* olim dicta, quia, ut Virgilius refert,

Centum urbes habitant magnas.——

Candie, cujus incolæ sunt *Cretes*, qui et Cretenses.

7 *Funditores Baleares.*] Ex Balearibus insulis, quæ juxta Ptolemæum duæ sunt, Gymnesiæ Græcè dicta, forte ab exercitatione incolarum, qui funditores erant peritissimi, ab ineunte ætate hoc pugnæ genere exerciti. *Certos esse quis miretur ictus*, inquit Florus, *quum hæc sola genti arma sint, ad unum ab infantia studium. Cibum puer à matre non accipit, nisi quem ipsa monstrante percussit.* Idem testatur Vegetius, lib. I. cap. xvi. Idem Diodorus. It porro Baleares erant paulo antea Metello imperio populi R. subditi, ut testantur Strabo et Orosius.

dum morati, agrosque Rhemorum depopulati, omnibus vicis aedificiisque, quò adire poterant, incensis, ad castra Caesaris cum omnibus copiis contenderunt, et à millibus passuum minùs II, castra posuerunt: quae castra, ut fumo atque ignibus significabatur, amplius millibus passuum VIII in latitudinem patebant.

VIII. [1] Caesar primò, et propter multitudinem hostium, et propter eximiam opinionem virtutis, proelio supersedere statuit: [2] quotidie tamen equestribus proeliis, quid hostis virtute posset, et quid nostri auderent, periclitabatur. Ubi nostros non esse inferiores intellexit, loco pro castris ad aciem instruendam naturâ opportuno atque idoneo; quòd is collis, ubi castra posita erant, paullulum ex planitie editus, tantum adversùs in latitudinem patebat, quantum loci acies instructa occupare poterat, [a] atque ex utrâque parte lateris dejectus habebat, [b] et in fronte leviter fastigiatus, paullatim ad planitiem redibat: ab utroque latere ejus collis transversam fossam obduxit circiter passuum CD; et ad extremas fossas castella constituit, ibique tormenta collocavit: ne, quum aciem instruxisset, hostes (quòd tantum multitudine poterant) a lateribus suos pugnantes circumvenire possent. Hôc facto, duabus legionibus, quas proximè conscripserat, in castris relictis, ut, si quid opus esset, subsidio duci possent, reliquas sex legiones pro castris in acie constituit. Hostes item suas copias ex castris eductas instruxerant.

IX. Palus erat non magna inter nostrum atque hostium exercitum: hanc si nostri transirent, hostes expectabant; nostri autem, si ab illis initium transeundi fieret, ut impeditos aggrederentur, parati in armis erant. Interim proelio equestri inter duas acies contendebant. Ubi neutri transeundi initium faciunt, secundiore equitum nostrorum proelio, Caesar suos in castra reduxit. Hostes protinùs ex eo loco ad flumen Axonam contenderunt, quod esse post nostra castra demonstratum est: ibi vadis repertis, partem suarum copiarum transducere conati sunt, eo consilio, ut, si possent, castellum, cui praeerat Q. Titurius legatus, expugnarent, pontemque interscinderent: sin minùs, agros Rhemorum popularentur, qui magno nobis usui ad bellum gerendum erant, commeatusque nostros sustinebant.

X. Caesar certior factus à Titurio, omnem equitatum, et levis armaturae Numidas, funditores, sagittariosque pontem transducit, atque

INTERPRETATIO.

a *Erat præruptus ab utroque latere.* b *Et molliter declivis antrorsum.*

NOTAE.

1 *Cæsar primò*, &c.] Hoc semper à Cæsare diligenter est provisum, ut pares hostium exercitui copiis haberet, quas ubi intellexit non sibi adesse, pugna abstinuit. Sic cum Vercingentorigem prævalere equitatu cognovisset, ut lib. vii. legitur, misit in Germaniam, equitesque inde accersivit, tot quidem quot ad victoriam satis. Neque cum Pompeio postea confligere voluit, quin omnes suas copias transportâsset.

2 *Quotidie tamen equestribus*, &c.] Veget. lib. iii. cap. 26. *Numquam miles in aciem producendus est, cujus antea experimenta non ceperis.*

ad eos contendit. Acriter in eo loco pugnatum est: [1] hostes impeditos nostri in flumine aggressi magnum eorum numerum occiderunt: [2] per eorum corpora reliquos audacissimè transire conantes, multitudine telorum repulerunt: primos, qui transierant, equitatu circumventos interfecerunt. Hostes, ubi et de expugnando oppido, et de flumine transeundo spem se fefellisse intellexerunt, neque nostros in locum iniquiorem progredi pugnandi caussâ viderunt, atque eos res frumentaria deficere coepit; concilio convocato, constituerunt optimum esse domum suam quemque reverti: et quorum in fines primùm Romani exercitum introduxissent, ad eos defendendos undique convenire; ut potius in suis, quàm alienis finibus decertarent, [a] et domesticis copiis rei frumentariae uterentur. Ad eam sententiam, cum reliquis caussis, haec quoque ratio eos deduxit, quòd Divitiacum atque Aeduos finibus Bellovacorum appropinquare cognoverant: his persuaderi, ut diutiùs morarentur, ne suis auxilium ferrent, non poterat.

XI. Eâ re constitutâ, secundâ vigiliâ, magno cum strepitu ac tumultu castris egressi, nullo certo ordine, neque imperio, quum sibi quisque primum itineris locum peteret, et domum pervenire properaret, fecerunt, ut consimilis fugae profectio videretur. Hâc re statim Caesar per speculatores cognitâ, insidias veritus, quòd quâ de caussâ discederent nondum perspexerat, exercitum equitatumque castris continuit. Primâ luce, confirmatâ re ab exploratoribus, omnem equitatum, qui novissimum agmen moraretur, praemisit, eique [3] Q. Pedium, et L. Auruncu♦leium Cottam legatos praefecit: T. Labienum legatum cum legionibus tribus subsequi jussit. Hi novissimos adorti, et multa millia passuum prosecuti, magnam multitudinem eorum fugientium conciderunt. Quum ab extremo agmine hi, ad quos ventum erat, consisterent, fortiterque impetum nostrorum militum sustinerent; priores, quòd abesse à periculo viderentur, neque ullâ necessitate, neque imperio continerentur, exaudito clamore, perturbatis ordinibus, omnes in fugâ sibi subsidium posuerunt. Ita sine ullo periculo tantam eorum multitudinem nostri interfecerunt, quantum fuit diei spatium; sub occasumque solis sequi destiterunt, seque in castra, uti erat imperatum, receperunt.

XII. Postridie ejus diei Caesar, priùs quàm se hostes ex terrore ac fugâ reciperent, in fines Suessionum, qui proximi Rhemis erat, exer-

INTERPRETATIO.

a *Et alerentur frumento quod habebant domi.*

NOTAE.

1 *Hostes impeditos nostri in flumine aggressi.*] Pari calliditate potius, quam virtute, Helvetios in trajiciendo Arare occupatos, atque impeditos fuerat aggressus.

2 *Per eorum corpora.*] Plutarchus scribit Romanis aditum fuisse per Belgarum corpora: sed dissensit à Cæsare propter Latini sermonis ignorantiam, ut arbitror, quod, hic quid esset scriptum, unde materiam sibi scribendi sumpsit, non intellexerit. Tanti est scire linguas, unde petuntur disciplinæ.

3 *Q. Pedium, et L. Auruncu♦leium Cottam.*] De Pedio supra. Cotta verò ex gente Auruncu♦leia plebeia fuit. Postea cum multis cohortibus ab Ambiorige Eburonum rege in hibernis cæsus, ut videbitur.

citum duxit: et magno itinere confecto, [1] ad oppidum Noviodunum contendit. Id ex itinere oppugnare conatus, quòd vacuum ab defensoribus esse audiebat; propter latitudinem fossae, murique altitudinem, paucis defendentibus, expugnare non potuit. [2] Castris munitis vineas agere, quaeque ad oppugnandum usui erant, comparare coepit. Interim omnis ex fugâ Suessonum multitudo in oppidum proximâ nocte convenit. Celeriter vineis ad oppidum actis, [3] aggere jacto, turribusque constitutis, magnitudine operum, quae neque viderant ante Galli, neque audierant, et celeritate Romanorum permoti, legatos ad Caesarem de deditione mittunt; et, petentibus Rhemis, ut conservarentur, impetrant.

XIII. Caesar, obsidibus acceptis primis civitatis, atque ipsius Galbae regis duobus filiis, armisque omnibus ex oppido transditis, in deditionem Suessones accepit, exercitumque in Bellovacos duxit: qui quum se suaque omnia in oppidum [4] Bratuspantium contulissent, atque ab eo oppido Caesar cum exercitu circiter millia passuum V abesset, omnes majores natu ex oppido egressi, manus ad Caesarem tendere et voce significare coeperunt, sese in ejus fidem ac potestatem venire, neque contra populum R. armis contendere: item quum ad oppidum accessisset, castraque ibi poneret, pueri, mulieresque ex muro, passis manibus, suo more, pacem à Romanis petiêrunt.

XIV. Pro his Divitiacus (nam post discessum Belgarum, dimissis Aeduorum copiis, ad eum reverterat) facit verba; Bellovacos omni tempore in fide atque amicitia civitatis Aeduae fuisse: impulsos à suis principibus, qui dicerent Aeduos à Caesare in servitutem redactos, omnes indignitates contumeliasque perferre, et ab Aeduis defecisse, et populo R. bellum intulisse. Qui hujus consilii principes fuissent, quòd intelligerent quantam calamitatem civitati intulissent, [5] in Britanniam profugisse. Petere non solum Bellovacos, sed etiam pro his Aeduos, ut suâ clementiâ ac mansuetudine in eos utatur: quod si fecerit, Aeduorum auctoritatem apud omnes Belgas amplificaturum, quorum auxiliis atque opibus, si qua bella inciderint, [6] sustentare consueverit.

NOTAE.

1 *Ad oppidum Noviodunum.*] Noviodunum videtur esse, quæ postmodo Augusta dicta est Populi caput, *Soissons.*

2 *Castris munitis vineas agere.*] *Vinea*, ut scripsit Vegetius, *è levioribus lignis machina alta pedibus octo, lata septem, longa sexdecim: hujus tectum duplici munitione tabulatis, cratibusque contexitur:* latera quoque vimine sepiuntur, ne saxorum telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concremetur incendio, crudis ac recentibus coriis vel centonibus operitur. Istæ cum plures factæ fuerint, junguntur in ordinem; sub quibus subsidentes tuti, ad subruenda murorum penetrant fundamenta.

3 *Aggere jacto,*] Agger ex terrà, lapidibus, lignoque constabat, et contra murum extollebatur de quo tela jactarent. Turres aggeri superstruebantur, ut pinnas murorum urbis, atque etiam turres lapideas æquarent. His plures rotæ mechanicà arte subdebantur, sed interiores latentesque, quarum lapsu volubili magnitude tam ampla movebatur. Earum substructionem vide apud Vegetium, lib. iv. cap. 17.

4 *Bratuspantium,*] Populi caput, nunc *Beauvais.*

5 *In Britaniam*] Quæ nunc Anglia et Magna Britannia dicitur.

6 *Sustentare.*] Ea nempe bella.

XV. Caesar, honoris Divitiaci atque Aeduorum caussâ, sese eos in fidem recepturum et conservaturum, dixit: et quod erat civitas magna et inter Belgas auctoritate ac hominum multitudine praestabat, DC obsides poposcit: his traditis, omnibusque armis ex oppido collatis, ab eo lòco in fines Ambianorum pervenit, qui se suaque omnia sine morâ dediderunt. Eorum fines Nervii attingebant; quòrum de naturâ moribusque Caesar quum quaereret, sic reperiebat: Nullum aditum esse ad eos mercatoribus: [1] nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium, inferri: quòd his rebus relanguescere animos, eorumque remitti virtutem existimarent: esse homines feros, magnaeque virtutis: increpitare atque incusare reliquos Belgas, qui se populo R. dedidissent, et patriam virtutem projecissent: confirmare se neque legatos missuros, neque ullam conditionem pacis accepturos.

XVI. Quum per eorum fines triduo iter fecisset, inveniebat ex captivis, [2] Sabin flumen ab castris suis non ampliùs millia passuum X abesse: trans id flumen omnes Nervios consedisse, adventumque ibi Romanorum exspectare, unà cum Atrebatibus et Veromanduis, finitimis suis; nam his utrisque persuaserant, ut eandem belli fortunam experirentur; exspectari etiam ab his Atuaticorum copias, atque esse in itinere: mulieres, quique per aetatem ad pugnam inutiles viderentur, in eum locum conjecisse, quò propter paludes exercitui aditus non esset.

XVII. Caesar, his rebus cognitis, exploratores centurionesque praemittit, qui [3] locum castris idoneum deligant: quumque ex deditiis Belgis, reliquisque Gallis complures Caesarem secuti unâ iter facerent; quidam ex his, ut postea ex captivis cognitum est, eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitûs perspectâ, nocte ad Nervios pervenerunt; atque his demonstraverunt, inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere: neque esse quidquam negotii, cùm prima legio in castris venisset, reliquaeque legiones magnum spatium abessent, [4] hanc sub sarcinis adoriri: quâ pulsâ, impedimentisque direptis, futurum ut reliquae contrà consistere non auderent. Adjuvabat etiam eorum consilium, qui rem deferebant, quòd Nervii

NOTAE.

1 *Nihil pati vini.*] Nam apud alios Gallos, teste Athenæo, à divitibus quidem vinum bibitur ex Italia vel Massiliensi regione advectum idque merum, cui quandoque paululum aquæ admiscitur. Gallia verò Narbonensis vini ferax est, ut habet Plinius lib. xvi. cap. 23. Imo et Celticæ nunc maxima pars, ut videmus.

2 *Sabin.*] Sabis, *la Sambre.*

3 *Locum castris idoneum*] Nempe frumentationi, pabulationi, aquationi, militum valetudini, sed præcipue victoriæ aptum.

4 *Hanc sub Sarcinis adoriri.*] Quod maximum incommodum erat. Itaque legitur lib. I. de bello civili: *Veriti ne noctu impediti, sub onere confligere cogerentur,* Et lib. de bello Africano: *Milites sub onere ac sub sarcinis defatigatos pugnare non posse.* Romani enim in itinere vallum ferebant et alias sarcinas, quibus erant gravati. Egregius est Ciceronis in hanc rem locus Tusculan. II. *Ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quid in usum velint, ferre vallum: nam, scutum, gladium, galeam non plus numerant quam humeros, lacertos, manus, quæ quidem ita geruntur apte, ut si usus ferat, abjectis oneribus, expeditis armis, ut membris pugnare possint.* Imo aliquando menstruum cibum ferebant ut Livius docet lib. Liv. *Consul, menstruum jusso milite secum ferre, profectus decimo post die.*

antiquitùs, quum equitatu nihil possent, (neque enim ad hoc tempus ei rei student, sed, quidquid possunt, pedestribus valent copiis,) quò facilius finitimorum equitatum, si praedandi caussâ ad eos venisset, impedirent, teneris arboribus incisis atque inflexis, crebisque in latitudinem ramis enatis, et rubis sentibusque interjectis, effecerant, ut, instar muri, hae sepes munimenta praeberent; quo non modò non intrari, sed ne perspici quidem posset. Iis rebus quum iter agminis nostri impediretur, non omittendum sibi consilium Nervii existimaverunt.

XVIII. Loci natura erat haec, quem nostri castris delegerant: [1] Collis ab summo aequaliter declivis ad flumen Sabin, quod suprà nominavimus, vergebat: ab eò flumine pari acclivitate collis nascebatur adversus huic, et contrarius, passus [a] circiter CC, infimus, apertus, ab superiore parte, silvestris, ut non facilè introrsus perspici posset. Intra eas sylvas hostes in occulto sese continebant. In aperto loco, secundum flumen, paucae stationes equitum videbantur. Fluminis erat altitudo circiter pedum III.

XIX. Caesar, equitatu praemisso, subsequebatur omnibus copiis. Sed ratio ordoque agminis aliter se habebat, ac Belgae ad Nervios detulerant. Nam, quòd hostis appropinquabat, consuetudine suâ Caesar VI legiones expeditas ducebat: [2] post eas totius exercitûs impedimenta collocabat: indè duae legiones, quae proximè conscriptae erant, totum agmen claudebant, praesidioque impedimentis erant. Equites nostri cum funditoribus sagittariisque flumen transgressi, cum hostium equitatu proelium committunt. Quum se illi identidèm in silvas ad suos reciperent, ac rursus è silvâ in nostros impetum facerent; neque nostri longiùs, quàm quem ad finem [3] porrecta ac loca aperta pertinebant, cedentes insequi auderent: interim legiones sex, quae primae venerant, opere dimenso, castra munire coeperunt. Ubi prima impedimenta nostri exercitûs ab iis, qui in silvis abditi latebant, visa sunt, quod tempus inter eos committendi proelium convenerat, ita ut intra silvam aciem ordinesque constituerant, atque ipsi sese confirmaverant, subitò omnibus copiis provolaverunt, im-

INTERPRETATIO.

a *Nutadus ab inferiore parte ducentis circiter passibus.*

NOTAE.

1 *Collis ab summo.*] Cæsar ferè castris collis deligebat. Castra per certum legionariorum numerum fiebant, sarcinis gravioribusque armis depositis, dum reliqua pars exercitûs cum levi armaturâ staret in armis, sed quid forte interveniret propulsandum.

2 *Post eas totius exercitus*, &c.] Si enim ad hostem iretur, subsequi impedimenta jubebat; si hostis à tergo relinqueretur, præmittebat. Sic, cum à Pompeio recessit, in lib. iii. de bello civili, impedimenta præmisit Apolloniam: hisque legionem, quæ præsidio esset, addidit. Sic Vegetius, lib. iii. cap. 6. *Primi equites iter arripiant, inde pedites: impedimenta, calones, vehiculaque in medio collocentur, ita ut expedita pars peditum et equitum subsequatur.*

3 *Porrecta.*] Porrecta loca sunt plana. Horatius.

Non est aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis.

Porrectus spatiis, et multæ prodigus herbæ.

Minutius Felix: *Porrecta camporum.*

petumque in nostros equites fecerunt. His facilè pulsis ac proturbatis, incredibili celeritate ad flumen decucurrerunt, ut penè uno tempore et ad silvas, et in flumine, et jam [1] in manibus nostris hostes viderentur. Eâdem autem celeritate adverso colle ad nostra castra, atque eos qui in opere occupati erant, contenderunt.

XX. Cæsari omnia uno tempore erant agenda: [2] vexillum proponendum; quod erat insigne, quum ad arma concurri oporteret: [3] signum tubâ dandum: ab opere revocandi milites: qui paullò longiùs, [4] aggeris petendi caussâ, processerant, accersendi: acies instruenda: milites cohortandi: signum dandum. Quarum rerum magnam partem temporis brevitas, et successus et incursus hostium, impediebat. His difficultatibus duæ res erant subsidio, scientia atque usus militum, quod superioribus prœliis exercitati, quid fieri oporteret, non minùs commodè ipsi sibi præscribere, quàm ab aliis doceri, poterant: et quòd ab opere singulisque legionibus singulos legatos Cæsar discedere, nisi munitis castris, vetuerat.

XXI. Hi, propter celeritatem, et propinquitatem hostium, nihil jam Cæsaris imperium spectabant; sed per se, quæ videbantur, administrabant. Cæsar, necessariis rebus imperatis, ad cohortandos milites, quam in partem sors obtulit, decucurrit: et ad legionem decimam devenit. Milites non longiore oratione est cohortatus, quàm utì suæ pristinæ virtutis memoriam retinerent, neu perturbarentur animo, hostiumque impetum fortiter sustinerent; et quòd non longiùs hostes aberant, quàm quò telum adjici posset; prœlii committendi signum dedit: atque item in alteram partem cohortandi caussâ profectus, pugnantibus occurrit. Temporis tanta fuit exiguitas, hostiumque tam paratus ad dimicandum animus, ut, non modò [5] ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas induendas, [6] scutisque tegmenta detrahenda, tempus defuerit. Quam quisque in partem ab opere casu devenit, quæque prima signa conspexit, ad hæc constitit, ne, in quærendo suos, pugnandi tempus dimitteret.

XXII. Instructo exercitu, magis ut loci natura, [a] dejectusque collis, et necessitas temporis, quàm ut rei militaris ratio atque ordo postulabat; quum diversis locis legiones aliæ aliâ in parte hostibus resisterent,

INTERPRETATIO.

a *Declivitas collis.*

NOTÆ.

1 *In manibus nostris viderentur.*] Virgil.
In manibus Mars ipse, viri.———

2 *Vexillum erat proponendum:*] Erat tunica coccinea supra prætorium.

3 *Signum tubâ dandum:*] Classicum fuit, quod ad pugnam adhortatur.

4 *Aggeris petendi caussa.*] Hic agger est materia, qua munitio exstruitur, quæ materia triplex: trabes, frondes, et cespites. Agger verò præterea significat *rempars*; item, *cavaliers*, ou *plates-formes*, *chemin relevé* ou *pavé*; item, *digues*.

5 *Ad insignia accommodanda,*] Alia erant signa, alia insignia. Signa erant vexilla militaria; insignia verò v.g. galeæ ursinis pellibus tectæ, et cætera id genus. Polybius lib. vi. scribit pilanos galeas suas lupinis exuviis exornasse. Erant item insignia vestium, non tantum capitis, ut videre licet ex lib. vii. horum Comment.

6 *Scutisque tegmenta detrahenda,*] Romani erant elegantiæ suorum scutorum studiosi, in quibus nomina sua, vel Imperatoris, vel centuriæ veris coloribus inscribebant.

sepibusque densissimis, ut antè demonstravimus, interjectis, prospectus impediretur: neque certa subsidia collocari, neque, quid in quâque parte opus esset, provideri; neque ab uno omnia imperia administrari, poterant. Itaque in tantâ rerum iniquitate, fortunæ quoque eventus varii sequebantur.

XXIII. Legionis nonae et decimae milites, ut in sinistrâ parte aciei constiterant, pilis emissis, cursu ac lassitudine exanimatos, vulneribusque confectos, Atrebates (nam his ea pars obvenerat) celeriter ex loco superiore in flumen compulerunt; et transire conantes, insecuti gladiis, magnam partem eorum impeditam interfecerunt. Ipsi transire flumen non dubitaverunt; et in locum iniquum progressi, rursus regressos ac resistentes hostes, redintegrato prœlio, in fugam dederunt. Item aliâ in parte, diversae duae legiones, undecima et octava, profligatis Veromanduis, quibuscum erant congressi, ex loco superiore in ipsis fluminis ripis prœliabantur. At totis ferè à fronte et à sinistrâ parte nudatis castris, cùm in dextro cornu legio duodecima, et non magno ab eâ intervallo, septima constitisset, omnes Nervii confertissimo agmine, duce Boduognato, qui summam imperii tenebat, ad eum locum contenderunt: quorum pars aperto latere legiones circumvenire, pars summum locum castrorum petere cœpit.

XXIV. Eodem tempore equites nostri, [1] levisque armaturæ pedites qui cum his unà fuerant, quos primo hostium impetu pulsos dixeram, cùm se in castra reciperent, adversis hostibus occurrebant, ac rursus aliam in partem fugam petebant. Et [2] calones, qui [3] Decumanâ portâ, ac summo jugo collis nostros victores flumen transire conspexerant, praedandi caussâ egressi, quum respexissent, et hostes in nostris castris versari vidissent, praecipites sese fugae mandabant: simul eorum, qui cum impedimentis veniebant, clamor fremitusque oriebatur, aliique aliam in partem perterriti ferebantur. Quibus omnibus rebus permoti equites Treviri, quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis, qui auxilii caussâ à civitate missi, ad Caesarem venerant, quum multitudine hostium castra nostra compleri, legiones premi, et penè circumventas teneri, calones, equites, funditores Numidas, diversos dissipatosque in omnes partes fugere vidissent; desperatis nostris re-

NOTÆ.

1 *Levis armaturæ pedites:*] Ii fuerunt velites, quorum ufum à Gallis et Germanis acceperunt Romani, quorum loco poftea funditores et fagittarios ex Balearibus habuerunt, et Numidis et Cretenfibus, aliifque nationibus quas fuo imperio adjunxerant. Veget. lib. iii. *Levis armatura ex fcutatis expeditiffimis, et fagittariis, junioribufque conftabat. Item de his qui acriter verutis vel martiobarbulis, quas plumbatas vocant, dimicabant.*

2 *Calones,*] Calones erant militum fervi. Quodnam vero hominum genus effet, difcitur ex Jofepho, qui fcribit illos ufu peritiâque militari, vix infra dominos effe ponendos: nam et in pace affiduè exercitiis eorum intereffe, et in bello cum iis verfari et periclitari, adeo ut nec peritia nec robore à quoquam, nifi à folis dominis, vincantur. In quo admirandum effe Romanorum prudentiam, qui famulos ita affuefaciunt et inftruunt, ut non folum ad vitæ officia, fed et ad belli munia fint apti.

3 *Decumanâ portâ,*] Decumana porta erat à tergo caftrorum ampla et patens.

bus, domum contenderunt: Romanos pulsos superatosque, castris impedimentisque eorum hostes potitos, civitati renuntiaverunt.

XXV. [1] Caesar ab decimae legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, ubi suos urgeri, signisque in unum locum collatis, duodecimae legionis milites confertos sibi ipsis ad pugnam esse impedimento, [2] quartae cohortis omnibus centurionibus occisis, signiferoque interfecto, signo amisso, reliquarum cohortium omnibus ferè centurionibus aut vulneratis, aut occisis, [3] in his primopilo P. Sextio Baculo, fortissimo viro, multis gravibusque vulneribus confecto, ut jam se sustinere non posset; reliquos esse tardiores, et nonnullos à novissimis desertos prœlio excedere, ac tela vitare; [4] hostes neque à fronte ex inferiore loco subeuntes intermittere, et ab utroque latere instare, et rem esse in angusto vidit, neque ullum esse subsidium quod submitti posset; [5] scuto ab novissimis uni militi detracto, (quòd ipse eò sine scuto venerat) in primam aciem processit; centurionibusque nominatim appellatis, reliquos cohortatus, milites signa inferre, et [6] manipulos laxare jussit, quò facilius gladiis uti possent. Hujus adventu spe illatâ militibus, ac redintegrato animo, quum pro se quisque in conspectu Imperatoris, etiam in extremis suis rebus, operam navare cuperet, paullùm hostium impetus tardatus est.

XXVI. Caesar, quum septimam legionem, quae juxta constiterat, item urgeri ab hoste vidisset, tribunos militum monuit, ut paullatim sese legiones conjungerent, et [7] conversa signa in hostes inferrent. Quo facto, quum aliis alii subsidium ferrent, neque timerent ne aversi ab hoste circumvenirentur, audaciùs resistere, ac fortiùs pugnare coeperunt. Interim milites legionum duarum, quae in novissimo agmine praesidio impedimentis fuerant, prœlio nuntiato, cursu incitato, in summo colle ab hostibus conspiciebantur: et T. Labienus castris hostium potitus, et ex loco superiore, quae res in nostris castris gererentur,

NOTÆ.

1 *Cæſar ab decimæ legionis cohortatione.*] Lipſius legit: *Cum decimæ legionis cohorte.*

2 *Quartæ cohortis omnibus centurionibus occiſis.*] Plutarchus in Cæſare ſcribit, à Nerviis fuſum eſſe ejus equitatum, et legionis decimæ et ſeptimæ omnes centuriones interfectos. Appianus verò, et ipſum fuiſſe ab iis in colle obſeſſum quo confugerat: ipſos vero à decima legione ſuperveniente à tergo fuiſſe cæſos.

3. *In his primopilo P. Sexto*] Qui primus triariorum centurio, ſive triariorum prima in cohorte manipulo præerat, et reliquos centuriones dignitate antcibat, imo et ductor eorum erat. Primipilus et Primopilus primus centurio dicitur, teſte Livio lib. vii. ad finem.

4 *Hoſtes neque à fronte, &c.*] Hic vero eſt, ubi Cæſar maximum adiit periculum, nec minus quam cùm ad Mundam pugnavit.

5 *Scuto ab noviſſimis uni militi detracto.*] Illum cui ſcutum detraxit Cæſar, Florus fugientem dicit.

6 *Manipulos laxare juſſit.*] Vegetius lib. i. cap. 26. *Nihil magis prodeſſe conſtat in pugna, quam ut continuo exercitio in acie diſpoſitos ordines ſervent, nec ubi contra quam expedit aut conglobent agmen aut laxent. Nam ut conſtipati perdunt ſpatia pugnandi, et ſibi invicem impedimento ſunt: ita rariores atque interlucentes, aditum perrumpendi hoſtibus præſtant.* Manipulus porro erat hominum centum, ut Plutarchus teſtatur in Romulo; ut putat Ovidius, à manipulo fœni in pertica pendente, qui olim pro vexillo erat.

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos,
Unde maniplaris nomina miles habet.

Ut vero Vegetius putat lib. ii. cap. 13. *Contubernium manipulus vocabatur, ob eo quod conjunctis manibus dimicabant*

7 *Converſa ſigna.*] Eſt collatis ordinibus conjunctiſque viribus in hoſtem ire.

conspicatus, decimam legionem subsidio nostris misit; qui quum ex equitum et calonum fugâ, quo in loco res esset, quantoque in periculo et castra, et legiones, et Imperator versaretur, cognovissent, [a] nihil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt.

XXVII. Horum adventu tanta rerum commutatio est facta, ut nostri, etiam qui vulneribus confecti procubuissent, scutis innixi, prœlium redintegrarent. Tum calones, perterritos hostes conspicati, etiam inermes armatis occurrerent: equites verò, ut turpitudinem fugæ virtute delerent, omnibus in locis pugnabant, [b] quò se legionariis militibus praeferrent. At hostes, etiam in extremâ spe salutis, tantam virtutem praestiterunt, ut quum primi eorum cecidissent, proximi jacentibus insisterent, atque ex eorum corporibus pugnarent: his dejectis, et coacervatis cadaveribus, qui superessent, ut ex tumulo, tela in nostros conjicerent, pilaque intercepta remitterent; ut non nequidquam tantæ virtutis homines judicari deberet, ausos esse transire latissimum flumen, adscendere altissimas ripas, subire iniquissimum locum: [c] quæ facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat.

XXVIII. Hoc prœlio facto, et propè ad internecionem gente ac nomine Nerviorum redacto; majores natu, quos unà cum pueris mulieribusque [2] in aestuaria ac paludes collectos dixeramus, hâc pugnâ nuntiatâ, quum victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum arbitrarentur; omnium qui supererant consensu, legatos ad Caesarem miserunt, seque ei dediderunt; et in commemorandâ civitatis calamitate, [3] ex DC, ad III senatores; ex hominum millibus LX, vix ad D qui arma ferre possent, sese redactos esse dixerunt: quos Caesar, ut in miseros ac supplices usus misericordiâ videretur, diligentissimè conservavit, suisque finibus atque oppidis uti jussit; et finitimis imperavit, ut ab injuriâ et maleficio se suosque prohiberent.

XXIX. Aduatici, de quibus suprà scripsimus, quum omnibus copiis auxilio Nerviis venirent, hâc pugnâ nuntiatâ, ex itinere domum reverterunt; cunctis oppidis castellisque desertis, sua omnia [4] in unum oppidum egregiè naturâ munitum contulerunt: quod quum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque haberet, unâ ex parte leniter acclivis aditus, in latitudinem non amplius CC pedum, relinqueba-

INTERPRETATIO.

a *Nihil omiſerunt ad feſtinationem.*
b *Ut ſuperarent legionarios* fortitudine.
c *Quæ fortitudo reddiderat facilia ex difficillimis.*

NOTÆ

1 *Ut non nequidquam.*] Plutarchus etiam negat hoſtem in fugam conjectum, ſed cæſum eſſe memorat, cum repugnandi finem non faceret.

2 *In æſtuaria.*] Æſtuaria ſunt depreſſa loca, in quibus reſidet aqua ex inundationibus diffuſa

3 *Ex* DC *ad* III *ſenatores*;] Hic variant Plutarchus et abbreviator Livii, ſed cum ubique ſit facilis lapſus in numeris, difficile eſt quicquam certi hic ſtatuere.

4 *In unum oppidum.*] Oppida foſſa, vallo, mœnibuſque munita Aquitanis, Celtis, citerioribuſque Belgis erant; ulterioribus verò Belgis, ut Morinis, Menapiis, Aduaticis minime erant, utpote Germanis origine. Nam urbs ipſa Aduaticorum una tantum parte muro circumdata hic legitur.

tur: quem locum duplici altissimo muro munierant: tum magni ponderis saxa, et praeacutas trabes in muro collocârant. Ipsi erant ex [1] Cimbris Teutonisque prognati: qui, quum iter in Provinciam nostram atque Italiam facerent, his impedimentis, quae secum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, custodiae ex suis ac praesidio VI millia hominum unà reliquerunt. Hi, post eorum obitum, multos annos à finitimis exagitati, [a] quum aliàs bellum inferrent, aliàs illatum defenderent, consensu omnium pace factâ, hunc sibi domicilio locum delegerunt.

XXX. Ac primo adventu exercitûs nostri, crebras ex oppido excursiones faciebant, parvulisque prœliis cum nostris contendebant. Postea vallo pedum XII, [2] in circuitu XV millium, crebrisque castellis circummuniti, oppido sese continebant. Ubi vineis actis, aggere exstructo, [3] turrim constitui procul viderunt, primùm irridere ex muro, atque increpitare vocibus, [b] quò tanta machinatio ab tanto spatio institueretur? quibusnam manibus, aut quibus viribus, praesertim homines tantulae staturae, (nam [4] plerisque hominibus Gallis, prae magnitudine corporum suorum, brevitas nostra contemptui est,) tanti oneris turrim in muros sese collocare confiderent?

XXXI Ubi verò moveri, et appropinquare mœnibus viderunt, novâ atque inusitatâ specie commoti, legatos ad Caesarem de pace miserunt; qui ad hunc modum locuti: Non se existimare Romanos sine ope Deorum bellum gerere, qui tantae altitudinis machinationes tantâ celeritate promovere, et ex propinquitate pugnare possent: se suaque omnia eorum potestati permittere dixerunt: unum petere ac deprecari, si fortè pro suâ clementiâ ac mansuetudine, quam ipsi ab aliis audissent, statuisset, Aduaticos esse conservandos, ne se armis despoliaret: sibi omnes ferè finitimos esse inimicos, ac suae virtuti invidere, à quibus se defendere, traditis armis, non possent; sibi praestare, si in eum casum deducerentur, quamvis fortunam à populo R. pati, quàm ab his per cruciatum interfeci, inter quos dominari consuêssent.

XXXII. Ad haec Caesar respondit: Se magis consuetudine suâ quàm merito eorum, civitatem conservaturum, [5] si priùs quàm aries murum

INTERPRETATIO.

a *Cum modo inferrent bellum*; *modo repelerent* sibi *illatum.*

b *Cui usui tam vasta machina à tam longinquo loco pararetur.*

NOTÆ.

1 *Cimbris, Teutonisque.*] De quibus supra.

2 *In circuitu* XV *millium.*] Frustra aliqui intelligunt *passuum*, quod spatium IV fere leucas efficeret; longius quidem mea sententia, cum non multò longius à mœnibus fieret vallum, quàm quo telum possit adjici. Refertur ergo ad *pedum*, non *passuum* intelligitur.

3 *Turrim constitui procul viderunt.*] De qua supra. Ejus tamen vide structuram apud Vegetium lib. IV. cap. 17.

4 *Plerisque hominibus Gallis*, &c.] Diodoro Galli dicuntur corpore prælongi, carne humidi et candidi: Ammiano vero lib. XV. *Celsioris staturæ et candidi pene Galli sunt omnes.*

5 *Si prius quam aries murum attigisset.*] Sic illa machina à Josepho describitur, lib. III. de bello Judaico cap. 9 Ἐςὶν ὑπερμεγέθης δοκὸς ἱςῷ νηὸς παραπλήσιος· ἐςώμωται δὲ παχεῖ σιδήρῳ κατ' ἄκρον εἰς κριοῦ προτομὴν, ἀφ' οὗ καὶ καλεῖται τετυπωμένῳ· κατηώρηται δὲ κάλοις μέσος, ὥσπερ ἀπὸ πλάςιγγος ἑτέρας δοκοῦ· ςαυροῖς ἑκατέρωθεν ἑδραίοις ἐςηριγμένης.

attigisset, se dedidissent; sed deditionis nullam esse conditionem, nisi armis traditis: se id, quod in Nervios fecisset, facturum; finitimisque imperaturum, ne quam dedititiis populi R. injuriam inferrent. Re nuntiatâ ad suos, illi se, quae imperarentur, facere dixerunt. Armorum magnâ multitudine, de muro in fossam, quae erat ante oppidum, jactâ, [1] sic ut propè summam muri aggerisque altitudinem acervi armorum adaequarent: et tamen circiter parte tertiâ (ut postea perspectum est) celatâ, atque in oppido retentâ, portis patefactis, eo die pace sunt usi.

XXXIII. Sub vesperum Caesar portas claudi, militesque ex oppido exire jussit, ne quam noctu oppidani à militibus injuriam acciperent. Illi, ante inito (ut intellectum est) consilio, quòd, deditione factâ nostros praesidia deducturos, aut denique indiligentiùs servaturos crediderant: partim cum his quae retinuerant et celaverant armis, partim scutis ex cortice factis, aut viminibus intextis, quae subitò (ut temporis exiguitas postulabat) pellibus induxerant; tertiâ vigiliâ, quâ minimè arduus ad nostras munitiones adscensus videbatur, omnibus copiis repentè ex oppido eruptionem fecerunt. Celeriter, ut antè Caesar imperaverat, ignibus significatione factâ, ex proximis castellis eò concursum est; pugnatumque ab hostibus ita acriter, ut à viris fortibus in extremâ spe salutis, iniquo loco contra eos qui ex vallo turribusque tela jacerent, pugnari debuit, quum unâ in virtute omnis spes salutis consisteret. [2] Occisis ad hominum millibus IV, reliqui in oppidum rejecti sunt. Postridie ejus diei, refractis portis, quum jam defenderet nemo, atque intromissis militibus nostris, [3] sectionem ejus oppidi universam Caesar vendidit.

NOTÆ.

ἀνωθέμενος δὲ ὑπὸ πλήθους ἀνδρῶν εἰς τὸ κατόπιν, τῶν αὐτῶν ἀθρόως πάλιν εἰς τοὔμπροσθεν ἐπιβριθάντων. τύπτει τά τε χη τῷ προανέχοντι σιδήρῳ. *Est immensa trabs, malo navis adsimilis, cujus summam gravi ferro solidatum est, in arietis effigiem fabricato, unde etiam nomen accepit: dependet autem funibus medius ex trabe alia, velut ex trutina, palis utrimque fultus bene fundatis; retrorsum autem magna virorum multitudine retulsus, iisdemque simul rursus impellentibus missus, in fronte prominente ferro, mœnia percutit.* Illa vero machina, ut ex Ammiano Marcellino intelligitur, dissolvebatur, ut faciliùs in expeditionibus militaribus posset circumferri. Porro fere solebant Romani parcere, antequam murum aries percussisset, quod nunc fit in infirmis munitionibus, si prius quam tormenta explodantur, in munitioribus autem, si prius quam scalis admotis fiat assultus, se dediderint. Sed æquior Cicero, qui lib. I. Offic. sic habet: *Ii qui armis positis ad Imperatorum fidem confugiunt, quamvis murum aries percusserit, recipiendi.*

1 *Sic ut prope summam*, &c. Erat enim è regione murorum excitatus agger à Romanis, par ipsis muris altitudine, intraque aggerem et murum arma projecta fuerant.

2 *Occisis ad hominum millibus* IV.] *Ad* hic sumitur pro *circiter*, et adverbialiter ponitur. Veneticus codex habet, *Occisis ad hominum millia* IV.

3 *Sectionem ejus oppidi universam*, &c.] Sectio dicebatur bona quæ sub hasta vendebantur, a sectoribus dicta. Ut autem Asconius refert in Ver. 3. Sectores dicti sunt qui spem lucri secuti, bona condemnatorum simul auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant, postea pro compendio suo singula quæque populo vendituri. Sic Cicero Philip. 2. M. Antonium bonorum Pompeii sectorem appellat: in Orat. pro Roscio Amerino, dicit eosdem fuisse sectores collorum et bonorum. Atque hæc quidem sectio illos tantum complexa est, qui in urbem se receperant, non totam gentem, cujus unum oppidum minime capax fuit. Quæ quidem Aduaticorum gens se postea cum Ambiorige et Eburonibus ad oppugnanda Q. Ciceronis castra con-

Ab his, qui emerant, capitum numerus ad eum relatus est millium LIII.

XXXIV. Eodem tempore à P. Crasso, quem cum legione unâ miserat ad [1] Venetos, Unellos, Osismios, [2] Curiosolitas, [3] Sesuvios, [4] Aulercos, [5] Rhedones, quae sunt maritimae civitates, Oceanumque attingunt, certior factus est, omnes eas civitates in ditionem potestatemque populi R. esse redactas.

XXXV. His rebus gestis, omni Galliâ pacatâ, tanta hujus belli ad Barbaros opinio perlata est, ut ab nationibus, quae trans Rhenum incolerent, mitterentur legati ad Caesarem, quae se obsides daturas, imperata facturas, pollicerentur: quas legationes Caesar, quòd in Italiam [6] Illyricumque properabat, initâ proximâ aestate ad se reverti jussit. Ipse in [7] Carnutes, [8] Andes, [9] Turones, quae civitates propinquae his locis erant ubi bellum gesserat, legionibus in hiberna deductis, [10] in Italiam profectus est. Ob eas res, ex litteris Caesaris, [11] dies XV supplicatio decreta est: quod ante id tempus acciderat nulli.

NOTÆ.

junxit. Ubi poſiti Aduatici, nemini liquet. Veriſimile eſt fuiſſe Brabantios. Certè Eburonibus finitimi fuêre.

1 *Venetos, Unellos*, &c.] Veneti, *ceux de Vannes.* Unelli, ignoti. Oſiſmios ſcribit Pomponius Mela contra inſulam Britaniam eſſe poſitos. *Leon et Treguier.* De his Ptolemæus: Τελευταῖοι οἱ μέχρι τοῦ Γοβαίου ἀκρωτηρίου Οσισμιοι, *Extremi uſque ad Gobæum promontorium Oſiſmii*

2 *Curioſolitas.*] Coriſopitenſes poſtea dicti, ut probant notitiæ veteres; nunc autem *Cornouailles.* Quo nomine tota olim peninſula dicta, Cornugalliæ. Aimoinus lib. de miraculis Sancti Benedicti: *Oſum inſulam à continenti Armoricanæ regionis, quam Cornugalliæ vocant.*

3 *Seſuvios,*] Seſuvii ita ignorantur, ut peccatum etiam eſſe in ea voce judicetur: altum enim apud omnes Geographos de iis ſilentium.

4 *Aulercos,*] Hi ſunt Diablintres, qui finitimi ſunt ad occidentem, Venetis, de quibus Ptolemæus. Ἐν δὲ τῇ μεσογάιᾳ τῶν Ουενετων δυσμικώτεροι Αυλίρκιοι Διαυλῖται. In Palatino codice eſt, Ανατολικώτεροι, *magis orientales*, quod reddit omnia perincerta.

5 *Rhedones,*] Rhedones, *ceux de Rennes.*

6 *Illiricumque properabat.*] Illyricum pars erat provinciæ Cæſaris.

7 *Carnutes.*] *Les Chartains.*

8 *Andes.*] *Ceux d'Anjou*, qui Plinio Andecavi, vel Andegavi.

9 *Turones.*] *Ceux de Touraine.*

10 *In Italiam profectus eſt.*] Ibi teſte Plutarcho, cum ad ipſum Lucam Pompeius, Craſſus et Senatores amplius CC conveniſſent, conſtitutum eſt, ut Provincia, quam habebat Cæſar, in quinquennium ei prorogaretur, ſtipendiumque daretur: quo decreto mirum in modum opes ejus increvere.

11 *Dies* XV *ſupplicatio decreta eſt.*] Hic honos habitus fuit victori, cum Senatus populo templa Deorum aperiri, et gratias Diis agi Imperatoris nomine jubebat. Lectiſternia ibidem fiebant, pulcherrimiſque in lectis Deorum effigies collocabantur, ſuis inſtructæ cervicalibus et pulvinaribus, quaſi Deos epulis accepiſſent. Senatus ipſe ibat ritu ſolemni ſacrificatum epulumque dabat, populo interim dies feſtos agente. Erat porro ſupplicatio, triumphi futuri quaſi pignus. Hannibale ex Italia ad auxilium Carthaginis egreſſo, quinque tantum dierum ſupplicatio decreta fuerat. Sed hic propter inveteratam formidinem Gallorum XV ſtatuerunt. Suetonius: *Plurium quam quiſquam unquam dierum ſupplicationes impetravit.* Poſtea vero Hirtio et Panſæ, Octavianoque Cæſari dierum L ſupplicatio decreta, qua in decernenda ſupplicatione ratio habebatur, et magnitudinis victoriæ, et dignitatis Imperatoris, ut hic teſtatur Cicero factum fuiſſe. Lege lib. de Provinciis Conſularibus.

LIBER III.

ARGUMENTUM.

Quinque bella adversus varias Galliæ gentes gesta hoc libro describuntur: Primum adversus Veragros et Sedunos, quod ipso quidem absente, sed ejus auspiciis à legato Galba fuit gestum: Secundum, quod ipse contra Venetos prœlio navali confecit: Tertium, quod à legato Titurio Sabino contra Unellos, Aulercos, Eburovices et Lexovios: Quartum, quo debellati sunt à P. Crasso Sontiates, et cæteri Aquitani: Quintum, adversus Morinos et Menapios, quod, propter anni tempus, infectum relinquere coactus est. Quæ omnia tertio Gallici belli anno sunt peracta, qui fuit ab urbe condita DCXCVIII, Cneio Lentulo Marcellino, L. Marcello Philippo Consulibus.

I. QUUM in Italiam proficisceretur Caesar, [1] Ser. Galbam cum legione duodecimâ et parte equitatûs in [2] Nantuates, [3] Veragros, [4] Sedunosque misit; qui à finibus Allobrogum et lacu Lemano et flumine Rhodano, ad summas Alpes pertinent. Caussa mittendi fuit, [5] quòd iter per Alpes, quo magno cum periculo magnisque portoriis mercatores ire consueverant, patefieri volebat. Huic permisit, si opus esse arbitraretur, uti in iis locis legionem, hiemandi caussâ, collocaret. Galba, secundis aliquot prœliis factis, castellisque compluribus eorum expugnatis, missis ad eum undique legatis, obsidibusque datis, et pace factâ, constituit cohortes duas in Nantuatibus collocare; ipse, cum reliquis ejus legionis cohortibus, in vico Veragrorum, qui appellatur [6] Octodorus, hiemare: qui

NOTÆ.

1 *Ser. Galbam.*] Sergius Galba. teſte Suetonio, fuit Imperatoris Sergii Galbæ proavus, ob repulſam conſulatus infenſus Julio Cæſari, cum Bruto et Caſſio conſpiravit: propter quod lege Pedia damnatus.

2 *Nantuates,*] Ignorantur. Opinantur tamen eſſe partem *Foſſigni et Chablais.*

3 *Veragros.*] Veragri habent caput gentis Agaunum, *S. Maurice.*

4 *Sedunos*] Seduni, *Sion* eſt eorum urbs, habitant *le haut Valais:* Veragri verò *le bas Valais,* ſuntque cum Helvetiis fœdere conjuncti. Plinius et Strabo Varagros appellant.

5 *Quod iter per Alpes.*] Grave erat Cæſari caras eſſe merces in ſuis exercitibus, quæ ex Gallia ciſalpina magno cum periculo et ſumptu devehebantur. Gentes porro illæ magnum quæſtum facere inde volebant, ut Turcæ qui magna portoria ex Indicis mercibus per ſuam regionem tranſvectis capiebant, antequam iter maritimum eſſet per promontorium Bonæ Spei patefactum.

6 *Octodorus.*] Gallicè *Martiny*, Germanicè *Martenach*, ut ſuſpicatur beatus Renavius. Nec falſa conjectura; ſiquidem autor vitæ Sancti Mauritii mentionem facit, non procul à Rhodano. ubi is ſe in Lemanum lacum evolvit. Notitia Provinciarum Romanorum imperii occidentalis, cujus autor exiſtimatur Marianus Scotus, ſic habet: *Octodorus civitas Valenſium.* In Octoduro porro fuit epiſcopatus quia urbs aquis fuit inundata, Sedunum eſt tranſlatus.

vicus positus in valle, non magnâ adjectâ planitie, altissimis montibus undique continetur.

II. Quum hic in duas partes flumine divideretur, alteram partem ejus vici Gallis concessit, alteram vacuam ab illis relictam cohortibus ad hiemandum attribuit: eum locum vallo fossâque munivit. Quum dies hibernorum complures transissent, frumentumque eò comportari jussisset; subitò per exploratores certior factus est, ex eâ parte vici, quam Gallis concesserat, omnes noctu discessisse, montesque qui impenderent, à maximâ multitudine Sedunorum et Veragrorum teneri. Id aliquot de caussis acciderat, ut subitò Galli belli renovandi legionisque opprimendae consilium caperent. Primùm, quòd legionem, [1] neque eam plenissimam, detractis cohortibus duabus et compluribus sigillatim, qui commeatûs petendi caussâ missi erant, absentibus, propter paucitatem despiciebant: tum etiam, quòd propter iniquitatem loci, quum ipsi ex montibus in vallem decurrerent, et tela conjicerent, ne primum quidem posse impetum sustineri existimabant. Accedebat, quòd suos ab se liberos abstractos obsidium nomine dolebant; et Romanos, non solùm itinerum caussâ, sed etiam perpetuae possessionis, culmina Alpium occupare conari, et ea loca finitimae Provinciae adjungere, sibi persuasum habebant.

III. His nuntiis acceptis Galba, quum neque opus hibernorum, munitionesque plenè essent perfectae, neque de frumento, reliquoque commeatu satis esset provisum, quòd deditione factâ, obsidibusque acceptis, nihil de bello timendum existimaverat: concilio celeriter convocato, sententias exquirere cœpit. Quo in concilio quum tantum repentini periculi praeter opinionem accidisset, ac jam omnia ferè superiora loca multitudine armatorum completa conspicerentur, neque subsidio veniri, neque commeatus supportari, interclusis itineribus, possent: propè jam desperatâ salute, nonnullae hujusmodi sententiae dicebantur, ut, impedimentis relictis, eruptione factâ, iisdem itineribus, quibus eo pervenissent, ad salutem contenderent. Majori tamen parti placuit, hoc reservato ad extremum concilio, interim rei eventum experiri, et castra defendere.

IV. Brevi spatio interjecto, vix ut his rebus, quas constituissent, collocandis atque administrandis tempus daretur, hostes ex omnibus partibus, signo dato, decurrere; lapides, [2] gaesaque in vallum conjicere. Nostri primò integris viribus fortiter repugnare, neque ullum frustra telum

NOTÆ.

Neque eam plenissimam.] Plenissima dicitur legio, quæ plenissimum et legitimum militum, tribunorum, centurionumque numerum habet; estque, ut dicitur, completa et absoluta, ita ut desit nemo. Cicero lib. III. Epist. 6. ad Appium Pulchrum: *Illud me movet in tanta militum paucitate, abesse tres cohortes quæ sint plenissimæ.*

2 *Gæsaque*] Teli genus Gallici, quod ideo Virgilius Alpinum appellat.

——— *duo quisque Alpina coruscant*
Gæsa manu———

Festus, grave jaculum dicit esse: Livius agreste telum: Suidas, telum vel contum longe ferientem, quo usi tamen sunt Afri et Macedones, ut discimus ex Statio et Silio Italico. Imo et Romani ipsi, ut scripsit Liv. lib. viii.

ex locó superiore mittere : ut quaeque pars castrorum nudata defensoribus premi videbatur, eò occurrere, et auxilium ferre : sed hoc superari, quod diuturnitate pugnae hostes defessi prœlio excedebant, alii integris viribus succedebant : quarum rerum à nostris propter paucitatem fieri nihil poterat, ac non modò defesso ex pugnâ excedendi, sed ne saucio quidem ejus loci, ubi constiterat, relinquendi, ac suî recipiendi, facultas dabatur.

V. Quum jam amplius horis VI continentèr pugnaretur, ac non solùm vires, sed etiam tela nostris deficerent ; atque hostes acriùs instarent, languidioribusque nostris, vallum scindere, et fossas complere cœpissent, resque esset jam ad extremum deducta casum ; [1] P. Sextius Baculus, primipili centurio, quem Nervico prœlio compluribus confectum vulneribus diximus, et item C. Volusenus tribunis militum, vir et consilii magni et virtutis, ad Galbam accurrunt ; atque unam esse spem salutis docent, si, eruptione factâ, extremum auxilium experirentur. Itaque convocatis centurionibus, celeriter milites certiores facit, paullisper intermitterent prœlium, ac tantummodò tela missa exciperent, seque ex labore reficerent ; pòst, signo dato, è castris erumperent, atque omnem spem salutis in virtute ponerent.

VI. Quod jussi sunt, faciunt : ac subitò omnibus [2] portis eruptione factâ, neque cognoscendi quid fieret, neque suî colligendi, hostibus facultatem relinquunt. Ita commutatâ fortunâ, eos, qui in spem potiundorum castrorum venerant, undique circumventos interficiunt ; et ex hominum millibus amplius XXX, (quem numerum barbarorum ad castra venisse constabat) plus tertiâ parte interfectâ, reliquos perterritos in fugam conjiciunt ; ac ne in locis quidem superioribus consistere patiuntur. Sic omnibus hostium copiis fusis armisque exutis, se in castra munitionesque suas recipiunt. Quo prœlio facto, quòd saepiùs fortunam tentare Galba nolebat, atque alio sese in hiberna consilio venisse meminerat, aliis occurrisse rebus videbat ; maximè, frumenti commeatûsque inopiâ permotus ; postero die, omnibus ejus vici aedificiis incensis, in provinciam reverti contendit : ac nullo hoste prohibente, aut iter demorante, incolumem legionem in Nantuates, inde in Allobrogas perduxit, ibique hiemavit.

VII. His rebus gestis, quum omnibus de caussis Caesar pacatam Galliam existimaret, superatis Belgis, expulsis Germanis, victis in Alpibus Sedunis, atque ita initâ hieme [3] in Illyricum profectus esset, quòd eas quoque nationes adire, et regiones cognoscere volebat ; subitum

NOTÆ.

1 *P. Sextius Baculus,*] Hic ab Eutropio Pacuvius dicitur.

2 *Portis eruptione facta.*] Portæ castrorum quatuor erant. Prima appellabatur Prætoria, proxima Prætorio, et aut orientem spectans, aut hostem, aut illam partem ad quam hostis est iturus. Secunda Decumana huic opposita, atque adeo ab hoste remotior. Duæ laterales, quæ principales dicebantur, quod in eo loco essent, in quo principes ordines tendebant, ut ait Festus. Harum altera dextra erat, altera sinistra.

3 *In Illyricum*] Illyrici pars Cæsaris etiam erat Provincia. Longè lateque olim patebat. Ut vero à Plinio describitur, posset dici, *Sclavonia.*

bellum in Galliâ coortum est. Ejus belli haec fuit caussa. P. Crassus adolescens cum legione vii [1] proximus mare Oceanum in Andibus hiemabat. Is, quòd in his locis inopia frumenti erat, [2] praefectos tribunosque militum complures in finitimas civitates, frumenti commeatûsque petendi caussâ, dimisit: quo in numero erat T. Terrasidius missus in [3] Eusubios; M. Trebius Gallus, in [4] Curiosolitas; Q. Velanius cum T. Silio, [5] in Venetos.

VIII. Hujus civitatis est longè amplissima auctoritas omnis orae maritimae regionum earum; quòd et naves habent Veneti plurimas, quibus in Britanniam navigare consueverunt, et scientiâ atque usu nauticarum rerum caeteros antecedunt; [6] et in magno impetu maris, atque aperto, paucis portubus interjectis, quos tenent ipsi, omnes ferè, qui eodem mari uti consueverunt, habent vectigales. Ab iis fuit initium retinendi Silii atque Velanii, quòd per eos suos se obsides, quos Crasso dedissent, recuperaturos existimabant. Horum auctoritate finitimi adducti, (ut sunt Gallorum subita et repentina consilia) eâdem de caussâ Trebium Terrasidiumque retinent: et celeriter missis legatis, per suos principes inter se conjurant, nihil, nisi communi consilio, acturos, eundemque omnis fortunae exitum esse laturos: reliquasque civitates sollicitant, ut in eâ libertate, quam â majoribus acceperant, permanere, quàm Romanorum servitutem perferre mallent. Omni orâ maritimâ celeriter ad suam sententiam perductâ communem legationem ad P. Crassum mittunt; si velit suos recipere, obsides sibi remittat.

IX. Quibus de rebus Caesar à Crasso certior factus, quòd ipse aberat longiùs; [7] naves interim longas ædificari [8] in flumine Ligeri, quod influit Oceanum, remiges ex Provinciâ institui, nautas gubernatoresque comparari jubet. His rebus celeriter administratis, ipse quàm primùm per anni tempus potuit, ad exercitum contendit. Veneti reliquaeque item civitates, cognito Caesaris adventu, simul quòd, quantum in se facinus admisissent, intelligebant, [9] legatos, quod nomen apud omnes

NOTÆ.

1 *Proximus mare Oceanum*] Griphianus codex habet, *proximus mari Oceano.*

2 *Præfectos, tribunosque militum*] Erant in exercitu Romano plura Præfectorum genera, castrorum nempe, fabrum, equitum, sociorum, qui passim apud autores commemorantur.

3 *Eusubios;*] Eusubii inter Celtas ignorantur. Varia est hic lectio; nam quidem legunt, *Sesuvios*, alii *Lexovios* alii *Unellos.*

4 *Curiosolitas;*] De quibus supra.

5 *In Venetos.*] Ab iis Venetis Venetos in Italia oriundos esse, autor est Strabo, lib. v.

6 *Et in magno impetu maris atque aperto.*] Amplum atque latum spatium maris intelligit, quasi in Oceano qui apertior est, majores etiam jactationem impetus fieri necesse fit.

7 *Naves interim longas*] Multa sunt navium et nomina et genera. Verum naves longæ hæ dicuntur, quæ remis aguntur; quales sunt hodie quæ nobis dicuntur *Galeres*, et sunt ad prælia idoneæ. Erant aliæ minus ad pugnas, sed magis ad onera portanda comparatæ, unde onerariæ dictæ.

8 *In flumine Ligeri,*] Ligeris, vel potius Liger, ortus in monte Cebenna, in Oceanum inter Pictones et Nannetes influit, *Loire.*

9 *Legatos, quod nomen apud,* &c.] Cicero Verr. I. *Legati nomen ejusmodi esse debet quod non modo inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versatur.*

nationes sanctum inviolatumque semper fuisset, retentos ab se et in vincula conjectos; pro magnitudine periculi bellum parare, et maximè ea, quae ad usum navium pertinerent, providere instituunt, hôc majore spe quòd multùm naturâ loci confidebant: pedestria esse itinera concisa [1] aestuariis, navigationem impeditam propter inscientiam locorum paucitatemque portuum, sciebant: neque nostros exercitus, propter frumenti inopiam, diutiùs apud se morari posse confidebant. [a] Ac jam ut omnia contra opinionem acciderent, tamen se plurimum navibus posse: Romanos neque ullam facultatem habere navium, neque eorum locorum, ubi bellum gesturi essent, vada, portus, insulasque novisse: ac longè aliam esse navigationem [2] in concluso mari, atque in vastissimo atque apertissimo Oceano, perspiciebant. His initis consiliis, oppida muniunt, frumenta ex agris in oppida comportant: naves in Venetiam, ubi Caesarem primum bellum gesturum constabat, quamplurimas possunt, cogunt. Socios sibi ad id bellum Osismios, [3] Lexobios, [4] Nannetes, [5] Ambialites, Mornois, [6] Diablintes, Menapios adsciscunt. Auxilia ex Britanniâ, quae contra eas regiones posita est, accersunt.

X. Erant hae difficultates belli gerendi, quas suprà ostendimus: sed tamen multa Caesarem ad id bellum incitabant: injuriae retentorum equitum Romanorum: [7] rebellio facta post deditionem: defectio datis obsidibus: tot civitatum conjuratio: in primis, nè, hâc parte neglectâ, reliquae nationes idem sibi licere arbitrarentur. Itaque quum intelligeret, omnes ferè Gallos novis rebus studere, et ad bellum mobiliter celeriterque excitari, omnes autem homines naturâ libertati studere, et conditionem servitutis odisse: priùs, quam plures civitates conspirarent, partiendum sibi, ac latiùs distribuendum exercitum putavit.

XI. Itaque T. Labienum in legatum Treviros, qui proximi Rheno flumini sunt, cum equitatu mittit. Huic mandat, Rhemos, reliquosque Belgas adeat; atque in officio contineat; Germanosque qui auxilio à Belgis accersiti dicebantur, si per vim navibus flumen transire conentur, prohibeat. P. Crassum cum [8] cohortibus legionariis xii, et magno

INTERPRETATIO.

a *Et certe quamvis cuncta evenirent adversus spem.*

NOTÆ.

1 *Æstuariis,*] Æstuaria sunt loca, in quibus post æstus maris recessum, aqua stagnans remanet.

2 *In concluso mari,*] In mari Mediterraneo, quod solum Romani norant.

3 *Lexobios,*] Lexobii, qui et Lexovii dicuntur, quorum urbs Noviomagus, *Lisieux*

4 *Nannetes,*] Solo nomine noti, *Ceux de Nantes.*

5 *Ambialites,*] Ambibariti dicuntur Eutropio, *Ceux de Lamballe.*

6 *Diablintes,*] Sunt confines Venetis, de quibus supra. Cæteri qui sint, est supra dictum.

7 *Rebellio*] Aliud est rebellio, aliud defectio. Deficit, qui imperium detrectat; rebellat, qui bellum confectum restaurat. Potest esse defectio sine rebellione, rebellio sine defectione esse non potest.

8 *Cohortibus legionariis* xii.] Cohortes decem habebat legio. Itaque plus quam legio missa: sed cohortes legionariæ dicebantur, quæ ex civibus Romanis constabant, et legionis partes erant, non de auxiliis sumptæ fuerant.

numero equitatûs in Aquitaniam proficisci jubet, ne ex his nationibus auxilia [1] in Galliam mittantur, ac tantae nationes conjungantur. Q. Titurium Sabinum legatum cum legionibus III [2] in Unellos, Curiosolitas, Lexobiosque mittit, [a] qui eam manum distinendam curat. D. Brutum adolescentem classi, Gallicisque navibus, quas ex Pictonibus et Santonis, reliquisque pacatis regionibus convenire jusserat, praefecit: et uum primùm posset, in Venetos proficisci jubet. Ipse eò pedestribus copiis contendit.

XII. Erant ejusmodi ferè situs oppidorum, [3] ut posita in extrémis linguis promontoriisque; neque pedibus aditum haberent, quum ex alto se aestus incitavisset, quod bis semper accidit horarum XII spatio: neque navibus, quòd rursus, [4] minuente aestu, naves in vadis afflictarentur. Ita utrâque re oppidorum oppugnatio impediebatur. Ac, si quando magnitudine operis fortè superati, extruso mari aggere ac molibus, [5] atque his fermè [6] moenibus adaequatis, suis fortunis desperare coeperant; magno numero navium appulso, cujus rei summam facultatem habebant, sua omnia deportabant, seque in proxima oppida recipiebant: ibi se rursus iisdem opportunitatibus loci defendebant. Haec eò faciliùs magnam partem aestatis faciebant, quòd nostrae naves tempestatibus detinebantur: summaque erat vasto atque aperto mari, magnis aestibus, raris ac prope nullis portubus, difficultas navigandi.

XIII. Namque ipsorum naves ad hunc modum factae, armataeque erant: carinae aliquanto planiores, quàm nostrarum navium, quò faciliùs vada ac decessum aestûs excipere possent: prorae admodum erectae, atque item puppes, ad magnitudinem fluctuum tempestatumque accommodatae. Naves totae factae ex robore, [7] ad quamvis vim et contumeliam perferendam: [8] transtra ex pedalibus in latitudinem trabibus, confixa clavis ferreis, digiti pollicis crassitudine: anchorae, pro funibus, ferreis catenis revinctae: pelles pro velis, [9] alutaeque tenuiter confectae, sive propter lini inopiam, atque ejus usûs inscientiam, sive, quod est magìs verisimile, quòd tantas tempestates Oceani, tantosque

INTERPRETATIO.

a *Qui retineat eam partem* hoſtum.

NOTÆ.

1 *In Galliam mittantur,*] Celtarum Galliam propriè dictam intelligit, in qua poſita Veneti. Sic ab initio libri: *Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona et Sequana dividit:* Et eodem initio libri: *Incolunt tertiam partem, qui ipſorum lingua Celtæ, Romanorum lingua Galli appellantur.*

2 *In Unellos, Curioſolitas, Lexobios*] De quibus ſupra.

3 *Ut poſita in extremis linguis*] Sextus Pompeius Feſtus: *Lingua promontorii genus eſt non excellentis, ſed molliter in planum devexi. Id promontorium,* teſte Pacuvio apud Gellium, *cujus lingua in altum proficit.* Porro citus ejusmodi hodie in oppidis Armoricis non amplius invenitur.

4 *Minuente æſtu,*] Nota *minuente* paſſive ſumptum, id eſt, dum minuitur.

5 *Atque his*] Nempe aggere et mollibus.

6 *Mænibus*] Oppidorum ſuorum.

7 *Ad quamvis vim et contumeliam perferendam:*] Obſerva contumeliam non hic eſſe injuriam cum probro conjunctam.

8 *Tranſtra*] Sedilia remigum quæ conſtabant ex trabibus, quarum erat longitudo pedis unius.

9 *Alutæque*] Pelles eſt mollior atque tenuior.

impetus ventorum sustineri, ac tanta onera navium regi velis, non satis commodè posse arbitrabantur. Cum his navibus nostrae classi ejusmodi congressus erat, ut una celeritate et pulsu remorum praestarent; reliqua pro loci naturâ, pro vi tempestatum, illis essent aptiora et accomodatiora: neque enim his nostrae rostro nocere poterant, (tanta in his erat firmitudo) neque propter altitudinem facilè telum adjiciebatur: et eádem de caussâ minùs incommodè scopulis continebantur. Accedebat, ut quum saevire ventus coepisset, et se vento dedissent: et tempestatem ferrent faciliùs, et in vadis consisterent tutiùs, et, ab aestu derelictae, nihil saxa et cautes timerent; quarum rerum omnium nostris navibus casus erant extimescendi.

XIV. Compluribus expugnatis oppidis, Caesar, ubi intellexit frustra tantum laborem sumi, neque hostium fugam captis oppidis reprimi, neque his noceri posse, statuit expectandam classem. Quae ubi convenit, ac primùm ab hostibus visa est, circiter CCXX naves eorum paratissimae, atque omni genere armorum ornatissimae, è portu profectae, nostris, adversae constiterunt. [1] Neque satis Bruto, qui classi praeerat, neque tribunis militum centurionibusque, quibus singulae naves erant attributae, constabat quid agerent, [a] aut quam rationem pugnae insisterent: rostro enim noceri non posse cognoverant: turribus autem excitatis, tamen has altitudo puppium ex barbaris navibus superabat; ut neque ex inferiore loco satis commodè tela adjici possent, et missa à Gallis graviùs acciderent. Una erant magno usui res praeparata à nostris; [2] falces praeacutae, insertae affixaeque longuriis, [3] non absimili formâ muralium falcium: his quum funes, qui antennas ad malos destinabant, comprehensi adductique erant, navigio remis incitato, praerumpebantur: quibus adscissis, antennae necessariò concidebant; ut quum omnis Gallicis navibus spes [4] in velis armamentisque consisteret, his ereptis, omnis usus navium uno tempore eriperetur. Reliquum erat certamen positum in virtute; quâ nostri milites facile superabant; atque eò ma-

INTERPRETATIO.

a *Aut quem modum certaminis tenerent.*

NOTÆ.

1 *Neque satis Bruto.*] Is est qui Decimus vocatur, et cum M. Bruto et Cassio in Cæsaris necem conspiravit, etsi fuisset ejus legatus, magnisque ab eo beneficiis affectus, et in hæredibus ab eo testamento scriptus, nec manus quidem cædi accomodavit, sed M. Antonium illi fidum longiore sermone de industria injecto extra curiam distinuit, à quo postea Mutinæ obsessus, ab Octavianoque liberatus, tandem in Macedoniam proficiscens, in M. Antonii milites incidit, à quibus fuit interfectus.

2 *Falces præacutæ.*] De quibus Vegetius lib. ultimo: *Falx dicitur acutissimum ferrum curvatum ad similitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, collatorios funes, quibus antenna suspenditur, repente præcidit, collapsisque velis, Liburnam pigriorem et inutilem reddit.*

3 *Non absimili formâ muralium falcium.*] Indicem nempe ex Vegetio lib. iv. cap 14. cognoscitur quæ sit forma muralium falcium: *De materia et tabulatis testudo contexitur, quæ ne exuratur incendio, coriis vel ciliciis, centonibusque vestitur. Hæc intrinsecus accipit trabem, quæ adunco præfigitur ferro, quod falx vocatur, ab eo quod incurvata est, ut de muro extrahat lapides.* A Livio etiam describuntur falces murales, lib. xxxviii.

4 *In velis armamentisque.*] Armamenta dicuntur antennæ, vela, aliaque navis instrumenta ab armando dicta, Gallicè, *equipage.*

gis quòd in conspectu Caesaris atque omnis exercitûs res gerebatur, ut nullum paullò fortius factum latere posset: omnes enim colles et loca superiora, unde erat propinquus despectus in mare, ab exercitu tenebantur.

XV. Disjectis, ut diximus, antennis, quum singulas binae aut ternae naves circumsisterent, milites summâ vi descendere in hostium naves, contendebant. Quod postquam barbari fieri animadverterunt, expugnatis compluribus navibus, quum ei rei nullum reperiretur auxilium, fugâ salutem petere contenderunt: ac jam conversis in eam partem navibus, quò ventus ferebat, [1] tanta subitò malacia ac tranquillitas exstitit, ut se loco movere non possent: quae quidem res ad negotium conficiendum maximè fuit opportuna. Nam singulas nostri consectati expugnaverunt; ut perpaucae ex omni numero, noctis interventu, ad terram pervenerint, quum ab horâ ferè IV usque ad solis occasum, pugnaretur.

XVI. Quo proelio bellum Venetorum, totiusque orae maritimae, confectum est. Nam quum omnis juventus, omnes etiam gravioris aetatis, in quibus aliquid consilii aut dignitatis fuit, eò convenerant; tum navium quod ubique fuerat, unum in locum coëgerant: quibus amissis, reliqui neque quò se reciperent, neque quemadmodum oppida defenderent, habebant. Itaque se suaque omnia Caesari dediderunt: in quos eò graviùs Caesar vindicandum statuit, quò diligentiùs in reliquum tempus à barbaris jus legatorum conservaretur. Itaque, omni senatu necato, [2] reliquos sub coronâ vendidit.

XVII. Dum haec in Venetis geruntur, Q. Titurius Sabinus, cum his copiis quas à Caesare acceperat, in fines Unellorum pervenit. His praeerat Viridovix, ac summam imperii tenebat earum omnium civitatum quae defecerant, ex quibus exercitum, magnasque copias coëgerat. Atque his paucis diebus [3] Aulerci, Eburovices, [4] Lexoviique, senatu suo interfecto, quod auctores belli esse nolebant, portas clauserunt, seque cum Viridovice conjunxerunt: magnaque praeterea multitudo undique ex Galliâ perditorum hominum latronumque convenerat, quos spes praedandi, studiumque bellandi ab agriculturâ et quotidiano labore revocabat. Sabinus, idoneo omnibus rebus loco, castris sese tenebat: cum Viridovix contra eum duûm millium spatio consedisset, quo-

NOTÆ.

1 *Tanta ſubito malacia*] Seneca lib. ix. Epiſt. *Sed in otio inconcuſſo jacere non eſt tranquillitas, malacia eſt.* Græcum eſt nomen, quod apud Latinos, ut multa alia, in uſu eſt. Hic porro obſervanda Cæſaris felicitas, niſi enim illa repentina malacia fugam Gallis eripuiſſet. bellum non eſſet confectum.

2 *Reliquos ſub corona vendidit.*] Sub corona vendere quid fuerit, non plane liquet. Alii enim putant eſſe vendere in orbem diſpoſitos, quo facilius ab emptoribus poſſint conſiderari. Aulus vero Gellius lib. vii. cap. 4. ait: *Eſſe veriſimilius coronatos væniiſſe ſervos juxta dictum Catonis, ut populos ſua opera potius ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, quam re mala geſta coronatus væneat.*

3 *Aulerci, Eburovices,*] *Ceux d'Evreux.* In aliis codicibus fruſtra erat virgula interpoſita, Eburovicum urbs Mediolanum. *Evereux.*

4 *Lexovii*] *Ceux de Liſieux*, de quibus ſupra.

tidieque productis copiis pugnandi potestatem faceret; ut jam non solùm hostibus in contemptionem Sabinus veniret, sed etiam nostrorum militum vocibus nonnihil carperetur: tantamque opinionem timoris praebuit, ut jam ad vallum castrorum hostes accedere auderent. Id eâ caussâ faciebat, quòd cum tantâ multitudine hostium, praesertim eo absente qui summam imperii teneret, nisi aequo loco, aut opportunitate aliquâ datâ, legato dimicandum non existimabat.

XVIII. Hâc confirmatâ opinione timoris, idoneum quendam hominem et callidum delegit Gallum, ex iis quos auxilii caussâ secum habebat: huic magnis praemiis pollicitationibusque persuadet, utì ad hostes transeat: quid fieri velit, edocet. Qui ubi pro perfugâ ad eos venit, timorem Romanorum proponit; quibus angustiis ipse Caesar à Venetis prematur, docet: neque longiùs abesse, quin proximâ nocte Sabinus clàm ex castris exercitum educat, et ad Caesarem, auxilii ferendi caussâ, proficiscatur. Quod ubi auditum est, conclamant omnes, occasionem negotii bene gerendi amittendam non esse: ad castra iri oportere. Multae res ad hoc consilium Gallos hortabantur: superiorum dierum Sabini cunctatio; perfugae confirmatio; [1] inopia cibariorum, cui rei parùm diligenter ab hi erat provisum; spes Venetici belli; et quòd ferè libenter homines id, quod volunt, credunt. Iis rebus adducti, non priùs Viridovicem reliquosque duces ex concilio dimittunt, quàm ab his sit concessum, arma utì capiant, et ad castra contendant. Quâ re concessâ, laeti, velut exploratâ victoriâ, sarmentis virgultisque collectis, quibus fossas Romanorum compleant, ad castra pergunt.

XIX. Locus erat castrorum editus, et paullatim ab imo acclivis: circiter passus M; huc magno cursu contenderunt, ut quàm minimum spatii ad se colligendos armandosque Romanis daretur, exanimatique pervenerunt. Sabinus, suos hortatus, cupientibus signum dat: impeditis hostibus, propter ea quae ferebant onera, subitò duabus portis eruptionem fieri jubet. Factum est opportunitate loci, [2] hostium inscitiâ ac defatigatione, virtute militum, àc superiorum pugnarum exercitatione, ut ne unum quidem nostrorum impetum ferrent, ac statim terga verterent; quos impeditos, integris viribus milites nostri consecuti, magnum numerum eorum occiderunt: reliquos, equites consectati, paucos, qui ex fugâ evaserat, reliquerunt. Sic, uno tempore, et de navali pugnâ Sabinus, et de Sabini victoriâ Caesar certior factus est: civitatesque omnes se statim Titurio dediderunt. Nam ut ad bella suscipien-

NOTÆ.

1 *Inopia cibariorum,*] *Si Barbarorum eſt in diem vivere, noſtra conſilia ſempiternum ſpectare debent*, ait Cicero. Jam bis Galli ad mala conſilia deſcenderunt, non bene proviſa re frumentarii: Primum bello Belgio, iterum hoc loco. Cæſar è contrario quicquid agit, ſemper agit proviſa re frumentariâ.

2 *Hoſtium inſcitia ac defatigatione.*] Quod jam ante à Nerviis factum erat, hoc ab his rurſus factum Sabinum juvit.

3 *Ut ne unum quidem* &c.] Forte *primum* melius et fuerit ſcriptum 1. per notam.

da Gallorum alacer et promptus est animus, sic mollis ac minimè resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.

XX. Eodem ferè tempore P. Crassus, quum in Aquitaniam pervenisset; [1] quae pars, ut ante dictum est, et regionum latitudine, et multitudine hominum, ex tertia parte Galliae est aestimanda; quum intelligeret in illis locis sibi bellum gerendum, [2] ubi paucis ante annis L. Valerius Praeconinus legatus, exercitu pulso, interfectus esset; atque unde L. Manilius Proconsul, impedimentis amissis, profugisset; non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intelligebat: itaque, re frumentariâ provisa, auxiliis, equitatuque comparato, multis praeterea viris fortibus [3] Tolosâ, [4] Carcasone et [5] Narbone, (quae sunt civitates Galliae Provinciae finitimae, ex his regionibus) nominatim evocatis, [6] in Sotiatium fines exercitum introduxit: cujus adventu cognito, Sotiates, magnis copiis coactis, equitatuque, quo plurimum valebant, in itinere agmen nostrum adorti, primùm equestre proelium commiserunt; deinde equitatu suo pulso, atque insequentibus nostris, subitò pedestres copias, quas in convalle in insidiis collocaverant, ostenderunt: hi, nostros disjectos adorti, proelium renovârunt.

XXI. Pugnatum est diu atque acriter, quum Sotiates, superioribus victoriis freti, in sua virtute totius Aquitaniae salutem positam putarent; nostri autem, quid sine Imperatore, et sine reliquis legionibus, adolescentulo duce, efficere possent, perspici cuperent: tandem tamen confecti vulneribus hostes terga vertere: quorum magno numero interfecto, Crassus ex itinere oppidum Sotiatium oppugnare coepit; quibus fortiter resistentibus, vineas turresque egit. Illi, aliàs eruptione tentatâ, aliàs [7] cuniculis ad aggerem vineasque actis, cujus rei sunt longè peri-

NOTÆ.

1 *Quæ pars, &c. ex tertia parte Galliæ est æstimanda.*] Jam id falsum esse comperitur. Itaque facile credo, Cæsarem, qui in Aquitaniam non iverit à Crasso fuisse deceptum, ut majores res videretur fecisse, quas etiam auget commemoratione cladium superioribus aliquot ducibus Romanis ibidem illatarum. Et hoc est quod Asinius Pollio, teste Suetonio, parum diligenter parumque integra fide compositos putat, cum Cæsar pleraque et quæ per alios erant gesta, temere crediderit. Quanquam autem sequenti tempore in Aquitaniam ipse profectus fuerit, non illi tamen, quod superiore tempore à se scriptum fuerat, unquam licuit emendare.

2 *Ubi paucis ante annis L. Valerius Præconinus, &c.*] Res videtur gesta bello Sertoriano, cum paucis ante annis id evenisse Cæsar scripserit. Nam Aquitanos Sertorio favisse, patet ex Ciceronis oratione pro lege Manilia: *Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter, Gallorum internecione patefactum est.*

3 *Tolosa.*] De Tolosa supra dictum.

4 *Carcasones.*] Carcaso, Carcasum Plinio. Hodie nomen retinet, estque urbs Languedoki ut vocant.

5 *Narbone.*] Narbo Martius prima Romanorum in Galliam deducta colonia à Portio Martioque Coss. triennio postquam Carthaginem deducta fuerat colonia, nomen Provinciæ Gallicæ dedit, quæ ab ea Narbonensis dicta est. Ad Atacem posita est fluvium, quo deducti sunt et milites decimæ legionis Julii Cæsaris, autore Suetonio. Unde dicta Narbo Decumanorum. Vide Descriptionem ejus apud Sidonium Apollinarem.

6 *In Sotiatium fines.*] Ignorantur Sotiates. Videntur tamen esse, *Ceux d' Aire.* Nam apud Plinium post Elusates nominantur, lib. iv. c. 19. Ortelius vocat, *Sots.*

7 *Cuniculis.*] Cuniculi, *mines*, ab animali dicti, quod egesta terra latere solet. Non ultra hunc usum proficiebant, quam ut subruerentur aggeres et vineæ, aut certe urerentur. Nondum enim pulveris pyrii commentum erat. Cuniculorum autem to-

tissimi Aquitani, propterea quòd multis locis apud eos [1] aerariae structurae sunt: ubi, diligentiâ nostrorum, nihil his rebus profici posse intellexerunt, legatos ad Crassum mittunt, seque in deditionem ut recipiat, petunt; quâ re impetratâ, arma tradere jussi, faciunt.

XXII. Atque in eâ re omnium nostrorum intentis animis, aliâ ex parte oppidi Adcantuannus, qui summam imperii tenebat, [2] cum DC devotis, quos illi Soldurios appellant: quorum haec est conditio, ut omnibus in vitâ commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiae dediderint: si quid iis per vim accidat, aut eundem casum unà ferant, aut sibi mortem consciscant: neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam, qui, eo interfecto cujus se amicitiae devovisset, mori recusaret. Cum his Adcantuannus eruptionem facere conatus, clamore ab eâ parte munitionis sublato, quum ad arma milites concurrissent, vehementerque ibi pugnatum esset, repulsus in oppidum est; utì tamen eâdem deditionis conditione uteretur, à Crasso impetravit.

XXIII. Armis obsidibusque acceptis, Crassus [3] in fines Vocatium et Tarusatium profectus est. Tum verò barbari commoti, quòd oppidum et naturâ loci et manu munitum, paucis diebus, quibus eò ventum fuerat, expugnatum cognoverant, legatos quoquoversus dimittere, conjurare, obsides inter se dare, copias parare coeperunt. Mittuntur etiam ad eas civitates legati, quae sunt [4] citerioris Hispaniae, finitimae Aquitaniae: inde auxilia ducesque accersuntur; quorum adventu, magnâ cum auctoritate, et magnâ cum hominum multitudine bellum gerere conantur. Duces verò ii deliguntur, qui unà [5] cum Q. Sertorio omnes annos fuerant, summamque scientiam rei militaris habere existimabantur. [6] Ii

NOTÆ.

tam rationem in obſidione Rhodi à mechanico quodam fuiſſe inventam narrat Vegetius, lib. iv.

1 *Ærariæ ſtructuræ ſunt.*] Alii *ſtricturæ*, alii *ſecturæ* legunt. Sed Ciacconius delendum putat, hac conjectura ductus, quod ut Cæſar lib. vii, *apud eos magnæ ſunt ferrariæ*, ſcripſit, ita hic, *ærariæ*. Scaliger porro adverſus Cardanum, ſcribit æris Cyprii in Pyrenæis montibus ac Cebenna fodinas eſſe, ac in aliquot Aquitaniæ locis chalybem effodi.

2 *Cum* DC *devotis*,] Devoti dicuntur qui ſe morti devoverunt, ita ut non ſpe victoriæ, ſed mortis hoſtibus inferendæ, neglecta propria ſalute, in montem proſiliant. Id de Celtiberis habet Valerius Maximus lib. xi. c. 6. *Celtiberi nefas eſſe ducebant prælio ſupereſſe, cum is occidiſſet, pro cujus ſalute ſpiritum devoverant.* Aliquid erat ſimile in cohorte ſacra Thebanorum ccc. Ἐραστῶν καὶ ἐρωμένων qui videntur eſſe *συναποθνήσκοντες*, *commorientes.* Suos Turcarum Satrapis fuiſſe ſoldurios, narrat Gulielmus Tyrius lib. ii. cap. 23. Quantumvis autem vox ſolduriorum adblandiatur ſua ſimilitudine, non inde cenſeam ſumpſiſſe originem noſtrorum *ſoldatorum* vocabulum, ſed à ſolidis, quibus ſtipendio donati ſunt, quaſi dicas, *ſolidatos*.

3 *In fines Vocatium et Taruſatium*] Vocates et Taruſates ignorantur.

4 *Citerioris Hiſpaniæ.*] Romani devictam à ſe Hiſpaniam in Citeriorem et Ulteriorem diviſerant

5 *Cum Q. Sertorio*] Q. Sertorius bellum civile multos annos in Hiſpania geſſerat, eique bellum gerenti, hæc Aquitaniæ pars, ut prædictum eſt, faverat: quod bellum ægrè à Cn. Pompeio et Metello fuit confectum. Sertorius dicitur à Floro, *Vir ſummæ quidem, ſed calamitoſæ virtutis.* De eo lege apud Plutarchum, qui ejus vitam ſcripſit, et Appianum lib. i. de bellis civilibus.

6 *Ii conſuetudine populi R.*] Diverſa erant Romanorum et Barbarorum inſtituta. Barbari

consuetudine populi R. loca capere, castra munire, commeatibus nostros intercludere instituunt. Quod ubi Crassus animadvertit, suas copias propter exiguitatem non facilè diduci, hostem et vagari, et vias obsidere, et castris satis praesidii relinquere, ob eam caussam minùs commodè frumentum commeatumque sibi supportari, in dies hostium numerum augeri: non cunctandum existimavit, quin pugnâ decertaret. Hâc re ad concilium delatâ, ubi omnes idem sentire intellexit, posterum diem pugnae constituit.

XXIV. Primâ luce productis omnibus copiis, duplici acie institutâ, [1] auxiliis in mediam aciem conjectis, quid hostes consilii caperent, exspectabat. Illi, etsi propter multitudinem, et veterem belli gloriam, paucitatemque nostrorum, se tutò dimicaturos existimabant; tamen tutius esse arbitrabantur, obsessis viis, commeatu intercluso, sine ullo vulnere victoriâ potiri: et si, propter inopiam rei frumentariae, Romani sese recipere coepissent, impeditos agmine, et sub sarcinis inferiores animo, adoriri cogitabant. Hôc consilio probato ab ducibus, productis Romanorum copiis, sese castris tenebant. Hâc re perspectâ Crassus, quum suâ cunctatione atque opinione, timidiores hostes, nostros milites alacriores ad pugnandum effecisset, atque omnium voces audirentur, expectari diutius non oportere, quin ad castra iretur; cohortatus suos, omnibus cupientibus, ad hostium castra contendit.

XXV. Ibi quum alii fossas complerent, alii multis telis conjectis, defensores vallo munitionibusque depellerent, auxiliaresque, quibus ad pugnam non multùm Crassus confidebat, lapidibus telisque subministrandis, et ad aggerem cespitibus comportandis, speciem atque opinionem pugnantium praeberent: quum item ab hostibus constanter ac non timidè pugnaretur, [a] telaque ex loco superiore missa non frustra acciderent; equites, circumitis hostium castris, Crasso renuntiaverunt, non eâdem esse diligentiâ ab Decumanâ portâ castra munita, facilemque aditum habere.

XXVI. Crassus, equitum praefectos cohortatus, ut magnis praemiis pollicitationibusque suos excitarent, quid fieri velit, ostendit. Illi, ut erat imperatum, eductis quatuor cohortibus, quae praesidio castris relictae, integrae ab labore erant, et longiore itinere circumductis, ne ex hostium castris conspici possent, omnium oculis mentibusque ad pug-

INTERPRETATIO.

a *Et tela desuper jacta non caderent incassum.*

NOTÆ.

enim in virtute omnia posita arbitrati, laborisque impatientes, non castra muniebant, sed e vestigio, si copia esset, manus conferebant. Romani vero, tametsi copiis abundarent, loca idonea castris diligebant, in iis castra posita muniebant, iisque satis magno praesidio imposito, equites quoquoversum dimittebant, qui hostes commeatu prohiberent.

1 *Auxiliis in mediam aciem conjectis.*] Auxilia hic contra morem solitum in media acie locat, quo eos, *quibus*, ut infra videbitur, *ad pugnam non multum confidebat*, in fide contineret: alias ejusmodi auxilia in alis collocari solebant.

nam intentis, celeriter ad eas, quas diximus, munitiones pervenerunt: atque his prorutis, priùs in hostium castris constiterunt, quàm planè ab his videri, aut quid rei gereretur, cognosci posset. Tum verò clamore ab eâ parte audito, nostri, redintegratis viribus, quod plerumque in spe victoriae accidere consuevit, acriùs impugnare coeperunt. Hostes undique circumventi, desperatis omnibus rebus, se per munitiones dejicere, et fugâ salutem petere contenderunt. Quos equitatus apertissimis campis consectatus, ex millium L numero, quae ex Aquitaniâ, [1] Cantabrisque venisse constabat, vix quartâ parte relictâ, multâ nocte se in castra recipit.

XXVII. Hâc auditâ pugnâ, maxima pars Aquitaniae sese Crasso dedidit, obsidesque ultrò misit: quo in numero fuerunt [2] Tarbelli, [3] Bigerriones, [4] Preciani, Vocates, Tarusates, [5] Elusates, [6] Garites, [7] Ausci, [8] Garumni, [9] Sibutzates, Cocosatesque. Paucae ultimae nationes anni tempore confisae, quòd hiems suberat, id facere neglexerunt.

XXVII. Eodem ferè tempore Caesar, etsi propè exacta jam aestas erat, tamen quòd, omni Galliâ pacatâ, Morini Menapiique supererant, qui in armis essent, neque ad eum unquam legatos de pace misissent; arbitratus id bellum celeriter confici posse, eò exercitum adduxit; qui longè aliâ ratione, ac reliqui Galli, bellum gerere instituerunt: nam quòd intelligebant maximas nationes, quae proelio contendissent, pulsas superatasque esse, continentesque silvas ac paludes habebant, eò se suaque omnia contulerunt. Ad quarum initium silvarum quum pervenisset Caesar, castraque munire instituisset, neque hostis interim visus esset, dispersis in opere nostris, subitò ex omnibus partibus silvae evolaverunt, et in nostros impetum fecerunt: nostri celeriter arma ceperunt, eosque in silvas repulerunt; et compluribus interfectis, longiùs impeditioribus locis secuti, paucos ex suis deperdiderunt.

NOTÆ.

1 *Cantabrisque*] Cantabri à Pyrenæis montibus ad Nerium Promontorium pertinent, soli, tota devicta à Romanis Hispania, liberi atque invicti usque ad Augustum, qui eos domuit. Secutis etiam temporibus, Saracenis totam Hispaniam longe lateque pervagatis et deditione tenentibus, invicti et intacti permanserunt, montium quos habitant præsidio tuti Porro cum Eutropius et Orosius xxxviii millia Aquitanorum et Cantabrorum in eo prælio cæsa fuisse scripserint, cum Cæsare consentire plane videntur.

2 *Tarbelli,*] Tarbelli Ptolemæo dicuntur quicquid inter Garumnam et Pyrenen continetur. Horum urbs Aquæ Augustæ *Dax* Strabo autem Tarbellos sinum Aquitanicum cum Santonibus incolere testatur.

3 *Bigerriones.*] *Ceux de Bigorre.*

4 *Preciani, Vocates, Tarusates.*] Ignorantur.

5 *Elusates,*] Quorum Elusa olim erat Metropolis, quæ sequentibus temporibus in humile oppidum fuit redacta, *Eause*, concessa Metropolis dignitate Augustæ Auscorum.

6 *Garites,*] Si qua fides similitudini vocum. quam fateor esse sæpe fallacem, videntur esse, *le Compté de Gavre*, inter Elusates et Auscos.

7 *Ausci*] *Ceux d' Ausch.*

8 *Garumni.*] Sunt ad fontem Garumnæ positi, quorum regio in convenarum finibus, inter oppida sancti Bertranni et sancti Gaudentii, ad utramque Garumnæ ripam, inde riparia dicta, *Riviere*, in superioremque et inferiorem divisa. Urbes ejus regionis insigniores Valentia et Mons regalis, *Montregeau.*

9 *Sibutzates, Cocosatesque*] Ignorantur.

XXIX. Reliquis deinceps diebus Caesar silvas caedere instituit; et ne quis inermibus imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri posset, omnem eam materiam, quae erat caesa, conversam ad hostem collocabat, et pro vallo ad utrumque latus extruebat. Incredibili celeritate magno spatio paucis diebus confecto, quum jam pecus atque extrema impedimenta ab nostris tenerentur, ipsi densiores silvas peterent, ejusmodi tempestates sunt consecutae, utì opus necessario intermitteretur, et, continuatione imbrium diutiùs sub pellibus milites contineri non possent. Itaque, vastatis omnibus eorum agris, vicis aedificiisque incensis, Caesar exercitum reduxit; et in Aulercis, Lexoviisque, reliquis item civitatibus, quae proximè bellum fecerant, in hibernis collocavit.

LIBER IV.

ARGUMENTUM.

Hoc libro continetur bellum contra Usipetes et Tenchtheros, atque obiter mores Suevorum Germanorumque generatim describantur: deinde trajectus Rheni, ut in Germaniam transiret: et trajectus in Britanniam: quem utrumque ante illum nemo Romanus ausus fuerat.

I. EA, quae secuta est, hieme, qui fuit annus [1] Cneio Pompeio, M. Crasso Coss. [2] Usipetes Germani, et item Tenchtheri, magnâ cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt, non longè à mari, quo Rhenus influit. Caussa transeundi fuit, [3] quòd ab Suevis complures annos exagitati bello premebantur, et agriculturâ prohibe-

NOTÆ.

1 *Cneio Pompeio, M Craſſo Coſſ.*] Hic conſulatus in annum ab U. C. DCXCIX incidit, et eſt eorum ſecundus, quam XV. ante annis primum geſſiſſent.

2 *Uſipetes Germani et item Tenchtheri.*] Uſipetes et Tenchtheri, gentes ignotæ, propterea quod ſæpe ſedes mutârint. Dion lib. liv. narrat ab illis ortum fuiſſe bellum Auguſto tantum, ut ab urbe proficiſci ad illos neceſſe habuerit. Frimum quidem odio Romanorum, memores, ut ſit veriſimile, cladium quas à noſtro Julio acceperant, quoſdam eorum in ſua regione cruci ſuffixerunt: deinde trajecto Rheno Germaniam ciſrhenanam et Galliam depopulati, Lollium devicerunt. Sed cum accepiſſent Auguſtum relicta urbe proficiſci, obſidibus datis, pacem fecerunt. Ejuſdem belli paciſque participes fuere Sicambri. Iidem Uſipetes eſſe, qui Uſipii dicuntur Tacito, videntur, et dicuntur quoque equitatu valere. Variis modis hæc populorum nomina ab auctoribus ſcripta leguntur, Græcis præſertim: quod factum eſt cum errore ſcribentium, tum eorum qui hiſtorias exſcripſerunt, quibus hæc gentes erant ignotæ. Sic de iis Tacitus lib. de morib. Germ. *Proximi Cattis certum jam alveo Rhenum, quique terminus eſſe ſufficiat, Uſipii ac Tenchtheri colunt.* Unde liquet vagatos eſſe illos populos, et ſæpe mutâſſe ſedes. Si quidem Taciti ætate ſupra Baſileam poſiti erant.

3 *Quod ab Suevis,*] Suevorum nomen in aliquâ Germaniæ parte remanet, *Suabe.* Sed longius olim natio patebat. Nam et apud Tacitum lib. de Moribus Germanorum, mare dicitur aliquod Suevicum. Lucanus vero:

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suëvos
Albis——

Tacito vero in lib. de vita Agricolæ: Cohors quædam Uſipiorum amiſſis per inſcitiam regendi navibus, pro prædonibus primum a Suevis, mox à Friſiis fuiſſe intercepta dicitur. Sed et idem Tacit. Suevorum non unam eſſe gentem dicit, ut nihil mirum ſit tam varias regionis illis paſſim ab auctoribus aſſignari; majorem enim Germaniæ partem obtinere diſcretos, quanquam in commune Suevi vocentur eorumque multas gentes nominat, Semnones, Longobardos. Anglos, &c. Plinius, lib. iv. cap. xiv. accenſet illos Hermionibus. Strabo lib. vii. ſcribit illos à Rheno ad Albim uſque pertinere, illiſque accenſet Hermonduros, Langoſargos, forte *Long·bardos.* Sed illorum omnium ſedes quærere dehortatur, quod ſic de illis ſcriptum eſſe reliquit: Κοινὸν δ' ἐςιν ἅπασι τοῖς ταυτη τὸ περι τὰς μετανας άσεις εὐμαρὲς διὰ τὴ λιτότητα τοῦ βιυ καὶ διά τὸ μὴ γεωργεῖν, μηδὲ θησαυρίζειν, ἀλλ' ἐν καλυβίοις οἰκεῖν, ἐφήμερον ἔχουσι παρασκευήν· τροφὴ δ' ἀπὸ τῶν θρεμματων ἡ πλειςη καθαπερ τοῖς Νομάσιν, ως ἐκείνους μιμούμενοι τὰ οἰκεῖα ταῖς

bantur. Suevorum gens est longè maxima et bellicosissima Germanorum omnium. [1] Ii centum pagos habere dicuntur: ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi caussâ, suis ex finibus educunt. Reliqui domi manent; pro se atque illis colunt. Hi rursus invicem anno pòst in armis sunt: illi domi remanent. Sic neque agricultura, neque ratio, neque usus belli intermittitur: [2] sed privati ac separati agri apud eos nihil est: neque longiùs anno remanere uno in loco, incolendi caussâ, licet; neque multum frumento, sed [3] maximam partem lacte atque pecore vivunt, multumque sunt in venationibus. Quae res et cibi genere, et quotidianâ exercitatione, et libertate vitae, (quòd a pueris nullo officio aut disciplinâ assuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciant) et vires alit, et immani corporum magnitudine efficit: atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitûs, praeter pelles, habeant quidquam; quarum propter exiguitatem, magna est corporis pars aperta: [4] et laventur in fluminibus.

II. Mercatoribus est ad eos aditus, eò magis, ut quae bello ceperint, quibus vendant, habeant, quàm quò ullam rem ad se importari desiderent. Quin etiam [5] jumentis, quibus maximè Gallia delectatur, quaeque impenso parat pretio, Germani importatis non utuntur: sed quae sunt apud eos nata prava atque deformia, haec quotidianâ exercitatione, summi ut sint laboris, efficiunt. Equestribus procliis saepe ex equis desiliunt, ac pedibus proeliantur, equosque eodem remanere vestigio assuefaciunt, ad quos se celeriter, quum usus poscit, recipiunt: neque eorum moribus turpius quidquam, aut inertius habetur, quàm ephippiis uti: itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum,

NOTÆ.

ἁρμαμάξαις ἐπάραντες ὁποίαν δόξοι τρέπονται μετα των βοσκηματων. *Commune est omnium qui illas regiones incolunt, facile commutare locum, propterea quod tenui victu contenti agrorum cultum negligunt, et quod nesciunt divitias condere; sed in tuguriis habitant, et in diem vivunt. Maximam partem pecore victitant, ut Nomades, quos imitati impositis in vehicula quæ habent, quo visum est cum pecoribus commigrant.* Tandem Alemanni vocati sunt, et superiorem Germaniam incoluerunt, ut scribit Agathias lib. i. de bello Gothico, qui hos superiorem, Francos vero inferiorem Germaniam habitasse ait, citatque Asinam Quadratum Italum, qui de rebus Germanicis scripserat. Paulus item Diaconus in vita Imperatoris Mauritii de Docirupho duce Longobardorum, ait illum oriundum à Suevis, id est Alemannis. Strabo lib. iv. Suevos dicit, viribus multitudine præcedere omnes Germanos. Plutarchus vero Suevos: Τῦ Γερμανικοῦ ἡγεμονικωτάτȣς dicit, *Germanicarum nationum principes* esse.

1 *In centum pagos.*] Id est, partes: sic enim Plutarchus in Numa vocat.

2 *Sed privati, &c.*] Tacitus idem fere habet: *Arva per annos mutant, et superest ager.* Et supra: *Agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur: facilitatem partiendi camporum spatia præstant.*

3 *Maximam partem.*] Hellenismus est, intelligiturque κατὰ, quæ præpositio accusandi casum apud Græcos regit.

4 *Laventur in fluminibus.*] Idem habet Mela Cæsarem κατὰ ποδα secutus.

5 *Jumentis quibus maxime Gallia delectatur.*] Vero lib. xi. de re rustica. cap. x. *Non omnis apta natio ad pecuariam: Galli appositissimi, maxime adjumenta.*

quamvis pauci, adire audent: [1] vinum ad se omnino importari non sinunt, quòd eâ re ad laborem ferendum remollescere homines, atque effoeminari arbitrantur.

III. Publicè maximam putant esse laudem, quàm latissimè à suis finibus vacare agros: hâc re significari, magnum numerum civitatum suam vim sustinere non potuisse. Itaque unâ ex parte à Suevis circiter [2] millia passuum DC agri vacare dicuntur. Ad alteram partem succedunt [3] Ubii, quorum fuit civitas ampla atque florens, ut est captus Germanorum; et paullo, qui sunt ejusdem generis, etiam caeteris humaniores; propterea quòd Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant, et ipsi propter propinquitatem Gallicis sunt moribus assuefacti. Hos quum Suevi, multis saepe bellis experti, propter amplitudinem gravitatemque civitatis, finibus expellere non potuissent, tamen vectigales sibi fecerunt, ac multò humiliores infirmioresque reddiderunt.

IV. In eâdem caussâ fuerunt Usipetes et Tenchtheri, quos supra diximus: qui complures annos Suevorum vim sustinuerunt; ad extremum tamen agris expulsi, et multis locis Germaniae triennium vagati, ad Rhenum pervenerunt: quas regiones Menapii incolebant, et ad utramque ripam fluminis agros, aedificia, vicosque habebant: sed tantae multitudinis adventu perterriti, ex his aedificiis, quae trans flumen habuerant, demigraverunt: et cis Rhenum, dispositis praesidiis, Germanos transire prohibebant. Illi omnia experti, quum neque vi contendere, propter inopiam navium, neque clam transire, propter custodias Menapiorum, possent; [4] reverti se in suas sedes regionesque simulaverunt: et tridui viam progressi, rursus reverterunt; atque omni hoc itinere unâ nocte equitatu confecto, inscios inopinantesque Menapios oppresserunt; qui de Germanorum discessu per exploratores certiores facti, sine metu trans Rhenum in suos vicos remigraverant. His interfectis, navibusq; eorum occupatis, priusquam ea pars Menapiorum, quae citra Rhenum erat, certior fieret, flumen transierunt; atq; omnibus eorum aedificiis occupatis, [a] reliquam partem hiemis se eorum copiis aluerunt.

INTERPRETATIO.

a *Victitaverunt eorum cibariis per reliquum hiemis.*

NOTÆ.

1 *Vinum ad ſe*, &c.] Et in hoc non barbari; nihil enim verius hac ſententia. Quum et tantam labem vinum affert hominibus, nihil ut jam paulo laborioſius facere liceat iis qui aſſueverint, niſi vino ſe ante proluerint. Hanc legem ſi ſervâſſent eorum poſteri, ſuo generi melius conſuluiſſent: ſed jam tempore Taciti hiſtorici corrupti erant. qui quidem poſtquam ſcripſit, potui illis eſſe humorem ex hordeo et frumento in quandam ſimilitudinem vini corruptum; proximos vero ripæ vinum mercari, eoſque ſine blandimentis expellere famem, addit, *eis adverſus ſitim, non eandem eſſe temperantiam.* Et poſtea quaſi vaticinatus; *Si indulſeris*, inquit *ebrietati, ſuggerendo quantum concupiſcant, haud minus facile vitiis, quam armis capientur.*

2 *Millia paſſuum* DC.] Cum in numeris facilis ſit lapſus propter notas, veriſimile eſt hic vehementer erratum. Quis enim credat DC leucas cultoribus vacuas fuiſſe Suevorum cauſâ? Forte LX.

3 *Ubii.*] De quibus ſupra.

4 *Reverti ſe in ſuas ſedes regioneſque ſimulaverunt.*] Eodem ſtratagemate Græci uſi apud Trojam, ſi Virgilio credimus.

V. His de rebus Caesar certior factus, et infirmitatem Gallorum veritus, quod [1] sunt in consiliis capiendis mobiles, et novis plerumque rebus student, nihil his committendum existimavit. Est autem hoc Gallicae consuetudinis, ut et viatores etiam invitos consistere cogant: et quod quisque eorum de quâque re audierit aut cognoverit, quaerant: et mercatores in oppidis vulgus circumsistat: quibus ex regionibus veniant, quasque res ibi cognoverint, pronuntiare cogant: his rumoribus atque auditionibus permoti, de summis saepe rebus consilia incunt: quorum eos è vestigio pœnitere necesse est, [a] quùm incertis rumoribus serviant, et plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant.

VI. Quâ consuetudine cognitâ, Caesar, ne graviori bello occurreret, maturiùs quàm consueverat, ad exercitum proficiscitur. Eò quum venisset, ea, quae fieri suspicatus erat, facta cognovit: missas legationes à nonnullis civitatibus ad Germanos, invitatosque eos uti ab Rheno discederent, omniaque quae postulâssent ab se fore parata. Quâ spe adducti Germani latiùs jam vagabantur, et [2] in fines Eburonum et Condrusorum, qui sunt Trevirorum clientes, pervenerant. Principibus Galliae evocatis, Caesar ea quae cognoverat, dissimulanda sibi existimavit: eorumque animis permulsis et confirmatis, equitatuque imperato, bellum cum Germanis gerere constituit.

VII. Re frumentariâ comparatâ, equitibusque delectis, iter in ea loca facere cœpit, quibus in locis Germanos esse audiebat: à quibus quum paucorum dierum iter abesset, legati ab iis venerunt, quorum haec fuit oratio: Germanos neque priores populo R. bellum inferre, neque tamen recusare, si lacessantur, quin armis contendant: quòd Germanorum consuetudo haec sit à majoribus tradita, quicumque bellum inferant, resistere, neque deprecari: hoc tamen dicere, venisse invitos, ejectos domo: si suam gratiam Romani velint, posse eis utiles esse amicos; vel sibi agros attribuant, vel patiantur eos tenere quos armis possederint; sese unis Suevis concedere, [3] quibus ne Dii quidem immortales pares esse possint: reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint.

VIII. Ad haec Caesar, quae visum est, respondit: sed exitus fuit orationis: Sibi nullam cum his amicitiam esse posse, si in Galliâ remanerent; neque verum esse, qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare; neque ullos in Galliâ vacare agros, qui dari tantae praesertim

INTERPRETATIO.

a *Cum sint creduli rumoribus dubiis.*

NOTÆ.

redire se domum simulaverunt, voto etiam pro reditu simulato, deinde nicios incautosque Trojanos oppresserunt.

1 *Sunt in consiliis capiendis mobiles,*] Trebellius Pollio in Galliens. *Gallis ingenitum est esse leves.* Vopiscus vero in Saturnino, gentem esse inquietissimam ait.

2 *In fines Eburonum et Condrusorum.*] De Eburonibus et Condrusis dictum supra. Hoc ne Condrusis addam, in Leodicensis urbis Ecclesia esse Archidiaconum de Condrusio.

3 *Quibus ne Dii quidem,* &c.] Hanc de se male sentientium injuriam numen per Caesarem ultum est.

multitudini sine injuriâ possint: sed licere, si velint, in Ubiorum finibus considere, quorum sint legati apud se, et de Suevorum injuriis querantur, et â se auxilium petant: hoc se ab Ubiis impetraturum.

IX. Legati haec se ad suos relaturos dixerunt, et, re deliberatâ, post diem tertium ad Caesarem reversuros: interea, ne propiùs se castra moveret, petierunt. Ne id quidem Caesar ab se impetrari posse dixit. Cognoverat enim magnam partem equitatûs ab iis aliquot diebus antè, praedandi frumentandique caussâ, [1] ad Ambivaritos trans Mosam missam: hos expectari equites, atque ejus rei caussâ moram interponi, arbitrabatur.

X. Mosa profluit [2] ex monte Vogeso, qui est [3] in finibus Lingonum; et parte quâdam Rheni receptâ, quae appellatur Wallis, [4] insulam efficit Batavorum, [5] neque longiùs ab eo millibus passuum lxxx in Oceanum transit. Rhenus autem oritur [6] ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, et longo spatio per fines [7] Nantuatium, [8] Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, [9] Tribocorum, Trevirorumque citatus fertur: et ubi Oceano appropinquat, in plures diffluit partes, [10] multis ingentibusque insulis effectis, quarum pars magna à feris barbarisque nationibus incolitur, ([11] ex quibus sunt, qui piscibus, atque ovis avium vivere existimantur) multisque capitibus in Oceanum influit.

NOTÆ.

1 *Ad Ambivaritos.*] Ambivariti ignorantur; videntur tamen eſſe, *Breda, Bolduc.*

2 *Ex monte Vogeſo.*] Vogeſus mons, *Mont de Voge.*

3 *In finibus Lingonum.*] De Lingonibus ſupra dictum, quorum fines ampli, ut ex Eccleſiaſticæ Dioceſeos finibus hodie cognoſcitur.

4 *Inſulam efficit Batavorum.*] Inſula Batavorum, *Betau*, ducatus Gueldrenſis, magnam partem et meridianæ Hollandiæ complectitur. Antiquiſſimum hoc eſt monumentum Batavorum gentis.

5 *Neque longius ab eo millibus paſſuum lxxx.*] Quibuſdam non tantum eſſe videtur intervallum à Moſæ Rhenique conjunctione ad Oceanum: ſed ſi quis exundationes maris recogitet, quod poſtea in terras prorupit, facile Cæſarem excuſabit Præterea quid ſi peccatum eſt in numeris, quod factum eſt à ſcribis ubique largiter.

6 *Ex Lepontiis.*] Qui ſint Lepontii, ſatis origo Rheni indicat. Plinius lib. iii. cap. 20. *Rhetorum Vennones Sarunteſque ortus Rheni annis accolunt, Lepontiorum qui Viberi vocantur, fontem Rhodani eodem Alpium tractu.* Nonnihil diſſentit â Cæſare. Videre tamen licet Rhetos et Lepontios ea gente nunc contineri, quæ dicitur, *les Griſons.* Nonnihil item Tacitus qui Rhenum Rheticarum Alpium inacceſſo et præcipiti vertice ortum, ſcribit. Sed duo fontes Rheni ſunt in Lepontiis, tertius in Rhetis.

7 *Nantuatium.*] Nantuates ignorantur.

8 *Helvetiorum, &c.*] De Helvetiis jam ſatis dictum ſupra. Sequanos alluere Rhenus dicitur. Baſilea enim erat Sequanorum. Strabo Cæſarem ſecutus idem ſcripſit. Sed cum Plinius Nemetes et Vaugiones accolas dicat eſſe Rheni, non Mediomatricas; Cæſar vero indictis Nemetibus et Vangionibus Mediomatricas Rhenum accolere memoriæ prodiderit; neceſſe eſt â Nemetibus et Vangionibus Germaniæ populis, Mediomatricas, qui et Metenſes, ab urbe ſua *Metis*, olim *Divoduro*, dicuntur ſuis eſſe finibus expulſos. Sic enim habet itinerarium Antonini: *Civitas Mediomatricum*, id eſt, *Metis.* Item Notitiæ Ptolemæus Mediomatricas et Leucos magis meridionales dicit eſſe Treviris.

9 *Tribocorum.*] Triboci videntur eſſe Alſatii; Nemetes, Spirenſes; Vangiones autem Wormatienſes, ut ſupra dictum.

10 *Multis ingentibuſque inſulis effectis, &c.*] Innuit Zelandiam, quæ in plures inſulas dividitur.

11 *Ex quibus ſunt, qui piſcibus, atque ovis avium vivere exiſtimantur.*] Id ipſum ibidem à ſe viſum teſtatur Plinius lib. xvi. cap. 1. *Illic miſera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia ſtructa manibus ad experimenta al-*

XI. Caesar quum ab hoste non amplius passuum xii millibus abesset, ut erat constitutum, ad eum legati revertuntur: qui in itinere congressi, magnoperè, ne longiùs progrederetur, orabant. Quum id non impetrâssent, petebant, uti ad eos equites, qui agmen antecessissent, praemitteret, eosque pugnâ prohiberet: sibique utì potestatem faceret in Ubios legatos mittendi: quorum si principes ac senatus sibi jurejurando fidem fecissent, eâ conditione, quae à Caesare ferretur, se usuros ostendebant: ad has res conficiendas sibi tridui spatium daret. Haec omnia Caesar eodem illo pertinere arbitrabatur, ut, tridui morâ interpositâ, equites eorum qui abessent, reverterentur: tamen sese non longiùs millibus passuum iv, aquationis caussâ, processurum eo die dixit: huc postero die quàm frequentissimi convenirent, ut de eorum postulatis cognosceret. Interim ad praefectos, qui cum omni equitatu antecesserant, mittit, qui nuntiarent, ne hostes prœlio lacesserent; et, si ipsi lacesserentur, sustinerent, quoad ipse cum exercitu propiùs accessisset.

XII. At hostes, ubi primùm nostros equites conspexerunt, quorum erat v millium numerus, quum ipsi non amplius DCCC equites haberent, quòd ii, qui frumentandi caussâ ierant trans Mosam, nondum redierant; nihil nostris timentibus, [1] quòd legati eorum paullò antè à Caesare discesserant, [2] atque is dies induciis erat ab iis petitus, impetu facto, celeriter nostros perturbaverunt: rursus resistentibus nostris, consuetudine suâ, ad pedes desilierunt, suffossisque equis, compluribusque nostris dejectis, reliquos in fugam conjecerunt: atque ita perterritos egerunt, ut non priùs fugâ desisterent, quàm in conspectum agminis nostri venissent. In eo prœlio ex equitibus nostris interficiuntur iv et lxx: in his vir fortissimus Piso Aquitanus, amplissimo genere natus, cujus avus in civitate suâ regnum obtinuerat, amicus ab senatu nostro appellatus. Hic, cum fratri intercluso ab hostibus auxilium ferret,

NOTÆ.

tissimi æstus, casis ita impositis: navigantibus similes, cum integrant aquæ circumdatæ, naufragis vero, cum recesserint, fugientesque cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit, omni procul abacto frutice. Ulva et palustri junco funes nectunt ad prætexenda piscibus retia. Aves vero hic intelligit Cæsar non domesticas, puta gallinas, quas nutrire non poterant, sed peregrinas et prætervolantes, ut fulicas et cæteras id genus, quarum nidos obsfervabant. Narrat idem Plinius esse quasdam insulas in Ponto Ooniæ voce Græca ab ovis dictas, *in quibus ovis avium, et avenis incolæ vivant.* Quod nisi assiduis laboribus et aggeribus molibusque objectis aquam à se arcerent hodie Batavi, tam dura lege quam majoribus suis esset illis necessario vivendum, quos industria sua felices facit.

1 *Quod eorum legati*, &c.] Et hoc fortasse fuit, quod ille Tenchtherorum equitatus, quid à suis legatis cum Cæsare fuisset gestum, ignarus, prœlium iniit, quamvis DCCC tantum constaret, et v millium Romanos esset equitatus. Certe grave quid à Cæsare accidisse oportet, quem ob violatum jus gentium hostibus esse dedendum censuit Cato.

2 *Atque is dies induciis*] Aulus Gellius sic de induciis lib. i. cap. 25. *Pactum induciarum ejusmodi est, ut in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi detur, sed ex eo die postea uti jam omnia belli jure agantur.* Græci cessationem istam pugnæ pactitiam ἐκεχειρίαν dixere, quod eo tempore non pugnetur, et manus cohibeantur.

illum periculo eripuit: ipse equo vulnerato dejectus, quoad potuit, fortissimè restitit: quum circumventus, multis vulneribus acceptis, cecidisset; atque id frater, qui jam prœlio excesserat, procul animadvertisset, incitato equo, sese hostibus obtulit, atque interfectus est.

XIII. Hoc facto prœlio, Cæsar neque jam sibi legatos audiendos, neque conditiones accipiendas arbitrabatur ab iis, qui per dolum atque insidias, petitâ pace, ultro bellum intulissent: exspectare verò, dum hostium copiae augerentur, equitatusque reverteretur, summae dementiae esse judicabat: et [1] cognitâ Gallorum infirmitate, quantum jam apud eos hostes uno prœlio auctoritatis essent consecuti, sentiebat; quibus, ad consilia capienda, nihil spatii dandum existimabat. His constitutis rebus, et consilio cum legatis et quaestore communicato, ne quem diem pugnae praetermitteret, opportunissima res accidit, quòd postridie ejus diei manè, eâdem et perfidiâ et simulatione usi Germani [2] frequentes, omnibus principibus, majoribusque natu adhibitis, ad eum in castra venerunt; simul, ut dicebatur, sui purgandi caussâ, quòd contra atque esset dictum, et ipsi petissent, prœlium pridie commisissent: simul, ut, si quid possent, de induciis fallendo impetrarent: [3] quos sibi Caesar oblatos gavisus, retineri jussit: ipse omnes copias castris eduxit; equitatum, quod recenti prœlio perterritum esse existimabat, agmen subsequi jussit.

XIV. Acie triplici institutâ, et celeriter viii millium itinere confecto, priùs ad hostium castra pervenit, quàm, quid ageretur, Germani sentire possent: qui omnibus rebus subitò perterriti, et celeritate adventûs nostri et discessu suorum, neque consilii habendi, neque arma capiendi spatio dato, perturbantur, copiasne adversùs hostem educere, [4] an castra defendere, an fugâ salutem petere, praestaret: quorum timor quum fremitu et concursu significaretur, milites nostri, [5] pristini diei perfidiâ incitati, in castra irruperunt; quorum qui celeriter arma

NOTÆ.

1 *Cognita Gallorum infirmitate.*] Infirmitas quafi inconftantia, quæ non poffit ftare in eo, quod femel fufceptum eft.

2 *Frequentes omnibus principibus,* &c] Temere id quidem, fi quid à fe peccatum fufpicabantur. Et hoc eft, quod nos dehortatur Cæfari credere rem ita fe habuiffe, ut fuit ab illo narrata: fi enim injuriæ fibi confcii fuiffent, fedulo caviffent, neque fe in irati hoftis manus tradidiffent. Sed eo decepti videntur, quod nihil à fe commiffum intelligerent, quare timerent.

3 *Quos fibi Cæfar oblatos gavifus,*] Hoc quidem fic eft à Cæfare narratum: an vero ita fe res habuerit, valde dubitandum; fiquidem refert Plutarchus ex Canufio quodam cum fenatus Cæfari fupplicationes decerneret, quoniam vicerat, Catonem, quo non fanctior alter apud Romanos, pro fententia dixiffe: Hoftibus effe dedendum Cæfarem ad expiandam à jure gentium violato civitatem, quæ Imperatoris fcelere fuerat obligata.

4 *Caftra defendere*] Ex hoc loco et inde quod lib. i. legitur caftra feciffe Germanos, hunc morem muniendorum caftrorum cum Romanis habuiffe communem cognofcimus, à quo alienos fuiffe Gallos ex multis locis compertum habemus, metu fcilicet laboris et ftulta confidentia, feu contemptu fuorum hoftium.

5 *Priftini diei perfidia incitati,*] *Pridiana perfidia*, ut dictum fequenti ætate. Sed cum tam facile in Germanorum caftra Romani irruperint, minus bene munita fuiffe cognofcitur quam Romanorum, in quibus diu

capere potuerunt, paulisper nostris restiterunt, atque inter carros impedimentaque prœlium commiserunt. At reliqua multitudo puerorum mulierumque (nam cum omnibus suis domo excesserant, Rhenumque transierant) passim fugere cœpit: ad quos consectandos Caesar equitatum misit.

XV. Germani, post tergum clamore audito, quum suos interfici viderent, armis abjectis, signisque militaribus relictis, se ex castris ejecerunt: et quum ad confluentem Mosae et Rheni pervenissent, reliquâ fugâ desperata, magno numero interfecto, reliqui se in flumen precipitaverunt, atque ibi timore, lassitudine, et vi fluminis oppressi, perierunt. Nostri ad unum omnes incolumes, perpaucis vulneratis, ex tanti belli timore, cùm hostium numerus capitum [1] cccc xxx millium fuisset, se in castra receperunt. Caesar, iis, quos in castris retinuerat, discedendi potestatem fecit. Illi supplicia cruciatusque Gallorum veriti, quorum agros vexaverant, remanere se apud eum velle dixerunt. Iis Caesar libertatem concessit.

XVI. Germanico bello confecto, multis de caussis Caesar statuit sibi Rhenum esse transeundum: quarum illa fuit justissima; quòd quum videret Germanos tam facilè impelli ut in Galliam venirent, suis quoque rebus eos timere voluit, quum intelligerent, et posse, et audere populi R. exercitum Rhenum transire. [2] Accessit etiam quòd illa pars equitatûs Usipetum et Tenchtherorum, quam supra commemoravi praedandi frumentandique caussâ Mosam transîsse, neque prœlio interfuisse, post fugam suorum, se trans Rhenum in fines [3] Sicambrorum receperat, seque cum iis conjunxerat. Ad quos quum Caesar nuntios misisset, qui postularent eos, qui sibi Galliaeque bellum intulissent, uti sibi dederent; responderunt: populi R. imperium Rhenum finire: si, se invito, Germanos in Galliam transire non aequum existimaret, cur sui quidquam esse imperii aut potestatis trans Rhenum postularet? Ubii autem, qui uni ex transrhenanis ad Caesarem legatos miserant, amicitiam fecerant, obsides dederant, magnoperè orabant ut sibì auxilium ferret, quòd graviter ab Suevis premerentur: vel, si id facere occupationibus Reip. prohiberetur, exercitum modò Rhenum transportaret, id sibi ad auxilium, spemque reliqui temporis satis futurum: tantum esse nomen apud eos, atque opinionem exercitûs Romani, Ariovisto pulso, et hôc novissimo prœlio facto, etiam ad ultimas Germanorum nationes, utì opinione et amicitiâ populi

NOTÆ.

refiftebatur, ut in duobus Ciceronis caftris multifque aliis fuit cognitum.

1 cccc xxx *millium*] Orofius lib. 6. habet cccxl. Plutarch. in Cæfare affirmat periiffe cccc. In Craffo autem ccc, tam parva fides numerorum notis.

2 *Acceffit etiam quod illa pars*] Atque hæ funt reliquiæ gentis, quæ poftea injuriæ Romanorum memores, grave bellum Augufto Julii Cæfaris fucceffori moverunt, de quo Dio lib. liv.

3 *Sicambrorum*] Sicambrorum pofteri fuerunt fequenti ævo Franci. Ab oriente quidem Turingia et Saxonia; à meridie Alemannia et amne Lena continebantur. Tacitus et Suetonius excifos et in Galliam tranflatos effe dicit. Dio vero exercitus Romanos fudiffe, tantumque terroris injeciffe, ut Auguftus ex urbe profectus, in eos expeditionem fufceperit, fed rem compofitam datis ab ipfis Augufto obfidibus.

Rom. tuti esse possint. Navium magnam copiam ad transportandum exercitum pollicebantur.

XVII. Caesar his de caussis, quas commemoravi, Rhenum transire decreverat: sed [1] navibus transire neque satis tutum esse arbitrabatur, neque suae, neque populi R. dignitatis esse statuebat: itaque, et si summa difficultas faciundi pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis; tamen id sibi contendendum, aut aliter non transducendum exercitum, existimabat. Rationem igitur pontis hanc instituit. Tigna bina [2] sesquipedalia, paullùm ab imo praeacuta, [3] dimensa ad altitudinem fluminis, intervallo pedum duorum inter se jungebat: haec cùm machinationibus demissa in flumen defixerat, [4] fistucisque adegerat, non [5] sublicae modo directa ad perpendiculum, sed prona ac fastigiata ut secundum naturam fluminis procumberent: his item contraria duo ad eundem modum juncta, intervallo pedum quadragenûm ab inferiore parte contra vim atque impetum fluminis conversa statuebat: haec utraque bipedalibus trabibus immissis, [6] quantum eorum tignorum junctura distabat, [7] binis utrimque fibulis ab extremâ parte distinebantur: quibus disclusis, atque in contrariam partem revinctis, tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, ut quò major vis aquae se incitavisset, hôc arctiùs illigata tenerentur: [8] haec directa materiâ injectâ contexebantur, ac [9] longuriis cratibusque consternebantur: [10] ac nihilo seciùs sublicae ad inferiorem partem fluminis obliquè adigebantur, quae pro pariete subjectae, et cum omni opere conjunctae, vim fluminis exciperent: et aliae item supra pontem mediocri spatio, ut si arborum trunci sive naves, dejiciendi operis caussâ, essent à barbaris missae, his [11] defensoribus earum rerum vis minueretur, neu ponti nocerent.

NOTÆ.

1 *Navibus*] Si enim ſingulis navibus in alteram ripam milites expoſuiſſet, facile ab univerſis et conglobatis hoſtibus eſſent repulſi.

2 *Seſquipedalia.*] Intellige parte ab omni, ut pedum ſex eſſet ambitus tigni totius.

3 *Demenſa ad altitudinem fluminis,*] Cum flumen alibi eſſet altius, alibi humilius, va riam etiam eſſe oportuit tignorum longitudinem et breviora quidem tigna eſſe oportuit, ubi aquæ minus fuit, longiora vero, ubi flumen altius. Extitiſſe vero è ſumma aqua non dubitandum; nulli alioquin uſui futura, ſi amnis excreviſſet.

4 *Fiſtuciſque adegerat,*] Fiſtuca inſtrumentum eſt trabale, vel trabs brevior præferrata, quæ à multis hominibus in ſublime multis item funibus attollitur; deinde laxatis funibus dimittitur in tignum, quod in terram illa vi defigitur. Eſt et minor fiſtuca ſtipes utrimque anſatus: hoc vulgo utuntur noſtri pavitores, Gallice *bie* ou *demoiſelle.*

5 *Sublicæ*] Sublica eſt palus vel trabs.

6 *Quantum eorum tignorum junctura diſtabat,*] Spatium enim duorum pedum inter tigna illa intercedebat.

7 *Binis utrimque fibulis*] Ferreis, ut arbitror.

8 *Hæc directa materia*] Non ſtante, ſed pontis longitudini accommodata, cui materiæ ligna ſuperponebantur, forſan vimina, crateſque forte et terra et ceſpes.

9 *Longuriis cratibuſque*] Longurii ſunt longa materia, ut perticæ. Crates vero implicata materia tenuior, ut virgultorum.

10 *Ac nihilo ſecius ſublicæ*] Duæ enim erant unicuique tigno incumbentes ad ejus ſuſtentationem: alii legunt ariete pro pariete, quæ lectio ferri poteſt. Utrumque autem nihil aliud eſt quam quod dicimus, *archboutant.*

11 *Defenſoribus*] Quod in fœminino genere apud juriſconſultos legitur.

XVIII. [1] Diebus x, quibus materia cœpta erat comportari, omni opere effecto, exercitus transducitur. Caesar, ad utramque partem pontis firmo praesidio relicto, [2] in fines Sicambrorum contendit. Interim à compluribus civitatibus ad eum legati veniunt, quibus pacem atque amicitiam petentibus, liberaliter respondit, obsidesque ad se adduci jubet. Sicambri ex eo tempore quo pons institui cœptus est, fugâ comparatâ, hortantibus iis quos ex Tenchtheris atque Usipetibus apud se habebant, finibus suis excesserant, suaque omnia exportaverant, seque in solitudinem ac silvas abdiderant.

XIX. Caesar paucos dies in eorum finibus moratus, omnibus vicis aedificiisque incensis, frumentisque succisis, se in fines Ubiorum recepit; atque his auxilium suum pollicitus, si à Suevis premerentur, haec ab iis cognovit; Suevos, postquam per exploratores pontem fieri compperissent, more suo, consilio habito, nuntios in omnes partes demisisse, utì de oppidis demigrarent, liberos, uxores, suaque omnia in silvas deponerent, atque omnes, qui arma ferre possent, unum in locum convenirent: hunc esse delectum medium ferè regionum earum, quas Suevi obtinerent: ibi Romanorum adventum expectare, atque ibi decertare constituisse. [3] Quod ubi Caesar comperit, omnibus his rebus confectis, quarum rerum caussâ exercitum transducere constituerat, ut Germanis metum injiceret, ut Sicambros ulcisceretur, ut Ubios obsidione liberaret, diebus omnino xviii trans Rhenum consumptis, satis et ad laudem, et ad utilitatem profectum arbitratus, se in Galliam recepit pontemque rescidit.

XX. Exiguâ parte aestatis reliquâ Caesar, etsì in his locis, quòd omnis Gallia ad septentrionem vergit, maturae sunt hiemes, tamen in Britanniam proficisci contendit; [4] quod omnibus ferè Gallicis bellis, ho-

NOTÆ.

1 *Diebus* x.] Materia proprie lignum. Unde dicitur materiarius, qui nobis carpentarius. Mira porro celeritas, quam effecit artificum numerus et tempus æstivum, quo est minima altitudo fluvii.

2 *In fines Sicambrorum.*] Qui Sicambrorum fines fuerint, satis incertum. Sed eorum posteros Francos esse dictos patet, vel ex Gregorio Turonensi, qui Remigium Rhemensem Episcopum sic scribit Clodovæo regi locutum ad baptismum venienti: *Mitis depone colla Sicamber*, &c. Sunt qui putant non Sicambrum fuisse Clodovæum, sed sic appellatum, quod horum Sicambrorum fines possideret, ut Francorum reges, nunc Galli reges dicuntur, quod Galliam obtineant; quod credunt inducti loco illo Suetonii tit. 21. *Suevos et Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, et in proximis Rheno agris collocavit.* Verum ut Suevi fuerunt in Germania superstites, ita et Sicambro esse potuerunt, unde Clodovæus oriundus esse potuit, et tota illa Francorum gens, quæ Romanis imperium Galliæ ademit. Sed tandem illam injuriam Sicambri ulti sunt, cum Lollium fuderunt, Augustumque ex urbe exire coëgerunt.

3 *Quod ubi Cæsar comperit*, &c.] Non fit verisimile eum pontem tanto molimine à Cæsare fuisse perfectum, ut statim in Galliam reverteretur. Sed noluit fortunam tentare, præsertim cum esset cum illis confligendum, qui præter arma et solum nihil haberent reliqui. Quod innuit Dio qui scribit lib. xxxix. cum accepit Sicambros in solitudines secessisse. Suevos vero venire auxilio, in Galliam rediisse, non amplius xx dies moratum. Lucanus certe libro II. inducit Pompeium dicentem, Cæsarem ab Rheno fugisse.

4 *Quod omnibus fere Gallicis bellis.*] Longe alia affertur à Suetonio causa, quod

stibus nostris indè subministrata auxilia intelligebat: et, si tempus anni ad bellum gerendum deficeret: tamen magno sibi usui fore arbitrabatur, si modò insulam adisset; genus hominum perspexisset; loca, portus, aditus cognovisset: quae omnia ferè Gallis erant incognita. Neque enim temerè, praeter mercatores, illò adit quisquam; neque iis ipsis quidquam, praeter oram maritimam, atque eas regiones quae sunt contra Galliam, notum est. Itaque, convocatis ad se undique mercatoribus, neque quanta esset insulae magnitudo, neque quae, aut quantae nationes incolerent, neque quem usum belli haberent, aut quibus institutis uterentur, neque qui essent ad majorum navium multitudinem idonei portus, reperire poterat.

XXI. Ad haec cognoscenda, prius quàm periculum faceret, idoneum esse arbitratus, [1] C. Volusenum cum navi longá praemittit. Huic mandat ut, exploratis omnibus rebus, ad se quamprimùm revertatur. Ipse cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quòd indè erat brevissimus in Britanniam trajectus. Huc naves undique ex finitimis regionibus, et, quam superiore aestate ad Veneticum bellum fecerat classem, jubet convenire. Interim, consilio ejus cognito, et per mercatores perlato ad Britannos, à compluribus ejus insulae civitatibus ad eum legati veniunt, qui polliceantur obsides dare, atque imperio populi Rom. obtemperare. Quibus auditis, liberaliter pollicitus, hortatusque ut in eâ sententiâ permanerent, eos domum remisit: [2] et cum his unà Comium, quem ipse, Atrebatibus superatis, regem ibi constituerat, cujus et virtutem et consilium probabat, et quem sibi fidelem arbitrabatur, cujusque auctoritas in his regionibus magna habebatur, mittit: huic imperat, quas possit, adeat civitates, horteturque ut populi R. fidem sequantur, seque celeriter eò venturum nuntiet. Volusenus, perspectis regionibus, quantum ei facultatis dari potuit, qui navi egredi, ac se barbaris committere non auderet, v die ad Caesarem revertitur, quaeque ibi perspexisset, renuntiat.

XXII. Dum in his locis Caesar, navium parandarum caussâ moratur, ex magna parte Morinorum ad eum legati venerunt, qui se de superioris

NOTÆ.

nempe Britanniam ſpe margaritarum petierit, quarum amplitudinem conferentem, interdum ſua manu exegiſſe pondus. Sed illum ſpes videtur fefelliſſe. Nam, ut ſcribit Plinius lib. ix. cap. 35. *In Britannia parvas ac decolores naſci certum eſt.* Tacitus in vita Agricolæ: *Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla pretium victoriæ; gignit et oceanus margarita, ſed ſubfuſca et liventia.* Nec vero nunc niſi in Scotiæ et Orchadum littore reperiuntur, ſed parvæ atque lividæ ſunt illæ margaritæ.

1 *C. Voluſenum*, &c.] Suetonius tit. lviii. *Neque in Britanniam tranſmeavit, niſi ante per ſe portus ut navigationem et acceſſum ad inſulam exploraſſet.* Ergo non per Voluſenum, ſed aut Voluſero non ſatis credens, aut non ſatis a multa doctus ipſe ire contendit. Navis porro longa eſt ad navalia prælia idonea.

2 *Et cum his una Comium.*] Hunc cum multis de cauſis, tum ob hanc potiſſimum delegit, quod eadem lingua Britanni quâ Galli uterentur. Hunc eâdem de causâ cum legatis in Britanniam remittit, ut ſit veriſimile. Ipſe quidem Cæsar magnam Britanniæ partem à Belgis habitatam fuiſſe ſcribit, eam potiſſimum quæ mari proxima eſſet. Quod infra lib. vii. legitur: Immunitatem datam Atrebatibus. nihil contrarium eſt, quod hic dicitur apud eos rex eſſe factus Comius. Immunitas enim ill' fuit à tributis pop. R. pendendis, non a dominatu regio.

temporis consilio excusarent; quod homines barbari, et nostrae consuetudinis imperiti, bellum populo R. fecissent; seque ea, quae imp. facturos pollicerentur. Hoc sibi satis opportune Caesar accidisse arbitratus, quòd neque post tergum hostem relinquere volebat, neque belli gerendi, propter anni tempus, facultatem habebat; neque has tantularum rerum occupationes sibi Britanniae anteponendas judicabat: magnum his numerum obsidum imperat. Quibus adductis eos in fidem recepit. [1] Navibus circiter lxxx onerariis coactis contractisque, quod satis esse ad duas legiones transportandas existimabat; quidquid praeterea navium longarum habebat, quaestori, legatis, praefectisque distribuit: huc accedebant xviii onerariae naves, quae ex eo loco millibus passuum viii vento tenebantur, quò minus in eundem portum pervenire possent: has equitibus distribuit; reliquum exercitum Q. Titurio Sabino, et L. Aurunculeio Cottae, legatis, in Menapios, atque [2] in eos pagos Morinorum, ab quibus ad eum legati non venerant, deducendum dedit: P. Sulpicium Rufum legatum cum eo praesidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere jussit.

XXIII. His constitutis rebus, nactus idoneam ad navigandum tempestatem, tertiâ ferè vigiliâ solvit, equitesque [3] in ulteriorem portum progredi, et naves conscendere, ac se sequi jussit: ab quibus cùm paullo tardiùs esset administratum, ipse horâ circiter diei iv cum primis navibus Britanniam attigit: atque ibi in omnibus collibus expositas hostium copias [4] firmatas conspexit. Cujus loci haec erat natura: adeò montibus angustis mare continebatur, ut ex locis superioribus in littus telum adjici posset. Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locum, dum reliquae naves eò convenirent, ad horam ix in anchoris expectavit. Interim legatis tribunisque militum convocatis, et quae ex Voluseno cognovisset, et quae fieri vellet, ostendit: monuitque (ut rei militaris ratio, maximè ut res maritimae postularent, ut quae celerem atque instabilem motum haberent) ad nutum et ad tempus omnes res ab iis administrarentur. His dimissis, et ventum, et aestum uno temporè nactus secundum, dato signo, et sublatis anchoris, circiter millia passuum viii ab eo loco progressus, aperto ac plano littore naves constituit.

NOTÆ.

1 *Navibus circiter* lxxx *onerariis.*] Manifestum est hìc discrimen inter onerarias naves et longas: hæ utiles bello, passim erant biremes vel triremes, aut pluribus etiam ordinibus remorum instructæ, atque adeo celeritate præstabant, quæ in omnibus prœliis admodum juvat: illæ capaces tantum erant mercium, atque adeo sine remigibus, quorum ordines in binis, ternis et aliquando pluribus tabulatis consistentes, spatium navium implere solebant: fuisse autem onerarias remorum expertes innuit Livius decadis III. lib. vii. *Naves quas Livius*, &c.

2 *In eos pagos Morinorum.*] Magna libertas Gallorum magnam dissentionem et varietatem sententiarum fecit; dissensio autem servitutem accersivit, cum non solum populi à populis, in Gallia, sed pagi à pagis dissentirent, ut hinc patet, quorum quidem singuli à singulis divisum consilium sibi capiebant.

3 *In ulteriorem portum*, &c.] Cum in illa ora angusti essent portus, et plurium navium minime capaces, illas in plures portus distribuere necesse fuit, unde etiam suos equites solvere jussit. Facile adducor ut hunc ulteriorem portum Gessoriacum esse credam.

4 *Firmatas.*] Alii habent *armatas*; utra melior lectio viderit lector.

XXIV. At barbari, consilio Romanorum cognito, praemisso equitatu, et [1] essedariis; quo plerumque genere in proeliis uti consueverunt, reliquis copiis subsecuti, nostros navibus egredi prohibebant. Erat ob has caussas summa difficultas, quòd naves, propter magnitudinem, nisi in alto constitui non poterant: militibus autem, ignotis locis, impeditis manibus, magno et gravi onere armorum pressis, simul et de navibus desiliendum, et fluctibus consistendum, et cum hostibus erat pugnandum; quum illi aut ex arido, aut paullulum in aquam progressi, omnibus membris expediti, notissimis locis, tela audacter conjicerent, et equos insuefactos incitarent. Quibus rebus nostri perterriti, atque hujus omnino generis pugnae imperiti, non omnes eâdem alacritate ac studio, quo in pedestribus uti proeliis consueverant, utebantur.

XXV. Quod ubi Caesar animadvertit, [2] naves longas, quarum et species erat barbaris inusitatior, et motus ad usum expeditior, paullulum removeri ab onerariis navibus, et remis incitari, et ad latus apertum hostium constitui, atque inde fundis, tormentis, sagittis, hostes propelli, ac submoveri jussit; quae res magno usui nostris fuit. Nam et navium figura, et remorum motu, et inusitato genere tormentorum, permoti barbari constiterunt, ac paullùm modo pedem retulerunt. At, nostris militibus cunctantibus, maximè propter altitudinem maris, [3] qui x legionis aquilam ferebat, contestatus Deos, ut ea res legioni feliciter eveniret: Desilite, inquit, milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere; ego certè meum Reip. atque Imperatori officium praestitero. Hoc quum magnâ voce dixisset, se ex navi projecit, [4] atque in hostes aquilam ferre cœpit. Tum nostri cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desilierunt. Hos, item alii ex proximis navibus, quum conspexissent, subsecuti, hostibus appropinquârunt.

XXVI. Pugnatum est ab utrisque acriter. Nostri tamen, quod neque ordines servare, neque firmiter insistere, neque signa subsequi poterant, atque alius aliâ ex navi, quibuscumque signis occurrerat, se

NOTÆ.

1 *Eſſedariis*] Sunt qui de eſſedo pugnant, quos poſtea accuratius deſcribit. Eſſedum vero eſt genus currûs, quo Galli ad bella utuntur.

2 *Naves longas, quarum*, &c.] Quam ſeriſſimè ad barbaros inventa quæ ſunt recentius perveniunt. Priores autem in uſu fuere onerariæ ad merces ferendas comparatæ, ut prius navigari cæptum ad commercia inſtituenda, quam ad longinqua bella inferenda. Quod autem poſterius navium longarum ſit inventum, teſtatur Herodot. in Clio, ubi ſcribit Phocenſes primos Græcorum longis navibus uſos fuiſſe.

3 *Qui x legionis aquilam ferebat.*] Aquila ſignum erat legionis, nec ſociis, qui in cæteris erant pares, committebatur. Legionariis illam ferre licebat, paſſis pennis ſummæ haſtæ inſiſtebat ex auro vel argento. Sæpe fulmen tenebat.

4 *Atque in hoſtes aquilam ferre cæpit,*] Apud Livium: *Conſul ſignum in caſtra hoſtium injicit, quo acrius ſubeant milites.* Mira hic fuit M. Lælii Scævæ fortitudo, quam commemorat Velerius Max. lib. iii. cap. 11. ſed facta privatorum non ſolet perſequi Cæſar memor ſui inſtituti, quo facta ſua referre ſuſcepit; de Aquilifero nihil ſcripturus, niſi per illum factum fuiſſet ut inſula teneretur. Summum erat dedecus aquilam perdere: ſed nunquam ita in diſcrimen conjiciebatur, niſi ancipitibus dubiiſque prœliis.

aggregabat, magnopere perturbabantur. Hostes verò, notis omnibus vadis, ubi ex littore aliquos singulares ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis, impeditos adoriebantur. Plures paucos circumsistebant: alii ab latere aperto in universos tela conjiciebant. Quod quum animadvertisset Caesar, [1] scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri jussit; et quos laborantes conspexerat, iis subsidia submittebat. Nostri simul atque in arido constiterunt, suis omnibus consecutis, in hostes impetum fecerunt, atque eos in fugam dederunt: neque longiùs prosequi potuerunt, quòd equites cursum tenere, atque insulam capere non potuerant. Hoc unum ad pristinam fortunam Caesari defuit.

XXVII. Hostes proelio superati, simul atque se ex fugâ receperunt, statim ad Caesarem legatos de pace miserunt; obsides daturos, quaeque imperâsset, sese facturos polliciti sunt. Unà cum his legatis Comius Atrebas venit, quem suprà demonstraveram à Caesare in Britanniam praemissum; hunc illi è navi egressum, quum ad eos Imperatoris mandata perferret, comprehenderant, atque in vincula conjecerant. Tunc facto proelio remiserunt, et, in petendâ pace, ejus rei culpam in multitudinem contulerunt, et propter imprudentiam, ut ignosceretur, petiverunt. Caesar questus, quòd, quum ultro in continentem legatis missis pacem à se petissent, bellum sine caussâ intulissent, ignoscere imprudentiae dixit, obsidesque imperavit: quorum illi partem statim dederunt: partem ex longinquioribus locis accersitam paucis diebus sese daturos dixerunt. Interea suos remigrare in agros jusserunt; principesque undique convenêre, et se civitatesque suas Caesari commendârunt.

XXVIII. His rebus pace firmatá, post diem iv, quàm est in Britanniam ventum, naves xviii, de quibus supra demonstratum est, quae equites sustulerant, ex superiore portu leni vento solverunt: quae quum appropinquarent Britanniae, et ex castris viderentur, tanta tempestas subitò coorta est, ut nulla earum cursum tenere posset, sed aliae eodem, unde erant profectae, referrentur; aliae ad inferiorem partem insulae, quae est propiùs solis occasum, magno suî cum periculo dejicerentur: quae tamen, anchoris jactis, cùm fluctibus complerentur, necessario, adversâ nocte in altum provectae, continentem petiverunt.

XXIX. [2] Eâdem nocte accidit, ut esset luna plena, quae dies maritimos aestus maximos in oceano efficere consuevit: nostrisque id erat

NOTÆ.

1 *Scaphas longarum navium,*] Naviculæ sunt quæ majores naves, ut ministræ, consequuntur Gallice *esquif*, atque tanquam navis ipsius instrumentum. Itaque secundum Labeonem tractatu de fundo instructo: Si quis navem cum instrumento emerit, ei scapha debet quoque præstari. Exploratoria vero navigia quæ celeritate pollent: *Quæ*, ut ait Vegetius, *ne candore prodantur, colore veneto tinguntur, et funes etiam cera, qua inungi solent naves, inficiuntur. Nautæ quoque vel milites venetam vestem induunt, ut non solum per noctem, sed etiam per diem facilius lateant exploratores.*

2 *Eâdem nocte accidit*, &c.] Veget. lib. v. cap. 12. *Hæc reciprocantis meatus ambiguitas cursum navium secunda adjuvat, retardat adversa. Quæ dimicaturo magna sunt can-*

incognitum. Ita uno tempore et longas naves, quibus Caesar exercitum transportandum curaverat, quasque in aridum subduxerat, aestus complebat: et onerarias, quae ad anchoras erant deligatae, tempestas afflictabat: neque ulla nostris facultas aut administrandi, aut auxiliandi dabatur. Compluribus navibus fractis, reliquae quum essent funibus, anchoris, reliquisque armamentis amissis, ad navigandum inutiles, magna, id quod necesse erat accidere, totius exercitûs perturbatio facta est. Neque enim naves erant aliae, quibus reportari possent, et omnia deerant, quae ad reficiendas eas naves essent usui; et quòd omnibus constabat hiemare in Galliâ oportere, frumentum his in locis in hiemem provisum non erat.

XXX. Quibus rebus cògnitis, principes Britanniae, qui post proelium ad ea, quae jusserat Caesar, facienda convenerant, inter se collocuti; quum equites, et naves, et frumentum Romanis deesse intelligerent, et paucitatem militum ex castrorum exiguitate cognoscerent; quae hôc erant etiam angustiora, quòd sine impedimentis Caesar legiones transportaverat; optimum factu esse duxerunt, rebellione factâ, frumento, commeatuque nostros prohibere, et rem in hiemem producere: quòd his superatis, aut reditu interclusis, neminem postea belli inferendi caussâ in Britanniam transiturum confidebant. Itaque, rursus conjuratione factâ, paullatim ex castris discedere, ac suos clam ex agris deducere coeperunt.

XXXI. At Caesar, etsi nondum eorum concilia cognoverat, tamen et ex eventu navium suarum, et ex eo quòd obsides dare intermiserant, fore id quod accidit, suspicabatur. Itaque ad omnes casus subsidia comparabat. Nam et frumentum ex agris in castra quotidie conferebat; et quae gravissime afflictae erant naves, earum materiâ atque aere ad reliquas reficiendas utebatur: et quae ad eas res erant usui, ex continenti comportari jubebat. Itaque, quum id summo studio â militibus administraretur, xii navibus amissis, reliquis ut navigari commodè posset, effecit.

XXXII. Dum ea geruntur, legione, ex consuetudine, unâ frumentatum missâ, quae appellabatur vii, neque ullâ ad id tempus belli suspicione interpositâ, quum pars hominum in agris remaneret, pars etiam in castra ventitaret; [1] ii, qui pro portis castrorum in statione erant, Caesari renuntiaverunt, pulverem majorem, quàm consuetudo ferret, in eâ parte videri, quam in partem legio iter fecisset. Caesar,

NOTAE.

tione vitanda; neque enim auxilio remorum rheumatis impetus vincitur, cui interdum cedit et ventus. Et quoniam diversis regionibus diverso lunæ crescentis minuentisque statu certis horis ista variantur, ideo prælium navale gesturus consuetudinem pelagi vel loci ante congressum debet agnoscere. Sed Romanis cum essent infesti Galli, qui id cognoscebant, ab eorum nemine docebantur, quid esset vitandum, quibus si amici illi fuissent, facile erat his incommodis occurrere.

1 *Ii qui pro portis*, &c.] Stationes vocabant à stando, quia cohortes ante portas castra custodiebant, non unus, ut nunc, miles. Nec enim tutum esse putabat uni salutem exercitûs credere. Cohors autem et turma equitum servabant. Statio autem est certus propriusque locus.

id quod erat, suspicatus, aliquid novi à barbaris initum consilii; cohortes, quae in stationibus erant, secum in eam partem proficisci, duas in stationem succedere, reliquas armari, et confestim se subsequi jussit. Quum paullò longiùs â castris processisset, suos ab hostibus premi, atque aegrè sustinere, et, confertâ legione ex omnibus partibus tela conjici animadvertit. Nam quòd omni ex reliquis partibus demesso frumento, una pars erat reliqua, suspicati hostes, huc nostros esse venturos, noctu in silvis delituerant. Tum dispersos, depositis armis, in metendo occupatos subitò adorti, paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbaverant: simul equitatu atque essedis circumdederant.

XXXIII. Genus hoc est ex essedis pugnae: primò per omnes partes perequitant, et tela conjiciunt: atque ipso terrore equorum, et strepitu rotarum, ordines plerumque perturbant: et quum se inter equitum turmas insinuavere, ex essedis desiliunt, et pedibus proeliantur. Aurigae interim paullum è proelio excedunt, atque ita se collocant, ut, si illi à multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in proeliis praestant: ac tantum usu quotidiano et exercitatione efficiunt, ut in declivi ac praecipiti loco incitatos equos sustinere, et brevi moderari ac flectere, et per temonem percurrere, et in jugo insistere, et inde se in currus citissimè recipere, consueverint.

XXXIV. [1] Quibus rebus perturbatis nostris novitate pugnae, tempore opportunissimo Caesar auxilium tulit: namque ejus adventu hostes constiterunt, nostri ex timore se receperunt. Quo facto, ad lacessendum hostem, et committendum proelium alienum esse tempus arbitratus, suo se loco continuit, et, brevi tempore intermisso, in castra legiones reduxit. Dum haec geruntur, nostris omnibus occupatis, qui erant in agris reliqui, discesserunt. Secutae sunt continuos dies complures tempestates, quae et nostros in castris continerent, et hostem à pugnâ prohiberent. Interim barbari nuntios in omnes partes demiserunt, paucitatemque nostrorum militum suis praedicaverunt; et quanta praedae faciendae, atque in perpetuum suî liberandi facultas daretur, si Romanos castris expulissent, demonstraverunt. His rebus celeriter magnâ multitudine peditatûs equitatûsque coactâ, ad castra venerunt.

XXXV. Caesar, etsi idem, quod superioribus diebus acciderat, fore videbat, ut, si essent hostes pulsi, celeritate periculum effugerent; tamen nactus equites circiter xxx, quos Comius Atrebas, de quo antè dictum est, secum transportaverat, legiones in acie pro castris constituit. Commisso proelio, diutiùs nostrorum militum impetum hostes ferre non potuerunt, ac terga verterunt: quos tanto spatio secuti, quantum cursu et viribus efficere potuerunt, complures ex iis occiderunt: deinde omnibus longè latèque aedificiis incensis, se in castra receperunt.

NOTÆ.

1 *Quibus rebus perturbatis nostris*] Lucanus lib. II. inducit Pompeium dicentem, ut Cæsar *Territa quæsitis ostendit terga Britannis.*

XXXVI. Eodem die legati ab hostibus missi ad Caesarem de pace venerunt. His Caesar numerum obsidum, quem antea imperaverat, duplicavit, eosque in continentem adduci jussit: quòd, [1] propinquâ die aequinoctii, infirmis navibus, hieme navigationem subjiciendam non existimabat: ipse idoneam tempestatem nactus, paullo post mediam noctem naves solvit. Quae omnes incolumes ad continentem pervenerunt: sed ex his onerariae II [a] eosdem portus, quos reliquae, capere non potuerunt, sed paullò infra delatae sunt.

XXXVII. Quibus ex navibus, quum essent expositi milites circiter CCC, atque in castra contenderent; Morini, quos Caesar in Britanniam proficiscens pacatos reliquerat, spe praedae adducti, primò non ita magno suorum numero circumsteterunt, ac, si sese interfici nollent, arma ponere jusserunt; [2] quum illi, orbe facto, sese defenderent, celeriter ad clamorem hominum circiter millia VI convenerunt. Quâ re nuntiatâ, Caesar omnem ex castris equitatum suis auxilio misit. Interim nostri milites impetum hostium sustinuerunt, atque amplius horis IV fortissimè pugnaverunt, et, paucis vulneribus acceptis, complures ex iis occiderunt. Postea verò quàm equitatus noster in conspectum venit, hostes, abjectis armis, terga verterunt, magnusque eorum numerus est occisus.

XXXVIII. Caesar postero die T. Labienum legatum cum iis legionibus, quas ex Britanniâ reduxerat, in Morinos, qui rebellionem fecerant, misit. Qui quum propter siccitates paludum, quò se reciperent, non haberent: quo perfugio superiore anno fuerant usi; omnes ferè in potestatem Labieni venerunt. At Q. Titurius et L. Cotta legati, qui in Menapiorum fines legiones duxerant, omnibus eorum agris vastatis, frumentis succisis, aedificiisque incensis; quòd Menapii omnes se in densissimas silvas abdiderant, ad Caesarem se receperunt. Caesar in Belgis omnium legionum hiberna constituit. Eò duae omnino civitates ex Britanniâ obsides miserunt: [3] reliquae neglexerunt. His rebus gestis, ex literis Caesaris dierum XX supplicatio à senatu decreta est.

INTERPRETATIO.

a *Ad eosdem portus non potuerunt appellere.*

NOTÆ.

1 *Propinqua die æquinoctii,*] Cum supra dixerit: *Exigua æstatis parte reliqua*, æquinoctium autumnale intelligit, quod in mensem Septembrem incidit.

2 *Quum illi orbe facto se defenderent.*] Quod fiebat resistendi caussa, non oppugnandi.

3 *Reliquæ neglexerunt.*] Et hanc sumpsit causam revertendi in Britanniam Cæsar, ut postea legetur.

LIBER V.

ARGUMENTUM.

Hic liber continet aliquos Pirustarum motus à Caesare coercitos, item Trevirorum de Principatu inter se contendentium dissidia: transitum in Britanniam: bellum Ambiorigis: Induciomari mortem.

I. LUCIO [1] Domitio, Ap. Claudio Coss. discedens ab hibernis Caesar in Italiam, ut quotannis facere instituerat, legatis imperat, quos legionibus praefecerat, utì, quamplurimas possent hieme naves aedificandas, veteresque reficiendas, curarent. Earum modum formamque demonstrat: [a] ad celeritatem onerandi, subductionesque, paullò facit humiliores, quàm quibus [2] nostro mari uti consuevimus: atque id eò magis quòd, propter crebras commutationes aestuum, minùs magnos ibi fluctus fieri cognoverat: ad onera, et ad multitudinem jumentorum transportandam, paullò latiores, quàm quibus in reliquis utimur maribus. [3] Has omnes actuarias imperat fieri: quam ad rem humilitas multùm adjuvat. Ea quae sunt usui ad armandas naves, ex Hispaniâ apportari jubet. Ipse, conventibus Galliae citerioris peractis, in Illyricum proficiscitur; quòd a [4] Pirustis finitimam partem Provinciae incursionibus vastari audiebat. Eò quum venisset, civitatibus milites imperat: certumque in locum convenire ju-

INTERPRETATIO.

a *Quo celerius onerarentur, ſubducerenturque* in terram.

NOTAE.

1 *Lucio Domitio, Ap. Claudio Coſſ.*] Is Conſulatus incidit in annum ab urbe condita DCC. Hic eſt Domitius qui ad Corfinium captus, deinde remiſſus eſt à Cæſare: homo leviſſimus, multis horum Commentariorum locis de bello civili commemoratus, quique tandem acie Pharſalica periit. Appius vero Pulcher hic eſt P. Clodii, qui à Milone fuit occiſus, frater. Extant Ciceronis ad illum epiſt. lib. iii. ad Famil. Ante pugnam Pharſalicam in Græcia deceſſit, morbo implicitus.

2 *Noſtro mari.*] Mediterraneum intelligit, quod eo nomine à Pompeio Mela appellatur lib. i. cap. 1. *Id omne qua venit qua que diſpergitur, uno vocabulo noſtrum mare dicitur.*

3 *Has omnes actuarias.*] Actuariæ naves non velis tantum agebantur, ſed et remis, atque adeo aliis erant celeriores. Hæc differebant ab onerariis, quod onerariæ expertes erant remigii mercibus tantum aptæ tranſportandis; à longis vero navibus, quod minus altæ, neque tot remigum ordines habebant, hominibus jumentiſque ferendis vehendiſque comparatæ, Livius lib. xxxviii. *Tradito et naves armamentaque earum, neve plures quam decem naves actuarias, nulla quarum pluſquam triginta remis agatur.*

4 *Piruſtis.*] Piruſtæ, gens Dalmatica Ptolemæo, qui Piruſæ dicuntur, et Prope Macedoniam collocantur, Strabo Pannonios eos appellat lib. vii. Certe Illyrico ſunt proximi. Ii

bet. Quâ re nuntiatâ, Pirustae legatos ad eum mittunt, qui doceant, nihil earum rerum publico factum consilio, seseque paratos esse demonstrant, omnibus rationibus de injuriis satisfacere. Acceptâ oratione eorum, Caesar obsides imperat, eosque ad certam diem adduci jubet: nisi ita fecerint, sese bello civitatem persecuturum demonstrat. Iis ad diem adductis, ut imperaverat, arbitros inter civitates dat, qui [1] litem aestiment, pœnamque constituant.

II. His confectis rebus, [2] conventibusque peractis, [3] in citeriorem Galliam revertitur, atque inde ad exercitum proficiscitur. Eò quum venisset, circuitis omnibus hibernis, singulari militum studio, in summâ rerum omnium inopiâ, [4] circiter DC ejus generis, cujus suprà demonstravimus, naves, et longas XXVIII invenit constructas, neque multùm abesse ab eo, quin paucis diebus [5] deduci [a] possent Collaudatis militibus, atque iis, qui negotio praefuerant, quid fieri velit, ostendit: atque omnes [6] ad portum Itium convenire jubet; quo ex portu commodissimum in Britanniam transjectum esse cognoverat, circiter millium passuum xxx à continenti. Huic rei, quod satis esse visum est militum, relinquit: ipse [7] cum legionibus expeditis iv, et equitibus DCCC in fines Trevirorum proficiscitur: quòd hi neque ad concilia veniebant, neque imperio parebant, Germanosque transrhenanos sollicitare dicebantur.

III. Haec civitas longè plurimùm totius Galliae equitatu valet, magnasque habet copias peditum, Rhenumque, ut suprà demonstravimus, tangit. In eâ civitate duo de principatu inter se contendebant, Indutiomarus et Cingetorix: ex quibus alter, simul atque de Caesaris le-

INTERPRETATIO.

a *In mare.*

NOTAE.

videntur eſſe qui Plinio, lib. iv. cap. 22. dicuntur Pyræi prope Taulantios. Illyricum porro erat etiam Provincia Cæſaris, cujus partem ſibi finitimam illi Piruſtæ vexabant, ampla longe lateque patens regio maritima, hodie *Eſclavonie*, multis prœliis multiſque à ducibus Romanis perdomita, in eorum poteſtatem pervenit.

1 *Litem æſtiment*] Id eſt, in pretium redigant omnes rapinas.

2 *Conventibus peractis.*] Conventus peragere eſt jurisdictionem in oppidis ad id deſtinatis, ſtatis temporibus abſolvere.

3 *In citeriorem Galliam*] Quæ alio nomine ciſalpina, hoc eſt, cis Alpes poſita reſpectu Romæ, eratque Cæſaris Provincia, nunc *Lombardia* dicitur.

4 *Circiter* DC (naves) *ejus generis.*] Lipſio videtur incredibile noſtris moribus. Sed hoc in uſu Romanis militibus erat. Siquidem Frontino teſte, lib. iv. *P. Naſica in hibernis, quamvis claſſis uſus non eſſet neceſſarius, ne tamen deſidia miles corrumperetur, aut per otii licentiam ſociis injuriam inferret, naves ædificare inſtituit.*

5 *Deduci.*] In mare naves inferri. *Virgil.*

Deducunt ſocii naves et littora complent.

Cui contrarium eſt, *ſubducere*, in terram trahere. Virgil lib. 1. Æneid.

Urbem quam ſtatuo veſtra eſt, ſubducite naves.

6 *Ad portum Itium.*] Ptolemæus Itium ſtatuit inter Frudis ſive Suminæ oſtium et Geſſoriacum navale Morinorum, *Bologne.* Atqui non portum ſed promontorium appellat, portumque ibi eſſe cognominem nemo dubitare poteſt. Sed cum in Caletibus planum ſit littus, non poteſt eſſe *Calais.* Portus aliquis forte ſit obſtructus.

7 *Cum legionibus expeditis* iv.] Quæ non ducebant impedimenta, quorumque milites vallum non ferebant.

gionumque adventu cognitum est, ad eum venit: se suosque omnes in officio futuros, neque ab amicitiâ populi R. defecturos, confirmavit: quaeque in Treviris gererentur, ostendit. At Indutiomarus equitatum peditatumque cogere, iisque, qui per aetatem in armis esse non poterant, [1] in silvam Arduennam abditis, quae ingenti magnitudine per medios fines Trevirorum à flumine Rheno ad initium Rhemorum pertinet, bellum parare instituit. Sed posteà quam nonnulli principes ex eâ civitate, et familiaritate Cingetorigis adducti, et adventu nostri exercitûs perterriti, ad Caesarem venerunt, et de suis privatim rebus ab eo petere coeperunt, quoniam civitati consulere non possent: veritus ne ab omnibus desereretur, Indutiomarus legatos ad Caesarem mittit; sese idcirco à suis discedere, atque ad eum venire noluisse, quò faciliùs civitatem in officio contineret, ne omnis nobilitatis discessu, plebs propter imprudentiam laberetur; itaque civitatem in suâ potestate esse, seque, si Caesar permitteret, ad eum in castra venturum, et suas civitatisque fortunas ejus fidei permissurum.

IV. Caesar, etsi intelligebat, quâ de caussâ ea dicerentur, quaeque eum res ab instituto consilio deterreret; tamen, ne aestatem in Treviris consumere cogeretur, omnibus rebus ad Britannicum bellum comparatis, Indutiomarum ad se cum CC obsidibus venire jussit. His adductis, et in iis filio, propinquisque ejus omnibus, quos nominatim evocaverat, consolatus Indutiomarum, hortatusque est, utì in officio permaneret. Nihilo tamen seciùs principibus Trevirorum ad se convocatis, eos sigillatim Cingetorigi conciliavit. Quod quum merito ejus à se fieri intelligebat, tum magni interesse arbitrabatur, ejus auctoritatem inter suos quamplurimùm valere, cujus tam egregiam in se voluntatem perspexisset. Id factum graviter tulit Indutiomarus, suam gratiam inter suos minui: et, qui jam ante inimico in nos animo fuisset, multò graviùs hoc dolore exarsit.

V. Iis rebus constitutis, Caesar ad portum Itium cum legionibus pervenit: ibi cognoscit xl naves, quae [2] in Meldis factae erant, tempestate rejectas, cursum tenere non potuisse, atque eôdem, unde erant profectae, relatas: reliquas paratas ad navigandum, atque omnibus rebus instructas invenit. Eòdem equitatus totius Galliae convenit, numero millium iv, principesque ex omnibus civitatibus; ex quibus perpaucos, quorum in se fidem perspexerat, relinquere in Gallia, reliquos, obsidium loco, secum ducere decreverat; quod, quum ipse abesset, motum Galliae verebatur.

VI. Erat unà cum caeteris Dumnorix Aeduus, de quo à nobis an-

NOTÆ.

1 *In silvam Arduennam.*] Arduenna silva ingens olim erat, nunc maximam partem à cultoribus excisa per Treviros erat dispersa et ad Atrebates usque pertinebat. Nunc sunt tantum ejus reliquæ circa Mosam.

2 *In Meldis.*] Non certe iis sunt qui Parisiis sunt finitimi, *Meaux*, sed qui sunt, ignorantur. Libri nonnulli habent *Belgis*, sicque Beroaldus legit, Strabonis auctoritate motus, qui eos Lexobiis finitimos et maritimos facit. Facile credidero esse eos qui peninsulam vel oram maritimam incolunt, ubi est *Cherbourg*. Non tantum mare accolunt, sed et montes; nam inter montes eos constituit Ptolemæus.

teâ dictum est. Hunc secum ducere in primis constituerat, quòd eum cupidum rerum novarum, cupidum imperii, magni animi, magnae inter Gallos auctoritatis, cognoverat. Accedebat huc, quod jam in consilio Aeduorum Dumnorix dixerat, Sibi à Caesare regnum civitatis deferri: quod dictum Aedui graviter ferebant, neque recusandi, neque [1] deprecandi caussâ legatos ad Caesarem mittere audebant. Id factum [2] ex suis hospitibus Caesar cognoverat. Ille primò omnibus precibus petere contendit, ut in Galliâ relinqueretur, partim, quòd insuetus navigandi, mare timeret, partim, [3] quòd religionibus sese diceret impediri. Posteaquam id obstinatè sibi negari vidit, omni spe impetrandi ademptâ, principes Galliae sollicitare, sevocare singulos, hortarique cœpit, ut in continenti remanerent, metu territare, non sine caussâ fieri, ut Gallia omni nobilitate spoliaretur. Id esse consilium Caesaris, ut quos in conspectu Galliae interficere vereretur, hos omnes in Britanniam transductos necaret: fidem reliquis interponere, jusjurandum poscere, ut, quod esse ex usu Galliae intellexissent, communi consilio administrarent.

VII. Haec à compluribus ad Caesarem deferebantur. Quâ re cognitâ, Caesar, [4] quòd tantum civitati Aeduae dignitatis tribuebat, coërcendum atque deterrendum quibuscunque rebus posset, Dumnorigem statuebat: quòd longiùs ejus amentiam progredi videbat, prospiciendum, ne quid sibi ac Reip. nocere posset. Itaque dies circiter xxv in eo loco commoratus, [5] quod Corus ventus navigationem impediebat, qui magnam partem omnis temporis in his locis flare consuevit; dabat operam ut Dumnorigem in officio contineret, nihilò tamen seciùs omnia ejus consilia cognosceret. Tandem idoneam tempestatem nactus, milites equitesque conscendere naves jubet. At impeditis omnium animis, Dumnorix cum equitibus Aeduorum à castris, insciente Caesare, domum discedere cœpit. Quâ re nuntiatâ, Caesar intermissâ profectione atque omnibus rebus postpositis, magnam partem equitatûs ad eum insequendum mittit, retrahique imperat: si vim faciat, neque pareat, interfici jubet: nihil hunc, se absente, pro sano facturum arbitrâtus, qui presentis imperium neglexisset. Ille enim revocatus resistere, ac se manu defendere, suorumque fidem implorare cœpit, saepe clamitans, Liberum se, liberaeque civitatis esse. Isti, ut erat imperatum, circumsistunt, hominemque interficiunt. At Aedui equites ad Caesarem omnes revertuntur.

NOTAE.

1 *Deprecandi caussa.*] Deprecari apud Autores bonæ latinitatis, est *precari ne quid fiat.*

2 *Ex suis hospitibus.*] De quibus supra lib. i.

3 *Quod religionibus, &c.*] Sic Cicero in L. Pisonem: *Pontinius susceptis religionibus impeditur.* Sæpe enim vel auguriis, vel alio modo objecta religione et deterrebantur ne facerent quod vellent, et cogebantur facere quod nollent.

4 *Quod tantum civitati Æduæ dignitatis tribuebat.*] Ciacconius existimat reponendum permittatis casibus: *Quod tantum civitatis Æduæ dignitati tribuebat*, quod satis placet.

5 *Quod Corus ventus.*] Corus quem Zephyrum et Argesten vocant, flat ab occasu solstitiali, Libonotus Vegetio.

VIII. His rebus gestis, Labieno in continente cum III legionibus, et equitum millibus II relicto, ut portus tueretur, et rei frumentariae provideret, quaeque in Galliâ gererentur, cognosceret, et consilium pro tempore et pro re caperet: ipse cum legionibus v, et pari numero equitum, quem in continente reliquerat, ad solis occasum naves solvit, [1] et leni Africo provectus, mediâ circiter nocte vento intermisso, cursum non tenuit: et longiùs delatus aestu, ortâ luce, sub sinistrâ [2] Britanniam relictam conspexit. Tum rursus aestûs commutationem secutus, remis contendit, ut eam partem insulae caperet, quâ optimum esse egressum superiore aestate cognoverat. Quâ in re admodum fuit militum virtus laudanda, qui vectoriis gravibusque navigiis, non intermisso remigandi labore, longarum navium cursum adaequaverunt. Accessum est ad Britanniam omnibus navibus meridiano ferè tempore: neque in eo loco hostis est visus. Sed ut postea Caesar ex captivis comperit, quum magnae manus eo convenissent, multitudine navium perterritae, quae cum [3] annotinis privatisque, quas sui quisque commodi caussâ fecerat, amplius DCCC unà erant visae, timore à littore discesserant, ac se in superiora loca abdiderant.

IX. Caesar exposito exercitu, ac loco castris idoneo capto, ubi ex captivis cognovit, quo in loco hostium copiae consedissent, [4] cohortibus x ad mare relictis, et equitibus CCC, qui praesidio navibus essent, de III vigiliâ ad hostes contendit, eò minùs veritus navibus, quòd in littore molli atque aperto deligatos ad anchoras relinquebat: et praesidio navibus Q. Atrium praefecit. Ipse noctu progressus millia passuum circiter XII, hostium copias conspicatus est. Illi equitatu atque essedis ad flumen progressi, ex loco superiore nostros prohibere, et prœlium committere cœperunt. Repulsi ab equitatu, se in silvas abdiderunt, locum nacti, egregiè et naturâ et opere munitum, quem domestici belli, ut videbatur, caussâ jam antè praeparaverant: nam crebris [5] arboribus succisis omnes introitus erant praeclusi. Ipsi ex silvis rari propugnabant,

INTERPRETATIO.

a *Quo appelleret ad eam partem insulæ.*]

NOTAE.

1 *Et leni Africo profectus,*] Africus ab occasu brumali spirat, Græcis Libonotus.

2 *Britanniam*] Britannia hodie est duplex transmarina et cismarina. De transmarina hic agit Cæsar. Cismarina vero illa tempestate dicebatur Armorica. Posteaquam autem ab Anglis, qui Germanicus erat populus, Britanni ejecti sunt circa annum Christi cccxli. à Britannia transmarina, pars illorum Britannorum in cismarinam transiit, quæ ab ipsis nomen accepit Britanniæ.

3 *Annotinis*] Annotinæ sunt naves quæ annonam ferunt, ab annona dictæ, sicut à sero, serotinus. Et hæ quidem sunt inter onerarias, quarum scilicet sunt multa genera, sunt enim frumentariæ et vinariæ et lignariæ, quarum omnium extant apud Autores exempla, imo sunt et palearum naves apud Ciceronem.

4 *Cohortibus* x] Cohors erat ut plurimum ccccxx hominum: si legio plenior esset, erat etiam plenior cohors, militum nempe D et DC. Cohortes decem numerum legionis efficiebant, quas tamen legionem hic non appellat, quia forte erant ex pluribus legionibus delectæ.

5 *Arboribus succisis*] Concædes appellat Tacitus. Item Gregorius Turonensis.

nostrosque intra munitiones ingredi prohibebant. At milites legionis VII, [1] testudine factâ, et aggere ad munitiones adjecto, locum ceperunt, eosque ex silvis expulerunt, paucis vulneribus acceptis. Sed eos fugientes longiùs Caesar persequi vetuit, et quòd loci naturam ignorabat, et quòd magnâ parte diei consumptâ, munitioni castrorum tempus relinqui volebat.

X. Postridie ejus diei manè, tripartitò milites equitesque in expeditionem misit, ut eos, qui fugerant, persequerentur. Iis aliquantum itineris progressis, quum jam extremi essent in prospectu, equites à Q. Atrio ad Caesarem venerunt, qui nuntiarent, superiori nocte, maximâ coortâ tempestate, propè omnes naves afflictas, atque in littore ejectas esse, quòd neque anchorae funesque subsisterent, neque nautae gubernatoresque vim tempestatis pati possent. Itaque ex eo concursu navium magnum esse incommodum acceptum.

XI. His rebus cognitis, Caesar legiones equitatumque revocari atque itinere desistere jubet. Ipse ad naves revertitur: eadem ferè quæ ex nuntiis litterisque cognoverat, coram perspicit, sic ut, amissis circiter XL navibus, reliquae tamen refici posse magno negotio viderentur. Itaque ex legionibus [2] fabros deligit, et ex continenti alios accersiri jubet: Labieno scribit, ut quam plurimas posset, iis legionibus, quae sunt apud eum, naves instituat. Ipse, etsi res erat multae operae ac laboris, tamen commodissimum esse statuit, omnes naves subduci, et cum castris unâ munitione conjungi. In his rebus circiter dies X consumit, ne nocturnis quidem temporibus ad laborem militum intermissis. Subductis navibus castrisque egregiè munitis, easdem copias, quas antè, praesidio navibus relinquit: ipse eôdem, unde redierat, proficiscitur. Eò cùm venisset, majores undique in eum locum copiae Britannorum convenerant. Summa imperii bellique administrandi, communi consilio, permissa est Cassivellauno, cujus fines à maritimis civitatibus flumen dividit, quod appellatur [3] Tamesis, à mari circiter millia passuum LXXX. Huic, superiori tempore, cum reliquis civitatibus continentia bella intercesserant; sed, nostro adventu permoti Britanni, hunc toti bello imperioque praefecerant.

NOTAE.

1 *Teſtudine factâ.*] Hæc teſtudo, quæ à Dione deſcribitur. lib. xliii. cujus verba Græca his Latinis reddita efferre non pigebit: *Teſtudo talis eſt et hoc modo fit: Impedimentis et levi armatura et equitibus in medium acceptis, gravis armatura peditis qui oblongis et cavis et dimidiati tubi ſimilibus clypeis utuntur, in extremis partibus tanquam in lateritio opere circumponuntur, et alios ipſi extra ſpectantes ambiunt. Cæteri qui planos habent clypeos, in medio denſi collocantur, illoſque tum ſuper ſe tum ſuper alios attollunt, ita ut per univerſam phalangem nihil præter clypeos cernatur, et à telorum jactu tutos denſitate inſtructionis efficiant. Sic enim firmant, ut et ſuper eam homines aliquot ingredi poſſint, et præterea equi et currus, ſi quando in cavo et anguſto loco verſantur. Hæc eſt ejus inſtructionis forma, et nomen à teſtudine cepit, et ob firmitatem, et quia tegit optime. Uſus autem eſt duplex: nam et in oppugnanda munitione aliqua ſubeunt, et ſæpe in ipſum murum quoſdam attollunt*, &c. Idem fere habet Oppianus, lib. i. Cyngeticon.

2 *Fabros deligit.*] Quia teſte Livio, lib. i. Servius duas centurias inſtituerat, quæ ſine armis ſtipendia facerent, datumque eis munus, ut machinas in bello ferrent, quorum præfectus dicebatur, *Præfectus Fabrûm.*

3 *Tameſis,*] Gallice, *Thamiſe.* Anglice, *the Thames*, Londinum præterfluit.

XII. Britanniae pars interior ab iis incolitur, quos natos in insulâ ipsa memoriâ proditum dicunt: maritima pars ab iis, qui praedae ac belli inferendi caussâ, [1] ex Belgio transierant: qui omnes ferè iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eò pervenerunt, et [2] bello illato ibi remanserunt, atque agros colere coeperunt. Hominum est infinita multitudo, creberrimaque aedificia fere Gallicis consimilia: pecoris magnus numerus: [3] utuntur aut aereo, aut taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro numero. [4] Nascitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus; in maritimis ferrum, sed ejus exigua est copia: aere utuntur importato. Materia cujusque generis, ut in Galliâ, est, praeter fagum atque abietem. Leporem et gallinam, et anserem gustare, fas non putant. Haec tamen alunt animi voluptatisque caussâ. Loca sunt temperatiora quàm in Galliâ, [5] remissoribus frigoribus.

XIII. [6] Insula naturâ triquetra, cujus unum latus est contra Galliam: hujus lateris alter angulus, qui est ad [7] Cantium, quò fere ex Gallia naves appelluntur, ad orientem solem; inferior ad meridiem spectat. [8] Hoc latus tenet circiter millia passuum D; alterum vergit ad Hispaniam, atque occidentem solem: quâ ex parte est [9] Hibernia, dimidio minor, ut existimatur, quàm Britannia: sed pari spatio transmissus, atque ex Galliâ est in Britanniam. In hoc medio cursu est

NOTÆ.

1 *Ex Belgio.*] Belgium videtur hic eſſe dictum pars Galliæ, quæ à Belgis in univerſum incolitur, non parva alia, quæ ab ipſis Bellovacis, Ambianiſque incolitur. Belgium à Belgis ut à Samnitibus Samnium dicitur.

2 *Bello illato*] Non illato ſolum, ſed et confecto.

3 *Utuntur aut æreo*, &c] Antiqui codices habent: *Utuntur minino ære aut laminis ferreis.* Certe pecunias, quæ Toloſæ â Romanis inventæ ſunt, nequaquam ſignatas, ſed argentum aurumque infectum fuiſſe diſertis verbis obſervat Strabo.

4 *Naſcitur ibi plumbum*, &c.] Itidem ſe res habet et nunc. Eſt enim in Wallia plumbum, eſt et ferrum, ſed paucum. Æs vero illis ut et nobis à Germaniâ petitur. De auro autum ſic Cicero, lib. iv. ad Atticum Epiſt. 16. *Etiam illud jam cognitum eſt, neque argenti ſcrupulum eſſe ullum in illa inſula, neque ullam ſpem prædæ niſi ex mancipiis.* Tacitus tamen, Solinus, Beda dicunt inventa metalla eſſe.

5 *Remiſſioribus frigoribus.*] Tacitus ſcribit: Cœlum Britannicum crebris imbribus fœdum, aſperitatem frigorum abeſſe.

6 *Inſula natura triquetra,*] Tacitus tradit formam ejus à Livio et Fabio Ruſtico oblongæ ſcutulæ vel bipenni aſſimilari, immenſum tamen et enorme ſpatium procurrentium extremo jam littore terrarum velut in cuneum tenuari: quorum Autorum tempore primum Romana claſſis eſt inſulam Britanniam circumvecta. Quæ quidem Taciti ſeu Livii deſcriptio quam Cæſariana diligentior videtur, nec enim triquetra eſt, ut Sicilia. Sed ſi quia Italiam hederæ folio aſſimilatam dixit Plinius, tantopere in ſua regione erravit, ignoſcendum eſt Cæſari erranti in aliena. Porro *natura triquetra* dixit Cæſar, pro *figura triquetra.*

7 *Cantium,*] Nomen retinet *Kent.*

8 *Hoc latus tenet*] Haud multum abeſt à vero ſi præſertim ſinuum habeatur ratio. Sed nec inſulam eſſe plane compertum eſt, niſi Severo principe, ut Dio teſtatur.

9 *Hibernia,*] Hibernia quoque nomen retinet et verum nunc eſſe comperitur, quod de ejus menſura fuit à Cæſare proditum. Minus diligenter Mela, qui de ea ſic habet, lib. iii. cap. 6. *Super Britanniam Juverna eſt pene par ſpatio, ſed utrinque æqualis.* De ea quoque ſic Tacitus: *Spatium ejus ſi Britannia comparetur anguſtius, noſtri maris inſulas ſuperat*, id eſt, Sardiniam, Siciliam, Cretam.

insula quae appellatur [1] Mona. Complures praeterea minores objectae insulae existimantur, [2] de quibus insulis nonnulli scripserunt, dies continuos xxx sub brumâ esse noctem. Nos nihil de eo percunctationibus reperiebamus, nisi [3] certis ex aquâ mensuris, breviores esse noctes, quàm in continente, videbamus. Hujus est longitudo lateris, ut fert illorum opinio, DCC millium passuum. Tertium est contra Septentrionem: cui parti nulla est objecta terra, sed ejus lateris angulus maximè ad Germaniam spectat. Huic millia passuum DCCC in longitudinem esse existimatur. Ita omnis insula est in circuitu vicies centena millia passuum.

XIV. Ex his omnibus, longè sunt humanissimi, qui Cantium incolunt: quae regio est maritima omnis, neque multùm à Gallicâ differunt consuetudine. Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt, pellibusque sunt vestiti. [4] Omnes verò se Britanni vitro infi-

NOTÆ.

1 *Mona.*] Nunc dicitur *Man.*

2 *De quibus insulis,* &c.] De quibus sic Plinius, lib. ii. cap. 75. *Solstitialibus diebus accedente sole propius verticem mundi angusto lucis ambitu subjectae terrae, continuos dies habere senis mensibus, noctesque è diverso ad brumam remoto. Quod fieri in insula Thule Pytheas Massiliensis scripsit, sexdierum navigatione in septentrionem à Britannia distante; quidam vero et in Mona, quae distat à Camaloduno Britanniae oppido circiter ducentis millibus, affirmant.* De Mona et insulis illis propinquis falsum esse compertum est, de remotioribus non tantum fama, sed ratio certissima confirmat.

3 *Certis ex aqua mensuris.*] Clepsydras intelligit, horologia ex aquis constantia, quorum formam usumque apud Vitruvium videre licet lib. ix. Breviores autem esse noctes intellige æstivas: æstate enim suas expeditiones faciebat Cæsar. De qua noctium Britannicarum brevitate sic memoriæ prodidit Tacitus idoneus autor, utpote Julii Agricolæ gener Britanniæ domitoris: *Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram et nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non efficiant, adspici per noctem solis fulgorem nec occidere et exsurgere, sed transire affirmant.* Ac revera notum est sole cis lineam æquinoctialem versante, eo longiores dies brevioresque noctes effici, quo terra aliqua vicinior polo est. Sic Gallia longiores æstate noctes habet, quam Anglia. Porro serus fuit apud Romanos clepsydrarum usus. Plinius enim, lib. vii. cap. 60. sic habet: *Tunc Scipio Nasica collega Lenatis, primus aqua divisit horas aeque noctium ac dierum.*

4 *Omnes vero se Britanni vitro inficiunt.*] Mira hic est lectionis varietas, quæ ex scriptorum videtur orta fuisse ignorantia. Cum enim in antiquis codicibus viderent esse *vitro*, neque sibi in animum inducere possent vitro tingi posse, alii scripserunt, *nitro*, alii *luteo*, alii *glauco*, alii *ultro*, alii *glasto*. Interim certum est herbam esse, quæ vitrum à Latinis ideo dicitur, quod vitreo colore tingat: de qua Vitruvius, lib. vii. cap. 14. sic habet: *Iidem propter inopiam coloris, Indici Cretam selinusiam aut annulariam vitro, quod Graeci Isatim appellant, inficientes, imitationem faciunt coloris Indici.* Oribasius scribit Isatim infectores vitrum appellare. Mela Cæsari consentiens, lib. iii. cap. 6. de Britannis sic habet: *Incertum ob decorem an quid aliud vitro corpora inficiunt.* Ubi nonnulli codices frustra habent *ultro.* Vitrum illud Glastum est, Gallice *Guesde.* Herba est, quæ in pulverem redacta cæruleum colorem efficit, qui aliis coloribus pro firmamento est, quo lanæ ad alios colores prætinguntur atque præparantur. Atque hujus Britannorum moris glasto se pingendi meminit Plinius, lib. xxii. cap. 1. *Simile Plantigini glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges nurusque toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris et nudæ insedunt, Æthiopum colorem imitantes.* Nec mos ille corpus pingendi depositus tempore Severi Imperatoris, siquidem Herod. ita de his perhibet: *Quin ipsa notant corpora pictura varia, et omnifariam formis animalium, quocirca ne induuntur quidem, videlicet picturam corporis ne adoperiant.* Ita Polit. Herod. optimus interpres.

ciunt, quod caeruleum efficit colorem: atque hoc horribiliore sunt in pugna adspectu: capilloque sunt [1] promisso, atque omni parte corporis rasâ, praeter caput et labrum superius. Uxores habent deni duodenique inter se communes, et maximè fratres cum fratribus, et parentes cum liberis. Sed si qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, à quibus primùm virgines quaeque ductae sunt.

XV. Equites hostium essedariique acriter prœlio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt; ita tamen, ut nostri omnibus partibus superiores fuerint, atque eos in silvas collesque compulerint. Sed, compluribus interfectis, cupidiùs insecuti, nonnullos ex suis amiserunt. At illi, intermisso spatio, imprudentibus nostris atque occupatis in munitione castrorum, subitò se ex silvis ejecerunt; impetuque in eos facto, qui erant in statione pro castris collocati, acriter pugnaverunt: duabusque missis subsidio cohortibus à Caesare, [2] atque his primis legionum duarum, quum hae, intermisso perexiguo loci spatio inter se, constitissent; novo genere pugnae perterritis nostris, per medios audacissimè proruperunt, seque inde incolumes receperunt. Eo die Q. Liberius Durus tribunus mil. interficitur: illi, pluribus submissis cohortibus, repelluntur.

XVI. Toto hoc in genere pugnae, quum sub oculis omnium ac pro castris dimicaretur, intellectum est, nostros propter gravitatem armorum, quòd neque insequi cedentes possent, neque ab signis discedere auderent, minùs aptos esse ad hujus generis hostem: equites autem magno cum periculo dimicare, propterea quòd illi etiam consultò plerumque cederent, et quum paullulùm ab legionibus nostros removissent, ex essedis desilirent, et pedibus dispari prœlio contenderent. [3] Equestris autem prœlio ratio, et cedentibus et insequentibus, par atque idem periculum inferebat. Accedebat huc, ut nunquam conferti, sed rari, magnisque intervallis prœliarentur, stationesque dispositas haberent atque alios alii deinceps exciperent, integrique et recentes defatigatis succederent.

XVII. Postero die, procul à castris hostes in collibus constiterunt, rarique se ostendere, et lentiùs, quam pridiè, nostros equites prœlio lacessere cœperunt. Sed meridie, quum Caesar pabulandi caussâ III legiones atque omnem equitatum cum [4] C. Trebonio legato misisset, repente ex omnibus partibus ad pabulatores advolaverunt, sic, utì ab signis le-

NOTAE.

1 *Promisso.*] Id est longo, quasi *porro*, id est, longe *misso*.

2 *Atque his primis legionum duarum.*] Ex Modesto enim prima cohors legionis erat mille et centum quinque peditum et CXXXII. equitum loricatorum, cum legio erat VI millium et quinque peditum et DCCXXVI equitum, quæ quamvis ætate Cæsaris minus esset numerosa, tamen cohors prima reliquis erat cohortibus numerosior.

3 *Equestris autem prœlii ratio.*] Nescio de utris dicat, Romanis an Gallis, an de utrisque, tamen de Romanis intelligit: sed paullo obscurior oratio Fortasse aliquid mutilatum est à Librariis.

4 *Trebonio*] Is amicus Cæsaris et legatus. Consul postea trimestris cum Fabio, beneficio Cæsaris fuit; unus tamen fuit de ejus percussoribus, eodemque anno, quo cæsus est ab eo Cæsar, Smyrnæ ubi degebat, interfectus fuit à Dolabella, qui tunc Consul erat in Cæsaris occisi locum suffectus.

gionibusque non absisterent. Nostri acriter in eos impetu facto, repulerunt, neque finem insequendi fecerunt, quoad subsidio confisi equites, quum post se legiones viderent, praecipites hostes egerunt; magnoque eorum numero interfecto, neque suî colligendi, neque consistendi, aut ex essedis desiliendi facultatem dederunt, Ex hâc fugâ protinus, quae undique convenerant, auxilia discesserunt: neque post id tempus unquam summis nobiscum copiis hostes contenderunt.

XVIII. Caesar, cognito consilio eorum, ad flumen Tamesin, in fines Cassivellauni, exercitum duxit: quod flumen uno omnino loco pedibus, atque hoc aegrè, transiri potest. Eò quum venisset, animadvertit ad alteram fluminis ripam magnas esse copias hostium instructas. [1] Ripa autem erat acutis sudibus praefixis munita: ejusdemque generis sub aquâ defixae sudes flumine tegebantur. Iis rebus cognitis a captivis perfugisque, Caesar, praemisso equitatu, confestim legiones subsequi jussit. [2] Sed eâ celeritate atque impetu milites iêrunt, quum capite solo ex aquâ exstarent, ut hostes impetum legionum atque equitum sustinere non possent, ripasque dimitterent, ac se fugae mandarent.

XIX. Cassivellaunus, ut suprà demonstravimus, omni spe depositâ contentionis, dimissis amplioribus copiis, millibus circiter iv essedariorum retentis, itinera nostra servabat, paullulumque ex viâ excedebat, locisque impeditis atque silvestribus sese occultabat, atque iis regionibus, quibus nos iter facturos cognoverat, pecora atque homines ex agris in silvas compellebat: et quum equitatus noster liberiùs, vastandi praedandique caussâ, se in agros effunderet, omnibus viis notis semitisque essedarios ex silvis emittebat, et magno cum periculo nostrorum equitum, cum iis confligebat; atque hoc metu latiùs vagari prohibebat. Relinquebatur, ut neque longiùs ab agmine legionum

NOTAE.

1 *Ripa autem erat acutis sudibus*, &c. Beda, qui anno Christi DCC vixit, harum sudium vestigia sua ætate superfuisse scribit, quæ erant singulæ femoris crassitudine et plumbo circumfusæ.

2 *Sed ea celeritate.*] Solet Cæsar sua stratagemata dissimulare, ut videatur, vi non dolo omnia consecutus. Certe Polyenus lib. viii. memoriæ prodidit, Cæsarem hunc transitum elephanto debuisse: Καίσαρ ἐν Βρεττανίᾳ ποταμὸν μέγαν ἐπεχείρει περαιοῦσθαι. Βασιλεὺς Βρεττανῶν Κασίλαυλος ἀνεῖργε μετὰ πολλῶν ἱππέων, καὶ ἁρμάτων. Καίσαρι μέγας ἐλέφας εἵπετο, ζῶον Βρεττανοῖς οὐχ ἑωραμένον. Τοῦτο σιδηραῖς φολίσιν ὀχυρώσας καὶ τοξότας καὶ σφενδονήτας ἐπιστήσας ἐκέλευσεν εἰς τὸ ῥεῦμα ἐμβαίνειν. Βρεττανοὶ δὲ ἐξεπλάγησαν ἀόρατον καὶ ὑπερφυὲς θηρίον ἰδόντες. Περὶ γὰρ τῶν ἵππων τί χρὴ καὶ γράφειν ὅπου καὶ παρὰ Ἕλλησιν, ἐν καὶ γυμνὸν ἐλέφαντα ἴδωσιν ἵπποι φεύγουσιν. Πυργοφόρον δὲ καὶ ὡπλισμένον, βέλη καὶ σφενδόνας ἐξαφιέντα, οὐδὲ ἰδεῖν τὴν ὄψιν ὑπέμειναν. Βρεττανοὶ μὲν δὴ αὐτοῖς ἵπποις καὶ ἅρμασιν ἔφευγον, Ῥωμαῖοι δὲ ἀκινδύνως τὸν ποταμὸν διέβησαν, ἑνὶ ζώῳ τοὺς πολεμίους φοβήσαντες· *Cæsar*, inquit, *magnum flumen conabatur transire in Britanniam Rex Britannorum Casolaulus probibebat* (sic vocat eum qui Cassivellaunus in his Commentariis dicitur) *cum multis equitibus et essedis transitu Cæsarem probibebat, quem maximus elephas sequebatur, animal hactenus Britannis invisum. Eum ferreis squammis munitum, insuper et sagittariis et funditoribus impositis, ingredi in alveum fluminis jussit. Britanni perterrebantur invisum et grande supra modum animal conspicati, turrigerum vero armatumque et tela lapidesque fundis conjicientem aspicere non sustinuere. Itaque Britanni cum equis et curribus fugerunt. Romani vero sine periculo flumen transmiserunt, per unam bestiam metu hostibus facto.*

discedi Caesar pateretur; et tantum in agris vastandis, incendiisque faciendis, hostibus noceretur, quantum labore atque itinere legionarii milites efficere poterant.

XX. Interim Trinobantes, propè firmissima earum regionem civitas, ex quâ Mandubratius adolescens, Caesaris fidem secutus, ad eum in continentem Galliam venerat, (cujus pater Imanuentius in eâ civitate regnum obtinuerat, interfectusque erat à Cassivellauno, ipse fugâ mortem vitaverat) legatos ad Caesarem mittunt, pollicenturque sese ei dedituros, et imperata facturos: petunt, ut Mandubratium ab injuriâ Cassivellauni defendat, atque in civitatem mittat, qui praesit, imperiumque obtineat. His Caesar imperat obsides XL, frumentumque exercitui; Mandubratiumque ad eos mittit. Illi imperata celeriter fecerunt: obsides ad numerum, frumentumque miserunt.

XXI. [1] Trinobantibus defensis, atque ab omni militum injuriâ prohibitis, Cenimagni, Segontiaci, Ancalites, Bibroci, Cassi, legationibus missis, sese Caesari dediderunt. Ab his cognoscit, non longè ex loco oppidum Cassivellauni abesse, silvis, paludibusque munitum, quò satis magnus hominum pecorisque numerus convenerit. [2] Oppidum autem Britanni vocant, quum silvas impeditas vallo atqus fossâ muniêrunt, quò, incursionis hostium vitandae caussâ, convenire consueverunt. Eò proficiscitur cum legionibus: locum reperit egregiè naturâ atque opere munitum: tamen hunc duabus ex partibus oppugnare contendit. Hostes paullisper morati militum nostrorum impetum non tulerunt, seseque ex aliâ parte oppidi ejecerunt. Magnus ibi numerus pecoris repertus, multique in fugâ sunt comprehensi atque interfecti.

XXII. Dum haec in his locis geruntur; Cassivellaunus ad Cantium, quod esse ad mare suprà demonstravimus, quibus regionibus IV reges præerant, Cingetorix, Carnilius, Traximagulus, Segonax, nuntios mittit; atque his imperat, ut, coactis omnibus copiis, castra navalia de improviso adoriantur, atque oppugnent. Hi quum ad castra venissent; nostri, eruptione factâ, multis eorum interfectis, capto etiam nobili duce Lugotorige, suos incolumes reduxerunt. Cassivellaunus, hoc prœlio nuntiato, tot detrimentis acceptis, vastatis finibus, maximè etiam permotus defectione civitatum, legatos [3] per Atrebatem Comium de deditione ad Caesarem mittit. Caesar, quum statuisset

NOTÆ.

1 *Trinobantibus defensis.*] Hi populi aliter à Glareano, aliter à Camdeno appellantur. Si qua tamen fides Camdeno Anglo deberi videtur: ſed certe parva fides licet Anglo et doĉto debetur. Cum enim illa tempeſtate non eſſent in Britannia urbes, teſte Cæſare, non eſt adjutus illis præſidiis nominum urbium, quæ nobis Gallis in antiqua Gallia illuſtranda profuerunt. Idem eſto diĉtum de omnibus Britanniæ populis.

2 *Oppidum autem Britanni vocant.*] Idem fere habet Strabo: Πόλεις δ' αὐτῶν εἰσὶν οἱ δρυμοί. Περιφράξαντες γὰρ δένδρεσι καταβεβλημένοις εὐρυχωρῆ κύκλον καὶ αὐτοὶ ἐνταῦθα καλυβοποιοῦνται, καὶ τὰ βοσκήματα κατασταθμεύουσιν οὐ πρὸς πολὺν χρόνον. *Urbium loco ſunt ipſis nemora. Arboribus enim dejeĉtis ubi magnum circulum ſepſerunt, ſibi caſas ibidem ponunt, et pecori ſtabula condunt ad uſum quidem non longi temporis.* Idem fere habere Herodianus de Germanis.

3 *Per Atrebatem Comium*] Ergo redierat in Britanniam, vel â Cæſare miſſus, vel ab ipſis Britannis revocatus.

hiemem in continente propter repentinos Galliae motus agere, neque multum aestatis superesset, atque id facilè extrahi posse intelligeret, obsides imperat: et quid in annos singulos [1] vectigalis populo R. Britannia penderet, constituit. Interdicit atque imperat Cassivellauno, ne Mandubratio neu Trinobantibus noceat.

XXIII. Obsidibus acceptis, exercitum reducit ad mare, naves invenit refectas. [2] His deductis, quòd et captivorum magnum numerum habebat, et nonnullae tempestate deperierant naves, duobus commeatibus exercitum reportare constituit. Ac sic accidit, ut ex tanto navium numero, tot navigationibus, neque hoc neque superiore anno ulla omnino navis, quae milites portaret, desideraretur: at ex iis, quae inanes ex continente ad eum remitterentur, et prioris commeatûs expositis militibus, et quas posteà Labienus faciendas curaverat numero LX, [a] perpaucae locum caperent, reliquae fere omnes rejicerentur. Quas quum aliquandiu Caesar frustra exspectâsset, [3] ne anni tempore navigatione excluderetur, [b] quòd aequinoctium suberat, necessariò angustiùs milites collocavit: ac summam tranquillitatem consequutus, secundâ initâ quum solvisset vigiliâ, primâ luce terram attigit, [4] omnesque incolumes naves perduxit.

XXIV. Subductis navibus, concilioque Gallorum [5] Samarobrivae peracto, quòd eo anno frumentum in Gallia, propter siccitates, angustiùs provenerat, coactus est aliter ac superioribus annis, exercitum in hibernis collocare, legionesque in plures civitates distribuere: ex quibus unam [6] in Morinos ducendam [7] C. Fabio legato dedit, alteram in

INTERPRETATIO.

a *Paucissimæ appellerent in insulam.*

b *Quia æquinoctium imminebat.*

NOTÆ

1 *Vectigalis*] Dio negat quicquam fructus retuliſſe Cæſarem de victa Britannia, niſi quod ibi bellaſſe magnæ ſibi laudi eſſe ducebat. Plutarchus vero ſcripſit non qualem voluerat exitum hujus belli habuiſſe, et plus mali hoſtibus attuliſſe, quam boni adeptum eſſe: nihil enim fuiſſe quod pauperibus eripi potuerit. Vectigalis porro Britannia Romanorum fuit ccccLxxvi annos. Poſtea à Pictis Scotiſque vexata belloque impar ad ſtipendia Anglo Saxonis e Germania evocavit, qui repreſſis Pictis et Scotis, ipſos Britannos ex inſula ejecerunt.

2 *His deductis,*] In mare. Prius enim dixit *ſubductis navibus*, nempe in terram, ut reficerentur

3 *Ne omni tempore navigatione excluderetur.*] Vegetius, lib. v. cap. 9. *Poſt ortum Pleiadum à die vi. Kalendarum Juniarum uſque ad Arcturi ortum, id eſt, in diem Octavum decimum Kalendarum Octobrium, ut ſecura navigatio creditur, quia æſtatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur. Poſt hoc tempus uſque in tertium idus Novembris, incerta navigatio eſt et diſcrimini proprior: propterea quia poſt idus Septembris oritur Arcturus vehementiſſimum ſidus, et octavo kalendas Octobris evenit acerba tempeſtas.*

4 *Omneſque incolumes naves perduxit.*] Hic eſt, cum in continente litteras invenit, quibus nuntiabatur mors Juliæ filiæ, uxoris Pompeii, quæ initam cum illo ſocietatem diſſolvit.

5 *Samarobrivæ*] Samarobriva Ambianorum caput, quaſi Samaræ pons, quia Gallorum lingua *briva* pons eſt. Samarum autem vel Samara dicebatur fluvius, qui à poſteris dictus eſt Sumina vel Sumena, poſtea corrupta lingua Somona, *la Some.* Hæc urbs, ut Rorico prodidit, fuit poſtea Merovæi, et qui ipſum anteceſſit, Clodionis Regum Francorum regia.

6 *In Morinos, &c.*] De Morinis, Nerviis et Rhemis ſupra dictum eſt.

7 *C. Fabio*] Hic Fabius ex clariſſima Fabiorum gente, is eſt qui à Cæſare Maſſiliæ oppugnatione occupato, in Hiſpaniam præmiſſus, præſidia Afranii è Pyrenæo ſaltu dejecit.

Nervios, Q. [1] Ciceroni; tertiam in [2] Essuos, [3] L. Roscio; quartam in Rhemis cum T. Labieno, in confinio Trevirorum, hiemare jussit: tres in [4] Belgio collocavit: his M. Crassum quaestorem, et L. [5] Munatium Plancum, et C. Trebonium legatos praefecit. Unam legionem, quam proximè trans [6] Padum conscripserat, et cohortes v, in Eburones, quorum pars maxima est inter Mosam et Rhenum, qui sub imperio Ambiorigis et Cativulci erant, misit. His militibus Q. Titurium Sabinum, et L. Auruncleium Cottam, legatos præesse jussit. Ad hunc modum distributis legionibus, facillimè inopiae frumentariae sese mederi posse existimavit: atque harum tamen omnium legionum hiberna (praeter eam, quam L. Roscio in pacatissimam et quietissimam partem ducendam dederat) [7] millibus passuum C continebantur. Ipse interea, quoad legiones collocâsset, munitaque hiberna cognovisset, in Galliâ morari constituit.

XXV. Erat in Carnutibus summo loco natus Tasgetius, cujus majores in suâ civitate regnum obtinuerant. Huic Caesar, pro ejus virtute, atque in se benevolentiâ, quòd in omnibus bellis singulari ejus operâ fuerat usus, majorum locum restituerat. Tertium jam hunc annum regnantem inimici palam, multis etiam ex civitate auctoribus, interfecerunt. Defertur ea res ad Caesarem. Ille veritus, quòd ad plures res pertinebat, ne civitas eorum impulsu deficeret, L. Plancum cum legione ex Belgio celeriter in Carnutes proficisci jubet, ibique hiemare: quorumque operâ cognoverit Tasgetium interfectum, hos comprehensos ad se mittere. Interim ab omnibus legatis quaestoribusque, quibus legiones transdiderat, certior factus est, in hiberna perventum, locumque hibernis esse munitum.

XXVI. Diebus circiter xv, quibus in hiberna ventum est, initium repentini tumultûs ac defectionis ortum est ab [8] Ambiorige et Cativulco: qui, cùm ad fines regni sui Sabino Cottaeque praestò fuissent, frumen-

NOTÆ.

1 *Q. Ciceroni.*] Marci Tullii Ciceronis Oratoris frater fuit, qui postea à M. Antonio proscriptus, eodem quo Marcus frater casu periit. Ad eum extant multæ fratris epistolæ.

2 *Essuos.*] Ignorari item supra dictum. Hoc addam, finitimos esse Armoricis.

3 *L. Roscio.*] Roscius is est, qui postea à Pompeio ad Cæsarem missus est, ut pacem certis conditionibus componeret. Vide lib. I. de bello civili.

4 *Belgio.*] Belgium proprie dictum fuisse Bellovacos hic conjici potest. Hoc loco dicitur tres legiones in Belgio collocasse. His M. Crassum Quæstorem, L. Munatium Plancum, et C. Trebonium legatos præfecisse: Postea Eburonibus Ciceronem oppugnantibus, Cæsarem statim nuntium in Bellovacos ad M. Crassum misisse. Ergo Bellovaci sunt in Belgio proprie dicto. M. vero Crassus hic est filius M. Crassi divitis, qui apud Parthos periit.

5 *Muratium Plancum*] Munatius Plancus is est, qui coloniam Lugdunum deduxit.

6 *Padum.*] Padus in Vesulo inter Alpium cacumina eminentissima ortus, è piceæ arboris copia dictus, quæ cisalpinorum Gallorum lingua padus dicitur; per fines Salassorum modico primum fluento, mox auctus Doriis et Morgo fluviis per Taurinos, inde per Mediolanensem ducatum et Ferrariensem labitur, discurseque in ramos et diversa capita in mare Adriaticum facto Delta, influit. Eridanus Græcis dicitur. Virgilio *fluviorum rex*, nempe Italicorum. Nilus enim et Danubius majores. Nunc *le Po*.

7 *Millibus passuum* c.] Non convenit numerus, sed nihil facilius lapsu in numeris, ut prædictum.

8 *Ambiorige et Cativulco.*] Erat ambo reges Eburonum, ut supra dictum est.

tumque in hiberna comportavissent, Indutiomari Treviri nuntiis impulsi suos concitaverunt. subitòque oppressis lignatoribus, magnâ manu castra oppugnatum venerunt. Quum celeriter nostri arma cepissent, vallumque adscendissent, atque unâ ex parte Hispanis equitibus emissis, equestri proelio superiores fuissent: desperatâ re, hostes suos ab oppugnatione reduxerunt. Tum suo more conclamaverunt, uti aliqui ex nostris ad colloquium prodirent: habere sese quae de re communi dicere vellent, quibus controversias minui posse sperarent.

XXVII. Mittitur ad eos, colloquendi caussâ, C. Arpinius eques Romanus, familiaris Q. Titurii, et Q. Junius ex Hispaniâ quidem, qui jam antè, missu Caesaris, ad Ambiorigem ventitare consueverat: apud quos Ambiorix in hunc modum locutus est: Sese, pro Caesaris in se beneficiis plurimum ei confiteri debere; quòd ejus operâ stipendio liberatus esset, quod Atuaticis finitimis suis pendere consuêsset: quòdque ei et filius, et fratris filius ab Caesare remissi essent, quos Atuatici, obsidum numero missos, apud se in servitute et catenis tenuissent: neque id, quod fecerat de oppugnatione castrorum, aut judicio, aut voluntate suâ fecisse, sed coactû civitatis: [1] suaque esse ejusmodi imperia, ut non minus haberet juris in se multitudo, quàm ipse in multitudinem. Civitati porrò hanc fuisse belli caussam, quòd repentinae Gallorum conjurationi resistere non potuerit; id se facilè ex humilitate suâ probare posse, quòd non adeo sit imperitus rerum, ut suis copiis populum R. se superare posse confidat; sed esse Galliae commune consilium: omnibus hibernis Caesaris oppugnandis hunc esse dictum diem, ne qua legio alteri legioni subsidio venire posset: non facilè Gallos Gallis negare potuisse, praesertim cùm de recuperandâ communi libertate consilium initum videretur; [2] quibus quoniam pro pietate satisfecerit, habere se nunc rationem officii; pro beneficiis Caesarem monere, orare Titurium pro hospitio, ut suae ac militum saluti consulat: magnam manum Germanorum conductam Rhenum transîsse, hanc affore biduo: ipsorum esse consilium, velintne, priùs quàm finitimi sentiant, eductos ex hibernis, milites aut ad Ciceronem, aut ad Labienum deducere, quorum alter millia passuum circiter L, alter paullo ampliùs absit: illud se polliceri, et jurejurando confirmare, tutum se iter per fines suos daturum: quod cum faciat, et civitati sese consulere, quòd hibernis levetur, et Caesari pro ejus meritis gratiam referre.

XXVIII. Hâc oratione habitâ, discedit Ambiorix. C. Arpinius et Junius quae audîerant ad legatos deferunt. Illi repentinâ re perturbati, etsi ab hoste ea dicebantur, non tamen negligenda existimabant: maximèque hâc re permovebantur, quòd, civitatem ignobilem atque humilem Eburonum suâ sponte populo R. bellum facere ausam,

NOTÆ.

1 *Suaque esse ejusmodi imperia.*] Erant reges ut ariſtocratici magiſtratus, quibus etiam à populo regnum dabatur.

2 *Quibus, quoniam pro pietate ſatisfecerit.*] Pietas enim erga Deum, parentes, et patriam eſt.

inter eos existit controversia. L. Aurunculeius, compluresque tribuni mil. et [1] primorum ordinum centuriones, nihil temerè agendum neque ex hibernis injussu Caesaris discedendum existimabant: quantasvis magnas copias etiam Germanorum sustineri posse, munitis hibernis, docebant: rem esse testimonio, quod primum hostium impetum, multis ultrò vulneribus illatis, fortissimè sustinuerint: re frumentariâ non premi: interea et ex proximis hibernis et à Caesare conventura subsidia: postremò quid esse levius aut turpius, quàm auctore hoste de summis rebus capere consilium?

XXIX. Contra ea Titurius serò facturos clamitabat, quum majores manus hostium, adjunctis Germanis, convenissent, aut cùm aliquid calamitatis in proximis hibernis esset acceptum; brevem consulendi esse occasionem: Caesarem arbitrari profectum in Italiam: nec aliter Carnutes interficiendi Tasgetii consilium fuisse capturos: neque Eburones, [2] si ille adesset, tantâ cum contemptione nostri ad castra venturos esse: non hostem auctorem, sed rem spectare: [a] subesse Rhenum; magno esse Germanis dolori [3] Ariovisti mortem, et superiores nostras victorias: ardere Galliam tot contumeliis acceptis sub populi Romani imperium redactam, superiore gloriâ rei militaris extinctâ: postremò quis hoc sibi persuaderet, [b] sine certâ re, Ambiorigem ad ejusmodi consilium descendisse? Suam sententiam in utramque partem esse tutam: si nihil sit durius, nullo cum periculo ad proximam legionem perventuros: si Gallia omnis cum Germanis consentiat, unam esse in celeritate positam salutem: Cottae quidem, atque eorum qui dissentirent, consilum quem haberet exitum? in quo si non praesens periculum, at certè longinquâ obsidione fames esset pertimescenda.

XXX. Hâc in utramque partem habitâ disputatione, quum à Cottâ, primisque ordinibus acriter resisteretur, [4] Vincite, inquit, si ita vultis, Sabinus; et id clariore voce, ut magna pars militum exaudiret: neque is sum, inquit, qui gravissimè ex vobis mortis periculo terrear; [5] hi sapient, et si gravius quid acciderit, abs te rationem reposcent: qui, si per te liceat, perendino die cum proximis hibernis conjuncti, communem cum reliquis casum sustineant; nec rejecti, et relegati longè ab caeteris, aut ferro aut fame intereant. Consurgitur ex concilio: compre-

INTERPRETATIO.

a *Rhenum propinquum esse.*

b *Nisi res vera fuisset.*

NOTÆ.

1 *Primorum ordinum centuriones.*] Ii sunt primipili, primi hastati, primi principes, primi hastatorum, principium centuriones.

2 *Si ille adesset*] Cæsar.

3 *Ariovisti mortem.*] Cæsar horum Commentariorum lib. i. Ariovistum navicula è prœlio profugisse docet. Forte dolore cladis suæ domi perierit, aut aliqua Romanorum arte.

2 *Vincite.*] Id est, vestra sententia meæ præferatur. Modus est loquendi familiaris iratis, cum concedunt quod dari nollent. Sic Claudius Marcellus Consul apud Appianum lib. xi. de bellis civilibus: *Vincite*, inquit, *qui Cæsarem dominum appetitis.*

5 *Hi sapient, et si gravius quid acciderit.*] Alii legunt: Hi sapienter, si quid erat gravius, &c.

hendunt utrumque et orant, ne suâ dissensione et pertinaciâ rem in summum periculum deducant: facilem esse rem, seu maneant, seu proficiscantur, si modò unum omnes sentiant, ac probent; contra, in dissensione nullam se salutem perspicere. Res disputatione ad mediam noctem perducitur.

XXXI. Tandem [1] dat Cotta permotus manus; superat sententia Sabini: pronuntiatur, primâ luce ituros; consumitur vigiliis reliqua pars noctis, quum sua quisque miles circumspiceret, quid secum portare posset, quid ex instrumento hibernorum relinquere cogeretur. Omnia excogitantur, quare nec sine periculo maneatur, et languore militum et vigiliis periculum augeatur. Primâ luce sic ex castris proficiscuntur, ut quibus esset persuasum, non ab hoste, sed ab homine amicissimo Ambiorige consilium datum, longissimo agmine, magnisque impedimentis.

XXXII. At hostes, postea quàm ex nocturno fremitu vigiliisque de profectione eorum senserunt, collocatis insidiis bipartitò in silvis, opportuno atque occulto loco, à millibus passuum circiter II Romanorum adventum exspectabant: et quum se major pars agminis in magnam convallem demisisset, ex utrâque parte ejus vallis subitò sese ostenderunt, novissimosque premere, et primos prohibere adscensu, atque iniquissimo nostris loco proelium committere coeperunt.

XXXIII. Tum demum Titurius, utì qui nihil antè providisset, trepidare, concursare, cohortesque disponere; haec tamen ipsa timidè, atque ut eum omnia deficere viderentur: quod plerumque iis accidere consuevit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur. At Cotta, qui cogitâsset haec posse in itinere accidere, atque ob eam caussam profectionis auctor non fuisset, nullâ in re communi saluti deerat: et in appellandis cohortandisque militibus, imperatoris; et in pugnâ, militis officia praestabat. Quumque propter longitudinem agminis minùs facilè per se omnia obire, et quid quoque loco faciendum esset, providere possent: jusserunt pronuntiari, ut impedimenta relinquerent, atque [2] in orbem consisterent: quod consilium etsi in ejusmodi casu reprehendendum non est, tamen incommodè accidit: nam et nostris militibus spem minuit, et hostes ad pugnandum alacriores effecit: quòd non sine summo timore et desperatione id factum videbantur. Praeterea accidit, quod fieri necesse erat, ut vulgò milites ab signis discederent, quaeque quisque eorum carissima haberet, ab impedimentis petere atque arripere properaret, et clamore ac fletu omnia complerentur.

XXXIV. At barbaris consilium non defuit. Nam duces eorum totâ acie pronuntiari jusserunt, ne quis ab loco discederet: illorum esse praedam, atque illis reservari, quaecunque Romani reliquissent: proin-

NOTÆ.

1 *Dat Cotta permotus manus.*] Translata oratio ab his, qui victi se dedunt.

2 *In orbem consisterent.*] In orbem consisti solitum ab iis, qui non hostem adoriendi caussa, sed sui tantum consilio defendendi pugnant. Virgil.

—— *cuneis se quisque coactis*
Agglomerant.——

de omnia victoriâ posita existimarent. Erant et virtute et numero pugnando pares nostri: tametsi [1] à duce et à fortuna deserebantur: tamen omnem spem salutis in virtute ponebant: et quoties quaeque cohors procurrerat, ab ea parte magnus hostium numerus cadebat. Quâ re animadversâ, Ambiorix pronuntiari jubet, ut procul tela conjiciant, neu propiùs accedant; et quam in partem Romani impetum fecerint, cedant: levitate armorum, et quotidiana exercitatione nihil iis noceri posse: rursus se ad signa recipientes insequantur.

XXXV. Quo praecepto ab iis diligentissimè observato, quum quaepiam cohors ex orbe excesserat, atque impetum fecerat, hostes velocissime refugiebant: interim eâ parte nudari necesse erat, et ab latere aperto tela recipi. Rursus quum in eum locum, unde erant egressi, reverti coeperant; et ab iis qui cesserant, et ab iis qui proximi steterant, circumveniebantur; sin autem locum tenere vellent, neque virtuti locus relinquebatur, neque à tantâ multitudine conjecta tela conferti vitare poterant: tamen tam multis incommodis conflictati, multis vulneribus acceptis, resistebant: et magnâ parte diei consumptâ, quum à primâ luce ad horam VIII pugnaretur, nihil quod ipsis esset indignum committebant. Tum T. Balventio, qui superiore anno [2] primum pilum duxerat, viro forti et magnae auctoritatis, utrumque femur tragulâ transjicitur. Q. Lucanius ejusdem ordinis fortissimè pugnans, dum circumvento filio subvenit, interficitur. L. Cotta legatus, omnes cohortes ordinesque adhortans, in adversum os fundâ vulneratur.

XXXVI. His rebus permotus Q. Titurius, quum procul Ambiorigem suos cohortantem conspexisset, interpretem suum Cn. Pompeium ad eum mittit, rogatum, ut sibi militibusque parcat. Ille appellatus respondit: si velit secum colloqui, licere: sperare à multitudine impetrari posse, quod ad militum salutem pertineat: ipsi verò nihil nocitum iri: inque eam rem se suam fidem interponere. Ille cum Cottâ saucio communicat, si videatur, pugnâ ut excedant, et cum Ambiorige unâ colloquantur: sperare se ab eo de suâ ac militum salute impetrari posse. Cotta se ad armatum hostem iturum negat, atque in eo perseverat. Sabinus, quos in praesentiâ [3] tribunos mil. circum se habebat, et primorum ordinum centuriones, se sequi jubet: et cum propiùs Ambiorigem accessisset, jussus arma abjicere, imperatum facit, suisque, ut idem faciant, imperat. Interim dum de conditionibus inter se agunt, longiorque consultò ab Ambiorige instituitur sermo, paullatim circumventus [4] interficitur. Tum verò suo more victoriam conclamant, atque [5] ululatum tollunt, impetuque in nostros

NOTÆ.

1 *A duce et à fortuna deserebantur:*] Sunt enim quatuor quæ victoriam pariunt; numerus, fortitudo militum, ductus Imperatoris, fortuna.

2 *Primum pilum duxerat,*] Primus centurio fuerat.

3 *Tribunos mil.*] Tribunus cohorti præerat; quotque erant cohortes, tot erant tribuni.

4 *Interficitur.*] Ab Ambiorige tali voce utente: *Quomodo tales cum sitis, nobis talibus imperare postulatis?* Dio.

5 *Ululatum tollunt,*] Cum multis in locis T.

facto, ordines perturbant. Ibi L. Cotta pugnans interficitur, cum maximâ parte militum: reliqui se in castra recipiunt, unde erant egressi: ex quibus L. Petrosidius [1] aquilifer, quum magnâ multitudine hostium premeretur, aquilam intra vallum projecit, ipse pro castris fortissimè pugnans occiditur. Alii aegrè ad noctem oppugnationem sustinent: noctu ad unum omnes, desperatâ salute, se ipsi interficiunt. Pauci ex proelio elapsi, incertis itineribus per silvas ad T. Labienum legatum in hiberna perveniunt, atque eum de rebus gestis certiorem faciunt.

XXXVII. Hâc victoria sublatus Ambiorix, statim cum equitatu in Atuaticos, qui erant ejus regno finitimi, proficiscitur; neque diem neque noctem intermittit; peditatumque se subsequi jubet. Re demonstratâ, Atuaticisque concitatis, postero die in Nervios pervenit, hortaturque, ne suî in perpetuum liberandi, atque ulciscendi Romanos pro iis quas acceperint injuriis, occasionem dimittant: interfectos esse legatos duos, magnamque partem exercitûs interîsse demonstrat: nihil esse negotii, subitò oppressam legionem, quae cum Cicerone hiemet, interfici: se ad eam rem profitetur abjutorem.

XXXVIII. Facilè hâc oratione Nerviis persuadet. Itaque confestim dimissis nuntiis ad [2] Centrones, Grudios, Levacos, Pleumosios, Gordunos, qui omnes sub eorum imperio sunt, quàm maximas manus possunt, cogunt: et de improviso ad Ciceronis hiberna advolant, nondum ad eum famâ de Titurii morte perlatâ. Huic quoque accidit, quod fuit necesse, ut nonnulli milites, qui lignationis munitionisque caussâ in silvas discessissent, repentino equitum adventu interciperentur. His circumventis, magnâ manu Eburones, Atuatici, Nervii, atque horum omnium socii et clientes, legionem oppugnare incipiunt. Nostri celeriter ad arma concurrunt, vallum conscendunt. [a] Aegrè is dies sustentatur, quòd omnem spem hostes in celeritate ponebant, atque hanc adepti victoriam, in perpetuum se fore victores confidebant.

XXXIX. Mittuntur ad Caesarem confestim à Cicerone litterae, magnis propositis praemiis, si pertulissent. Obsessis omnibus viis, missi intercipiuntur. Noctu ex eà materiâ, quam munitionis caussâ comportaverant, turres cxx excitantur incredibili celeritate. Quae deesse operi videbantur, perficiuntur. Hostes postero die, multo majoribus copiis coactis, castra oppugnant, fossam complent. A nostris eâdem ratione, quâ pridie resistitur: hoc idem deinceps reliquis fit diebus. Nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittitur: non aegris,

INTERPRETATIO.

a *Ægre sustentatum est eo die.*

NOTÆ.

Livius tumultum præliantium Gallorum describit, tum præcipue, lib. v. *Galli truci cantu, clamoribusque variis, horrendo cuncta compleverant sono.*

1 *Aquilifer*] Qui aureum aquilæ simulacrum, hastæ præpilatæ suffixum præferebat aquilifer dicebatur, eratque in unaquaque legione unus.

2 *Centrones, Grudios, &c*] Hi omnes populi tutius ignorantur, quam ex aliqua nominis similitudine pueriliter judicantur. Alii sunt certe ab iis qui sunt Alpibus finitimi, et dicuntur, *Tarentaise.*

non vulneratis facultas quietis datur: quaecunque ad proximi diei oppugnationem opus sunt, noctu comparantur. Multae praeustae sudes, magnus muralium pilorum numerus instituitur: turres contabulantur: [1] pinnae loricaeque ex cratibus attexuntur. Ipse Cicero, quum tenuissima valetudine esset, ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat, ut ultrò, militum concursu ac vocibus, sibi parcere cogeretur.

XL. Tunc duces, principesque Nerviorum, qui aliquem sermonis aditum, caussamque amicitiae cum Cicerone habebant, colloqui sese velle dicunt. Factâ potestate, eadem, quae Ambiorix cum Titurio egerat, commemorant: omnem esse in armis Galliam: Germanos Rhenum transisse: Caesaris reliquorumque hiberna oppugnari. Addunt etiam de Sabini morte. Ambiorigem ostentant, fidei faciundae caussâ. Errare eos dicunt, si quidquam ab iis praesidii sperent, qui suis rebus diffidant: sese tamen hoc esse in Ciceronem populumque R. animo, ut nihil nisi hiberna recusent, atque hanc inveterascere consuetudinem nolint: licere illis incolumibus per se ex hibernis discedere, et in quascunque partes velint, sine metu proficisci. [2] Cicero ad haec unum modò respondit: Non esse consuetudinem pop. R. ullam accipere ab hoste armato conditionem: si ab armis discedere velint, se adjutore utantur, legatosque ad Caesarem mittant: sperare se, pro ejus justitiâ, quae petiêrint, impetraturos.

XLI. Ab hâc spe repulsi Nervii, vallo pedum xi, et fossâ pedum xv hiberna cingunt. Haec et superiorum annorum consuetudine à nostris cognoverant, et quosdam de exercitu nacti captivos, ab his docebantur. Sed nulla his ferramentorum copia, quae esset ad hunc usum idonea; gladiis cespitem circumcidere, manibus sagulisque terram exhaurire cogebantur. Quâ quidem ex re hominum multitudo cognosci potuit, Nam minùs horis tribus, millium passuum xv in circuitu munitionem perfecerunt: reliquisque diebus turres ad altitudinem valli, falces, testudinesque, quas iidem captivi docuerant, parare ac facere cœperunt.

XLII. Septimo oppugnationis die, maximo coorto vento, ferventes [3] fusili ex argillâ glandes fundis, et fervefacta jacula in casas, quae [4] more Gallico stramentis erant tectae, jacere cœperunt. Hae celeriter ignem comprehenderunt, et venti magnitudine in omnem castrorum locum distulerunt. Hostes maximo clamore insecuti, quasi partâ jam atque exploratâ victoriâ, turres, testudinesque agere, et scalis vallum

NOTÆ.

1 *Pinnæ, loricæque*] Fiebant ex cratibus, vulgò *parapets*. Voce Italica, *parapetto*, à defendendo pectora dictæ, ex quacumque materia, sive è terra, sive tabulis, sive cratibus.

2 *Cicero ad hæc unum modo respondit*, &c.] Non difficile fuit Ciceroni docto per Verticonem perfugam, qui infra dicitur à prima obsidione ad Ciceronem profugisse.

3 *Fusili ex argilla.*] Qualis est vasum testaceorum, quæ fervefacta conceptum ignem diutius fervant, imo testas ipsas plenas materiæ, ut picis, sevi, &c. Fusile enim nihil aliud est nisi quod fusum est, aut fundi potest, quale est sal, quod aqua dissolvitur, et aurum, de quo Ovid.

Fusile per rictus aurum fluitare videres.

Lenta autem argilla diffunditur.

4 *More Gallico.*] Diodorus ait habere Gallos domos amplas è pluteis et cratibus, rotunda figura, testudinem instar, multiplici calamo tectas.

ascendere cœperunt. At tanta militum virtus, atque praesentia animi fuit, ut quum undique flammâ torrentur, maximâque telorum multitudine premerentur, suaque omnia impedimenta, atque omnes fortunas conflagrare intelligerent: non modo demigrandi caussâ de vallo decederet nemo, sed penè ne respiceret quidem quisquam, ac tum omnes acerrimè fortissimèque pugnarent. Hic dies nostris longè gravissimus fuit: sed tamen hunc habuit eventum, ut eo die maximus numerus hostium vulneraretur, atque interficeretur, ut se sub ipso vallo constipaverant, recessumque primis ultimi non dabant. Paullulùm quidem intermissâ flammâ, et quodam loco turri adactâ, et contingente vallum, tertiae cohortis centuriones ex eo, quo stabant, loco recesserunt, suosque omnes removerunt; nutu vocibusque hostes, si introire vellent, vocare cœperunt: quorum progredi ausus est nemo. Tum ex omni parte lapidibus conjectis deturbati, turrisque succensa est.

XLIII. Erant in eâ legione fortissimi viri centuriones, qui jam [1] primis ordinibus appropinquarent, [2] T. Pulfio et L. Varenus. Hi perpetuas controversias inter se habebant, uter alteri anteferretur, omnibusque annis, de loco, summis simultatibus contendebant. Ex iis Pulfio, quum acerrimè ad munitiones pugnaretur: Quid dubitas, inquit, Varene? aut quem locum probandae virtutis tuae exspectas? hic dies, hic dies de nostris controversiis judicabit. Haec quum dixisset, procedit extra munitiones, et quae pars hostium confertissima visa est, in eam irrumpit. Nec Varenus quidem tum vallo sese continet, sed omnium veritus existimationem subsequitur, mediocri spatio relicto, Pulfio pilum in hostes mittit, atque unum ex multitudine procurrentem transjicit: quo percusso et exanimato, hunc scutis protegunt hostes, et in illum universi tela conjiciunt, neque dant regrediendi facultatem: transfigitur scutum Pulfioni, et [3] verutum in balteo defigitur. Avertit hic casus vaginam, et gladium educere conantis dextram moratur manum, impeditumque hostes circumsistunt. Succurrit inimicus illi Varenus, et laboranti subvenit. Ad hunc se confestim à Pulfione omnis multitudo convertit. Illum veruto transfixum arbitrantur. Illic verò occursat ociùs gladio, cominùsque rem gerit Varenus; atque uno interfecto, reliquos paullùm propellit. Dum cupidiùs instat, in locum in-

NOTAE.

1 *Primis ordinibus*] Nec enim faltu, fed ordine promovebantur. Ii ergo in fecundo principe aut pilo erant, unde ad primum pilum erant promovendi, et fuperioribus temporibus cum in parem ordinem, pari ordine et virtute femper afcendiffent, erant æquales, nec fatis dijudicari poterat uter utro prior.

2 *T. Pulfio.*] Is eft, cujus fecuti partes Pompeianas, operâ, exercitus cui C. Antonius præerat, proditus eft; atque adeo vel Commentarios fuos relegere Cæfari non vacavit, ut nomen et forte factum inimici deleret, aut delere non potuit, cum hi libri ante bellum civile fuerint editi, aut fide egregia fuit qui fortitudinem etiam inimicorum memoriæ commendatam effe voluerit. Quod poftremum tamen mihi videtur minus credibile.

3 *Verutum in balteo defigitur.*] Eft telum miffile minus, ferro unciarum quinque, haftili trium pedum femis, autore Modefto, libello de vocabulis militaribus. *Balteus*, ut placet Varroni, *dicitur non folum quo cingitur, fed etiam quo arma dependent.*

feriorem dejectus concidit. Huic rursus circumvento fert subsidium Pulfio: atque ambo incolumes, compluribus interfectis, summa cum laude sese intra munitiones recipiant. Sic fortuna in contentione, et certamen utrumque versavit, ut alter alteri inimicus auxilio salutique esset, neque dijudicari posset, uter utri virtute anteferendus videretur.

XLIV. Quantò erat in dies gravior atque asperior oppugnatio, et maximè quòd, magnâ parte militum confecta vulneribus, res ad paucitatem defensorum pervenerat: tanto crebriores litterae nuntiique ad Caesarem mittebantur; quorum pars deprehensa, in conspectu nostrorum militum cum cruciatu necabatur. Erat unus intus Nervius nomine [1] Vertico, loco natus honesto, qui à primâ obsidione ad Ciceronem profugerat, suamque ei fidem praestiterat. Hic servo spe libertatis, magnisque persuadet praemiis, ut litteras ad Caesarem deferat. Has ille in jaculo illigatas affert, et Gallus inter Gallos sine ullâ suspicione versatus, ad Caesarem pervenit: ab eo de periculo Ciceronis, legionisque cognoscit.

XLV. Caesar, acceptis litteris circiter horâ XI diei, stâtim [2] nuntium in Bellovacos ad M. Crassum quaestorem mittit, cujus hiberna aberant ab eo millia passuum XXV. [3] Jubet mediâ nocte legionem proficisci, celeriterque ad se venire. Exiit cum nuntio Crassus: alterum ad C. Fabium legatum mittit, ut in Atrebatium fines legionem adducat, quà sibi iter faciendum sciebat. Scribit Labieno, si Reip. commodo facere posset, cum legione ad fines Nerviorum veniat. Reliquam partem exercitûs, quòd paullò aberat longiùs, non putat exspectandam: equites circiter CD ex proximis hibernis cogit. Horâ circiter III ab antecursoribus de Crassi adventu certior est factus: eo die millia passuum XX progreditur. Crassum [4] Samarobrivae praeficit: legionemque ei attribuit, quòd ibi impedimenta exercitus, obsides civitatum, litteras publicas, frumentumque omne, quod eò tolerandae hiemis caussâ devexerat, relinquebat. Fabius, ut imperatum erat, non ita multùm moratus, in itinere cum legione occurrit. Labienus interitu Sabini, et caede cohortium cognitâ, quum omnes ad eum Trevirorum copiae venissent, veritus, si ex hibernis fugae similem profectionem fecisset, hostium impetum sustinere non posset, praesertim quos recenti victoriâ efferri sciret; litteras Caesari dimittit, quanto cum periculo legionem ex hibernis educturus esset: [5] rem gestam in Eburonibus perscribit: docet omnes pedidatûs equitatûsque copias Trevirorum III millia passuum longè ab suis castris consedisse.

NOTÆ.

1 *Vertico.*] Nihil itaque mirum, ſi Cicero tam ferociter Gallis reſponderat eaſdem ad ipſum capiendum artes adhibentibus, quibus apud Titurium Sabinum uſi fuerant. Idem enim perfuga docere eum potuerat de omnibus, quæ apud Sabini Cottæque caſtra geſta fuerant.

2 *Nuntium in Bellovacos*] Hinc intelligitur in Bellovacis fuiſſe poſitum Belgium propriè dictum. Siquidem Cæſar ſcripſit ſe legionem M. Craſſi in Belgio collocaſſe. Quis fuerit ille M. Craſſus ſupra dictum eſt.

3 *Jubet media nocte legionem proficiſci.*] Quamquam enim Craſſus tres habebat legiones, duas tamen in Bellovacis relinquendas putavit, ne hoc veluti fræno ſoluti rebellarent.

4 *Samarobrivæ*] De Samarobriva ſupra dictum.

5 *Rem geſtam in Eburonibus perſcribit.*] Verebatur enim ne Cæſar ignoraret. Ne

XLVI. Caesar, consilio ejus probato, [1] etsi, opinione III legionum dejectus, ad II redîerat, tamen unum communis salutis auxilium in celeritate ponebat. Venit magnis itineribus in Nerviorum fines. Ibi ex captivis cognoscit quae apud Ciceronem gerantur, quantoque in periculo res sit. Tum cuidam ex equitibus Gallis magnis praemiis persuadet, utì Ciceronem epistolam deferat. [2] Hanc Graecis conscriptam litteris mittit, ne, interceptâ epistolâ, nostra ab hostibus consilia cognoscantur. Si adire non possit, monet ut tragulam cum epistolâ ad [3] amentum deligatâ, intra munitiones castrorum objiciat. In litteris scribit, se cum legionibus profectum celeriter affore: hortatur, ut pristinam virtutem retineat. Gallus periculum veritus, ut erat praeceptum, tragulam mittit. [4] Haec casu ad turrim adhaesit, neque ab nostris biduo animadversa, tertio die à quodam milite conspicitur, dempta ad Ciceronem defertur. Ille perlectam [5] in conventu militum recitat, maximâque omnes laetitiâ afficit. [6] Tum fumi incendiorum procul videbantur; quae res omnem dubitationem adventûs legionum expulit.

XLVII. Galli, re cognitâ per exploratores, obsidionem relinquunt, ad Caesarem omnibus copiis contendunt. Eae erant armatorum circiter millia lx. Cicero, datâ facultate, Gallum ab eodem Verticone, quem suprà demonstravimus, repetit, qui litteras ad Caesarem deferat: hunc admonet, iter cautè diligenterque faciat: perscribit in litteris, hostes ab se discessisse, omnemque ad eum multitudinem convertisse. Quibus litteris circiter mediâ nocte Caesari allatis, suos facit certiores, eosque ad dimicandum animo confirmat. Postero die, luce primâ, movet castra, et circiter millia passuum iv progressus, trans vallem magnam et rivum, hostium multitudinem conspicatur. Erat magni periculi res,

NOTÆ.

enim Labieno quicquam aliud Cæſar ſcripſerat, niſi ut in Nervios veniret, calamitatem acceptam diſſimularat, vel properans tacuerat. Solebat enim perbreves litteras ſcribere.

1 *Etſi, opinione* III *legionum*, &c.] Plutarchus ſcribit contraxiſſe omnino vii millia militum.

2 *Hanc Græcis conſcriptam litteris*] Hoc eſt verbis Græcis. Litteras enim Græcas habebant et Galli, ut eſt ex lib. i. cognitum, quo fere modo omnes Europæi jam Latinis litteris ſermonem ſuum conſcribunt. Hanc epiſtolam perbrevem refert Polyænus αὐτολεξεί, ſeu ipſis verbis lib. viii. Καίσαρ Κικέρωνι. Προσδέχου βοήθειαν. *Cæſar Ciceroni. Expecta auxilium.*

3 *Amentum*] Eſt lorum, quo revincitur jaculum, ut fortius mittatur et feriat. Hinc illud Silii Italici:

——— *haſta juvatur amento.*

4 *Hæc caſu.*] Conſilio, non caſu adjecta fuit, ſi Dioni fides. Sed Græci facile in errorem lapſi ſunt, ignorantia Latini ſermonis. Polyænus verò lib. viii. noctu id factum dicit. Quod et perquam veriſimile.

5 *In conventu*] Couventus, concilium, et concio diverſa ſunt. Ad concionem omnes, ad conventum proximus quiſque, ad concilium legati, tribuni, primorumque ordinum principes vocabantur. Hoc porrò loco non eſt epiſtola in concione lecta, quia non omnes Græcè ſciebant, ſed in conventu delectorum aliquot, qui Græcè ſciebant, et cæteris rem erant narraturi.

6 *Tum fumi incendiorum*] Nota Cæſaris conſuetudinem hoſtilia ædificia incendendi, quæ etiam cognoſcitur lib. viii. *Namque etiam illud vulgare incurſionis ſignum hoſtium, quod incendiis ædificiorum intelligi conſuevit. Cæſaris id erat interdicto ſublatum.*

cum tantis copiis iniquo loco dimicare. Tamen quoniam liberatum obsidione Ciceronem sciebat, eoque omnino remittendum de celeritate existimabat, consedit, et, quàm aequissimo loco potest, castra communit: atque haec, etsi erant exigua per se, vix hominum millium viii, praesertim nullis cum impedimentis: tamen angustiis viarum, quàm maximè potest, contrahit, eo consilio, [1] ut in summam contemptionem hostibus veniat. Interim speculatoribus in omnes partes dimissis, explorat, quo commodissime itinere vallem transire posset.

XLVIII. Eo die parvulis equestribus prœliis ad aquam factis, utrique sese suo loco continent. Galli, quòd ampliores copias, quae nondum convenerant, exspectabant: Caesar, si fortè timoris simulatione hostes in suum locum elicere posset citra vallem, ut pro castris prœlio contenderet: si id efficere non posset, ut, exploratis itineribus, minore cum periculo vallem rivumque transiret. Primâ luce hostium equitatus ad castra accedit, prœliumque cum nostris equitibus committit. Caesar consultò equites cedere, seque in castra recipere jubet: simul ex omnibus partibus castra altiore vallo muniri, portasque obstrui, atque in iis administrandis rebus quàm maximè concursari, et cum simulatione agi timoris jubet.

XLIX. Quibus omnibus rebus hostes invitati [2] copias transducunt, aciemque iniquo loco constituunt: nostris verò etiam de vallo deductis, propiùs accedunt, et tela intra munitionem ex omnibus partibus conjiciunt: praeconibusque circummissis, pronuntiari jubent, seu quis Gallus, seu Romanus velit ante horam tertiam ad se transire, sine periculo licere; post id tempus non fore potestatem: ac si nostros contempserunt, ut, [3] obstructis in speciem portis singulis ordinibus cespitum, [4] quòd ea non posse introrumpere videbantur, alii vallum manu scandere, alii fossas complere inciperent. Tunc Caesar, omnibus portis eruptione factâ, equitatuque emisso, celeriter hostes dat in fugam, sic ut omnino pugnandi caussâ resisteret nemo, magnumque ex his numerum occidit, atque omnes armis exuit.

L. Longiùs prosequi veritus, quòd silvae paludesque intercedebant; [a] neque etiam parvulo detrimento illorum locum relinqui videbat,

INTERPRETATIO.

a *Et* quia *videbat se inde discedere non sine magno damno ipsis* illato.

NOTÆ.

1 *Ut in summam contemptionem veniat.*] Stratagematis hujus meminit Frontinus, lib. iii. cap. 7.

2 *Copias transducunt*] Nempe trans fluvium et vallem.

3 *Obstructis in specimen portis singulis ordinibus cespitum,*] Neque enim vere erant obstructæ; non pluribus, ut opportuit, ordinibus cespitum ut vere obstruerentur, sed singulis ut primo impetu erumpentium è castris Romanorum dejicerentur, quod et factum est. Legitur enim paulo inferius, *omnibus portis eruptione facta.* Videbantur autem obstructæ portæ metu nimio Romanorum rebus suis diffidentium, quasi eas defendere non possent.

4 *Quod ea non posse introrumpere videbantur,*] Adverbialiter sumendum, nisi forte mendum est. Codices enim aliqui habent *eas*, quod tutius videtur. Nec enim ullibi apud Autores *ea* legitur. Hic Eutropius narrat Cæsarem, cum vidisset unum de suis militibus segnius præliantem, scutum ejus rapuisse et ruisse in adversos, quo facto erubuisse exercitum, versosque in fugam Gallos confecisse.

omnibus suis incolumibus copiis, eodem die ad Ciceronem pervenit. Institutas turres, testudines, munitionesque hostium admiratur. Legione productâ, cognoscit non decimum quemque esse relictum militem sine vulnere. Ex his omnibus judicat rebus, quanto cum periculo, et quantâ virtute sint res administratae. Ciceronem pro ejus merito, legionemque collaudat: centuriones sigillatim, tribunosque militum appellat, quorum egregiam fuisse virtutem, testimonio Ciceronis, cognoverat. [1] De casu Sabini et Cottae certiùs ex captivis cognoscit. Postero die, concione habitâ, rem gestam proponit: milites consolatur, et confirmat: quod detrimentum culpâ et temeritate legati sit acceptum, hoc aequiore animo ferendum docet: quòd beneficio Deorum immortalium et virtute eorum expiato incommodo, neque hostibus diutina laetatio, neque ipsis longior dolor relinquatur.

LI. Interim ad Labienum per Rhemos, incredibili celeritate, de victoriâ Caesaris fama perfertur; ut quum ab hibernis Ciceronis millia passuum L abesset, eoque post horam IX diei Caesar pervenisset, ante mediam noctem ad portas castrorum clamor oriretur; quo clamore significatio victoriae, gratulatioque ab Remis Labieno fieret. Hâc famâ ad Treviros perlatâ, Indutiomarus, qui postero die castra Labieni oppugnare decreverat, noctu profugit, copiasque omnes in Treviros reducit. Caesar Fabium cum legione in sua remittit hiberna: ipse cum III legionibus circum Samarobrivam trinis hibernis hiemare constituit: et, quòd tanti motus Galliae exstiterant, totam hiemem ipse ad exercitum manere decrevit. Nam illo incommodo de Sabini morte perlato, omnes ferè Galliae civitates de bello consultabant, nuntios legationesque in omnes partes dimittebant; et quid reliqui consilii caperent, atque unde initium belli fieret, explorabant; nocturnaque in locis desertis consilia habebant; neque ullum ferè totius hiemis tempus intercessit sine sollicitudine Caesaris, quin aliquem de conciliis et motu Gallorum nuntium acciperet. In his ab L. Roscio legato, quem legioni XIII praefecerat, certior est factus, magnas Gallorum copias earum civitatum, quae [2] Armoricae appellantur, oppugnandi sui caussâ convenisse; neque longiùs millia passuum VIII ab hibernis suis abfuisse, sed, nuntio allato de victoriâ Caesaris, discessisse, adeo ut fugae similis discessus videretur.

LII. At Caesar principibus cujusque civitatis ad se vocatis, alias territando, quum se scire, quae fierent, denuntiaret, alias cohortando, magnam partem Galliae in officio tenuit. Tamen Senones, quae est civitas in primis firma, et magnae inter Gallos auctoritatis, Cavari-

NOTÆ.

1 *De casu Sabini et Cottæ*] De quo sic Suetonius: *Diligebat quoque (milites) ut audita clade Tituriana, barbam capillumque summiserit, nec ante dempserit quam vindicasset. Quibus rebus et devotissimos sibi et fortissimos reddidit.*

2 *Armoricæ*] Quæ ad mare: *Armor* enim veteribus Gallis nihil aliud quam *ad mare.* Quo nomine non tantum ea peninsula appellatur, quæ nunc Britannia dicitur, sed et, Ausonii testimonio, Bajocasses, *Bayeux.* Imo Plinii testimonio lib. iv. cap. 17. tota Aquitania Armorica olim dicta fuit, quod scilicet ad mare esset posita.

num, quem Caesar apud eos regem constituerat (cujus frater Moritasgus, adventu in Galliam Caesaris, cujusque majores regnum obtinuerant) interficere publico consilio conati: quum ille praesensisset, ac profugisset, usque ad fines insecuti, regno domoque expulerunt; et missis ad Caesarem satisfaciundi caussa legatis, quum is omnem ad se senatum venire jussisset, dicto audientes non fuerunt: tantum apud homines barbaros valuit, esse repertos aliquos principes belli inferendi, tantamque omnibus voluntatum commutationem attulit, ut praeter Aeduos et Rhemos (quos praecipuo semper honore Caesar habuit, alteros pro vetere ac perpetuâ erga populum R. fide; alteros pro recentibus belli Gallici officiis;) nulla ferè fuerit civitas non suspecta nobis: idque adeò haud scio mirandumne sit, quum compluribus aliis de caussis, tum maximè, quòd, qui virtute belli omnibus gentibus praeferebantur, tantum se ejus opinionis deperdisse, et populi R. imperia perferrent, gravissimè dolebant.

LIII. [1] Treviri verò atque Indutiomarus totius hiemis nullum tempus intermiserunt, quin trans Rhenum legatos mitterent, civitates sollicitarent, pecunias pollicerentur: magnâ parte exercitûs nostri interfectâ, multo minorem superesse dicerent partem: neque tamen ullî civitati Germanorum persuaderi potuit, ut Rhenum transiret; quum se bis expertos dicerent, Ariovisti bello, et Tenchtherorum transitu, non esse fortunam ampliùs tentaturos. Hâc spe lapsus Indutiomarus, nihilo minùs copias cogere, exigere à finitimis, equos parare, exules damnatosque totâ Galliâ magnis praemiis ad se allicere cœpit: ac tantam sibi jam iis rebus in Galliâ auctoritatem comparaverat, ut undîque ad eum legationes concurrerent, gratiam atque amicitiam publicè privatimque peterent.

LIV. Ubi intellexit ultro ad se veniri, alterâ ex parte Senones Carnutesque, [2] conscientiâ facinoris instigari; alterâ Nervios Atuaticosque bellum Romanis parare, neque sibi voluntariorum copias defore, sî ex finibus suis progredi cœpisset; [3] armatum concilium indicit. Hoc,

NOTÆ.

1 *Treviri vero atque Indutiomarus.*] Dion ait consilia ejusmodi Trevirorum fuisse, quod sigillatim Cæsar ad se quos vellet Gallorum evocaret, supplicio afficeret

2 *Conscientia facinoris instigari*:] Senones conscientia ejecti Cavarini regis sui, Carnutes vero interfecti Tasgetii.

3 *Armatum concilium*, &c.] Quo nihil alienius à moribus Romanorum melius sentientium. Sæpe enim hoc modo, ut ait Ennius,

Pellitur è medio sapientia, vi geritur res.

Nec gravius quicquam de sui exilii loco habet conqueri Ovidius, quam quod

Dantur et in medio vulnera sæpe foro.

Et Charondas Thurius ad vim et cruorem usque seditiosas civium conciones aliter pacari non posse judicavit, quam lege cavendo, ut si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur. Interjecto deinde tempore, et longinquo rure gladio cinctus domum repetens, subito indicta concione, sicut erat, in eam processit, ab eoque qui proximus constiterat, solutæ à se suæ legis monitus, protinus ferro quod habebat districto incubuit, teste Val. Max. lib. vi. cap. 5. Concilium porro Gallorum illud erat extraordinarium, quo, more gruum, immaniter ultimus qui venerat necabatur. Idem habet de Germanis Tacitus. Quare intelligitur eundem morem amborum populorum fuisse. Nicolaus vero apud Stobæum, lib. xiii. Κελτοὶ σιδηροφοροῦντες τὰ κατὰ

more Gallorum, est initium belli, quò, lege communi omnes puberes armati convenire coguntur; et qui ex iis novissimus venit, in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necatur. In eo concilio Cingetorigem, alterius principem factionis, generum suum, quem suprà demonstravimus Caesaris secutum fidem ab eo non discessisse, hostem judicandum curat, bonaque ejus publicat. His rebus confectis, in concilio pronuntiat, accersitum se à Senonibus et Carnutibus, aliisque compluribus Galliae civitatibus: [1] huc iter facturum per fines Rhemorum, eorumque agros populaturum: ac priùs quàm id faciat, castra Labieni oppugnaturum: quaeque fieri velit, praecipit.

LV. Labienus quum et loci naturâ, et manu munitissimus castris sese contineret, de suo ac legionis periculo nihil timebat: sed, ne quam occasionem rei bene gerendae dimitteret, cogitabat. Itaque à Cingetorige atque ejus propinquis oratione Indutiomari cognitâ, quam in concilio habuerat, nuntios mittit ad finitimas civitates, equitesque undique convocat. Iis certam diem conveniendi dicit. Interim propè quotidie cum omni equitatu Indutiomarus sub castris ejus vagabatur, aliàs ut situm castrorum cognosceret, aliàs colloquendi aut territandi caussâ: equites plerumque omnes tela intra vallum conjiciebat, Labienus suos intra munitiones continebat, timorisque opinionem, quibuscunque poterat rebus, augebat.

LVI. Quum majore in dies contemptione Indutiomarus ad castra accederet; nocte unâ intromissis equitibus omnium finitimarum civitatum, quos accersendos curaverat, tantà diligentiâ omnes suos custodiis intra castra continuit, ut nullâ ratione ea res enuntiari, aut ad Treviros perferri posset. Interim, ex consuetudine quotidianâ, Indutiomarus ad castra accedit, atque ibi magnam partem diei consumit. Equites tela conjiciunt, et magnâ contumeliâ verborum nostros ad pugnam evocant. Nullo à castris dato responso, ubi visum est, sub vesperum dispersi ac dissipati discedunt. Subitò Labienus duabus portis omnem equitatum emittit: praecipit atque interdicit, perterritis hostibus atque in fugam conjectis, quod fore, sicut accidit, videbat, omnes unum peterent Indutiomarum, neu quis quemquam priùs vulneraret, quàm illum interfectum videret: quòd morâ reliquorum illum spatium nactum, effugere nolebat: magna proponit iis, qui occiderint, praemia: summittit cohortes equitibus subsidio. Comprobat hominis consilium fortuna: et quum unum omnes peterent, in ipso fluminis vado deprehensus Indutiomarus interficitur, caputque ejus refertur in castra. Redeuntes equites, quos possunt, consectantur atque occidunt. Hâc re cognitâ, omnes Eburonum et Nerviorum, quae convenerant, copiae, discedunt: paullòque habuit post id factum Caesar quietiorem Galliam.

NOTÆ.

πόλιν πάντα πράττουσι. *Celtæ ferro accincti omnes publicas res agunt.* Livius vero lib. xxxi. *Nova terribilisque facies visa est, quod armati, ita mos gentis erat, in concilium venerunt.* De Gallis.

1 *Huc iter facturum*] Pro *illuc*, vel *illo*, et *hic* pro *illic* passim non solùm apud Cæsarem, sed apud omnes Autores legitur. Virgil.

Hic illius arma,
Hic currus fuit, &c.

LIBER VI.

ARGUMENTUM.

Hic liber habet bellum quod ipse contra Senònes et Carnutes ; alterum quod Labienus legatus ejus adversus Treviros gessit: tum ut Rhenum et quibus de caussis transiit : et occasione sumpta, Gallorum Germanorumque mores describit : ut Sicambri Eburonum castra direptum venientes, castra Ciceronis oppugnarunt: denique ut Ambiorix perpetua se fuga eripuit.

I. MULTIS de caussis Caesar majorem Galliae motum exspectans, [1] per M. Silanum, C. Antistium Rheginum, T. Sextium legatos, delectum habere instituit. Simul [2] ab Cn. Pompeio Proconsule petit, quoniam ipse ad urbem cum imperio, Repubĺ. caussâ, maneret, quos [3] ex Cisalpinâ Galliâ [4] consulis sacramento rogavisset, ad signa convenire, et ad se proficisci juberet: magni interesse, etiam in reliquum tempus, ad opinionem Galliae existimans, tantas videri Italiae facultates, ut si quid esset in bello detrimenti acceptum, non modò id brevi tempore sarciri, sed etiam majoribus adaugeri copiis posset. Quod quum Pompeius et Reipubl. et amicitiae tribuisset:

NOTÆ.

1 *Per M. Silanum, C. Antiſtium, &c.*] Hi legati ſic operam ſuo Imperatori dabant, ut ſuis tamen conquiſitoribus non carerent, qui ad ſe adducebant juventutem ſacramentis militaribus implicandam.

2 *Ab Cn. Pompeio Proconſule*] Pompeius enim cum M. Craſſo anno ſuperiore conſul fuerat, eique cum provincia Hiſpaniæ obveniſſet conſularis, propter novos quoſdam illius provinciæ motus. lege latum eſt, ut illam per quinquennium obtineret, delectumque tam in urbe quam in tota Italia haberet ; quem revera habuit, dimiſſis cum per alias Italiæ partes, tum per Galliam ciſalpinam legatis, ubi rogati ſunt ſacramento milites. Nihilo ſecius cum mitiores eſſent allati ex Hiſpania nuntii, ad urbem ſequenti anno proconſul manſit, ſuſcepta rei frumentariæ cura, non in urbe, quia quicunque provinciam obtinebat, illi erat extra urbem degendum, neque licebat ipſi in urbem intrare nisi triumpharet aut imperium deponeret. Atque hæcquidem rei frumentariæ cura palam oſtendebatur. Sed aliam refert Plutarchus in ejus vita, quod ſcilicet uxorem Juliam vel amaret, vel amantem relinquere non ſuſtineret Rogaverat ergo ſacramento milites anno ſuperiore cum eſſet conſul, eo vero anno, quo milites ab eo petiit Cæſar, erat ad urbem proconſul, jam expleto conſulatu.

3 *Ex Ciſalpina Gallia*] Sic dicta quod ſit reſpectu Romæ cis Alpes poſita ; alio nomine citerior dicitur. Dividebatur in tranſpadanam et ciſpadanam Hodie *Lombardia.*

4 *Conſulis ſacramento*] Ejus formulam refert Livius lib xxii. Milites juſſu conſulum conventuros, neque injuſſu abituros: item fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut civis ſervandi cauſa. Aliam formulam refert Vegetius, quæ viguit tempore Chriſtianorum Imperatorum, nempe, *per Deum et per Chriſtum, et per Spiritum Sanctum, et per majeſtatem Imperatoris.*

celeriter confecto per suos delectu, tribus ante exactam hiemem et constitutis et adductis legionibus, [1] duplicatoque earum cohortium numero, quas cum Q. Titurio amiserat; et celeritate et copiis docuit, quid populi Rom. disciplina atque opes possent.

II. Interfecto Indutiomaro, ut docuimus, ad ejus propinquos à Treviris imperium defertur. Illi finitimos Germanos sollicitare, et pecuniam polliceri non desistunt. Quum ab proximis impetrare non possent, ulteriores tentant. Inventis nonnullis, civitates jurejurando inter se confirmant, [2] obsidibusque de pecunia cavent, Ambiorigem sibi societate et fœdere adjungunt. Quibus rebus cognitis, Caesar, quum undique bellum parari videret; Nervios, Atuaticos, ac Menapios, [3] adjunctis cisrhenanis omnibus Germanis, esse in armis, Senones ad imperatum non venire, et cum Carnutibus finitimisque civitatibus consilia communicare, à Treviris Germanos crebris legationibus sollicitari, maturiùs sibi de bello cogitandum putavit.

III. Itaque nondum hieme confectâ, proximis iv legionibus coactis, de improviso in fines Nerviorum contendit; et priùs quam illi aut convenire, aut profugere possent, magno pecoris atque hominum numero capto, atque eâ praedâ militibus concessâ, vastatisque agris, in deditionem venire, atque obsides sibi dare coëgit. Eo celeriter confecto negotio, rursus legiones in hiberna reduxit. Concilio Galliae primo vere, ut instituerat, indicto, quum reliqui praeter [4] Senones, Carnutes, Trevirosque venissent: initium belli ac defectionis hoc esse arbitratus, ut omnia postponere videretur, concilium [5] Lutetiam Parisiorum transfert. Confines erant hi Senonibus, civitatemque patrum memoriâ conjunxerant: sed ab hoc concilio abfuisse existimabantur. [6] Hâc re pro suggestu pronuntiatâ, eodem die cum legionibus in Senones proficiscitur, magnisque itineribus eò pervenit.

IV. Cognito ejus adventu, Acco, qui princeps ejus concilii fuerat, jubet in oppida multitudinem convenire. Conantibus, priùs quam id effici posset, adesse Romanos nuntiatur. Necessariò sententiâ desistunt, legatosque [7] deprecandi caussâ ad Caesarem mittunt. Adeunt per Æduos, [8] quorum antiquitùs erat in fide civitas. Libenter Caesar,

NOTÆ.

1 *Duplicatoque earum cohortium numero.*] Tres legiones intellige; ſiquidem ille unam legionem et quinque cohortes amiſerat.

2 *Obſidibuſque de pecunia cavent.*] Cautum enim intelligitur, ſive perſonis ſive rebus cautum ſit, ut in lib. de verborum ſignificatione legitur.

3 *Adjunctis ciſrhenanis omnibus Germanis.*] Hi ſunt, ut à Plinio recenſentur, Nemetes, Tribocchi, Ubii, Batavi.

4 *Senones*, &c.] De quibus ſupra.

5 *Lutetiam Pariſiorum.*] Lutetia urbs nobilis Galliæ metropolis, quam Sequana interluit.

6 *Hac re pro ſuggeſtu pronunciata.*] Locus eſt excelſior, unde oratio habebatur ad populum, ſic dictus, quod ſuggererentur ligna.

7 *Deprecandi cauſſa.*] Periculi ſcilicet. Eſt enim deprecari Latine precari ne quid mali accidat, ut jam monuimus.

8 *Quorum antiquitus erat in fide civitas.*] Quorum partes civitas Senonum ab antiquo ſequebatur. Patrocinia clientelaſque privatas imitabantur hæ publicæ clientelæ; et erant in fide, non in ditione.

petentibus Aeduis, dat veniam, excusationemque accipit, quòd aestivum tempus instantis belli, non quaestionis, esse arbitrabatur. Obsidibus imperatis centum, hos Aeduis custodiendos tradit. Eòdem Carnutes legatos obsidesque mittunt, usi deprecatoribus Rhemis, quorum erant in clientelâ: eadem ferunt responsa. Peragit concilium Caesar, equitesque imperat civitatibus.

V. Hâc parte Galliae pacatâ, totus et mente et animo in bellum Trevirorum et Ambiorigis insistit. Cavarinum cum equitatu Senonum secum proficisci jubet, ne quis aut ex hujus iracundiâ, aut ex eo, quod meruerat, odio civitatis motus existat. His rebus constitutis, quòd pro explorato habebat Ambiorigem proelio non esse certaturum, reliqua ejus consilia animo circumspiciebat. Erant Menapii propinqui Eburonum finibus, perpetuis paludibus silvisque muniti, qui uni ex Galliâ de pace ad Caesarem legatos nunquam miserant: cum iis esse hospitium Ambiorigi sciebat: item per Treviros venisse Germanis in amicitiam cognoverat. Haec priùs illi detrahenda auxilia existimabat, quàm ipsum bello lacessendum: ne, desperatâ salute, aut se in Menapios abderet, aut cum transrhenanis congredi cogeretur. Hoc inito consilio, totius exercitûs impedimenta ad Labienum in Treviros mittit, duasque legiones ad eum proficisci jubet. Ipse, cum [1] legionibus expeditis v, in Menapios proficiscitur. Illi, nullâ coactâ manu, loci praesidio freti, in silvas paludesque confugiunt, suaque eòdem conferunt.

VI. Caesar, partitis copiis cum C. Fabio legato, et M. Crasso quaestore, celeriterque effectis pontibus, [a] adiit tripartito: [2] aedificia vicosque incendit, magno pecoris atque hominum numero potitur. Quibus rebus coacti Menapii, legatos ad eum, pacis petendae caussâ, mittunt. Ille, obsidibus acceptis, hostium se habiturum numero confirmat, si aut Ambiorigem, aut ejus legatos finibus suis recepissent. His confirmatis rebus, Comium Atrebatem cum equitatu, custodis loco, in Menapiis relinquit: ipse in Treviros proficiscitur. Dum haec à Caesare geruntur, Treviri, magnis coactis peditatûs equitatûsque copiis, Labienum cum unâ legione, quae in eorum finibus hiemaverat, adoriri parabant. Jamque ab eo non longiùs bidui viâ aberant, quum duas venisse legiones

INTERPRETATIO.

a *Copiis in tres partes divisis, per tria loca irrupit.*

NOTÆ.

1 *Legionibus expeditis*] Expeditæ dicuntur legiones. quarum milites neque vallum neque cibaria secum ferebant.

2 *Ædificia vicosque incendit.*] Hoc Cæsari solemne, præsertim ubi nihil aliud quod faciat, nempe ut inopia hostem ad petendam pacem adigat: ut enim ait Onosander, damnum pecuniæ et fructuum inopia bellum minuit, quod auget copia. Cæterum nisi magna utilitas suadeat, aut cogat necessitas, et stultum et inhumanum est id sinere ut fiat, quod non sine gravissimo multorum innocentium malo fieri potest. Itaque si res ita se habent. ut hostibus non possint esse communes, aut è contrario nobis possint cum hostibus esse communes, aut si magna spes sit victoriæ, aut si aliunde habet hostis, quo bellum tolleret, aut ornamentorum potius quam necessariarum rerum loco sint, incendiis abstinendum.

missu Caesaris cognoscunt. Positis castris à millibus passuum xv, auxilia Germanorum exspectare constituunt. Labienus, hostium cognito consilio, sperans temeritate eorum fore aliquam dimicandi facultatem, v cohortium praesidio impedimentis relicto, cum xxv cohortibus magnoque equitatu contra hostem proficiscitur, et mille passuum intermisso spatio, castra communit. [1] Erat inter Labienum atque hostem difficili transitu flumen, ripisque praeruptis. Hoc neque ipse transire habebat in animo, neque hostes transituros existimabat. Augebatur auxiliorum quotidie spes. Loquitur in concilio palàm, quoniam Germani appropinquare dicuntur, [a] sese suas exercitûsque fortunas in dubium non devocaturum, et postero die primâ luce castra moturum. Celeriter haec ad hostes deferuntur, ut ex magno Gallorum equitatûs numero nonnullos Gallicis rebus favere natura cogebat. Labienus, noctu tribunis milit. [2] primisque ordinibus convocatis, quid sui consilii sit, proponit: et quò facilius hostibus timoris det suspicionem, majore strepitu et tumultu quàm populi Rom. fert consuetudo, castra moveri jubet. His rebus fugae similem profectionem efficit. Haec quoque per exploratores ante lucem, in tantâ propinquitate castrorum, ad hostes deferuntur.

VII. Vix agmen novissimum extra munitiones processerat, quum Galli cohortati inter se, ne speratam praedam ex manibus dimitterent: longum esse, perterritis Romanis, Germanorum auxilium exspectare: neque suam pati dignitatem, ut tantis copiis tam exiguam manum, praesertim fugientem atque impeditam, adoriri non audeant: flumen transire, et iniquo loco proelium committere non dubitant. Quae fore suspicatus Labienus, ut omnes citra flumen eliceret, eâdem usus simulatione itineris, placidè progrediebatur. Tum praemissis paullùm impedimentis, atque in tumulo quodam collocatis; Habetis, inquit, milites, quam petistis, facultatem: hostem impedito atque iniquo loco tenetis: praestate eandem nobis ducibus virtutem, quam saepenumero Imperatori praestitistis: eum adesse, et haec coràm cernere, existimate. Simul signa ad hostem converti, aciemque dirigi jubet: et [3] paucis turmis praesidio ad impedimenta dimissis, reliquos equites ad latera disponit. Celeriter nostri, clamore sublato, pila in hostes jaciunt. Illi, ubi praeter spem quos fugere credebant, infestis signis ad se ire viderunt, impetum modò ferre non potuerunt: ac primo concursu in fugam conjecti, proximas silvas petiverunt; quos Labienus equitatu consectatus, magno numero interfecto, compluribus captis, paucis post diebus civitatem recipit. Nam

INTERPRETATIO.

a *Se non deducturum se suamque sortem et exercitus in discrimen.*

NOTÆ.

1 *Erat inter Labienum atque hostem*] Frontinus lib. xi. stratagem. hoc Labieni factum commemorat.

2 *Primisque ordinibus convocatis,*] Centurionibus primorum ordinum. Sic enim Cæsar appellat lib. i. de bello Gallico, et v. et i. de bello Civili.

3 *Paucis turmis præsidio,* &c.] Turma erat xxxii equitum, turmæ autem in legione erant decem.

Germani, qui auxilio veniebant, perceptâ Trevirorum fugâ, sese domum contulerunt. Cum iis propinqui Indutiomari, qui defectionis auctores fuerant, comitati eos, ex civitate excessêre. Cingetorigi, quem ab initio permansisse in officio demonstravimus, principatus atque imperium est traditum.

VIII. Caesar, postquam ex Menapiis in Treviros venit, duabus de caussis Rhenum transire constituit: quarum erat altera, quòd auxilia contra se Treviris miserant: altera, ne Ambiorix receptum ad eos haberet. His constitutis rebus, paullùm supra eum locum, quo antea exercitum transduxerat, facere pontem instituit. Notâ atque institutâ ratione, magno militum studio, paucis diebus, opus efficitur. Firmo in Treviris praesidio ad pontem relicto, ne quis ab iis subitò motus oriretur, reliquas copias, equitatumque, transducit. Ubii, qui antè obsides dederant, atque in deditionem venerant, purgandi sui caussâ ad eum legatos mittunt; qui doceant, neque ex suâ civitate auxilia in Treviros missa, neque ab se fidem laesam: petunt atque orant, ut sibi parcat, ne communi odio Germanorum innocentes pro nocentibus pœnas pendant: si amplius obsidum velit, dare pollicentur. Cognitâ Caesar caussâ, reperit, ab Suevis auxilia missa esse; Ubiorum satisfactionem accepit; aditus viasque in Suevos perquirit.

IX. Interim paucis post diebus fit ab Ubiis certior, Suevos omnes in unum locum copias cogere, atque iis nationibus, quae sub eorum sunt imperio, denuntiare, ut auxilia peditatûs equitatûsque mittant. His cognitis rebus, rem frumentariam providet, castris idoneum locum deligit: Ubiis imperat, ut pecora deducant, suaque omnia ex agris in oppida conferant; sperans barbaros atque imperitos homines, inopiâ cibariorum adductos, ad iniquam pugnandi conditionem posse deduci. Mandat, ut crebros exploratores in Suevos mittant, quaeque apud eos gerantur, cognoscant. Illi imperata faciunt, et paucis diebus intermissis, referunt, Suevos omnes, posteaquam certiores nuntii de exercitu Romanorum venerant, cum omnibus suis sociorumque copiis, quas coëgissent, penitus ad extremos fines sese recepisse. Silvam esse ibi infinitae magnitudinis, quae appellatur [1] Bacenis: [a] hanc longè introrsus pertinere, et pro nativo muro objectam, Cheruscos à Suevis, Suevosque à Cheruscis injuriis incursionibusque prohibere: ad ejus initium silvae Suevos adventum Romanorum exspectare constituisse.

X. Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum esse videtur de Galliae Germaniaeque moribus, et, quo differant eæ nationes inter sese, proponere. [2] In Galliâ non solùm in omnibus civitatibus at-

INTERPRETATIO.

a *Hanc longe intro patere.*

NOTÆ,

1 *Bacenis:*] Pars eſt Hercyniæ ſilvæ *Schwartzwold*, vel potius ipſa Hercynia.

2 *In Gallia non ſolum in omnibus civitatibus,* &c.] Quæ Cæſari civitates dicantur ſupra fuit explicatum, quid item pagi. Partes verò hic dicuntur, quæ et civitatibus et pagis ſunt minores, quales poſſunt eſſe quæ Gallice dicuntur, *villages et hameaux*, quæ pagis ſunt

que pagis partibusque, sed penè etiam in singulis domibus factiones sunt : [1] earumque factionum sunt principes qui summam auctoritatem eorum judicio habere existimantur : quorum ad arbitrium judiciumque summa omnium rerum consiliorumque redeat. [2] Idque ejus rei caussâ antiquitùs institutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret. Suos enim opprimi quisque et circumveniri non patitur : neque, aliter si faciat, ullam inter suos habeat auctoritatem. Haec eadem ratio est in summâ totius Galliae. Namque omnes civitates in duas partes divisae sunt.

XI. Quum Caesar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Aedui, alterius Sequani. Ii quum per se minùs valerent, [3] quòd summa auctoritas antiquitùs erat in Aeduis, magnaeque eorum erant clientelae, Germanos atque Ariovistum sibi adjunxerant, eosque ad se magnis jacturis pollicitationibusque produxerant. Prœliis verò compluribus factis secundis, atque omni nobilitate Aeduorum interfectâ, tantum potentiâ antecesserant, ut magnam partem clientium ab Aeduis ad se transducerent, obsidesque ab iis principum filios acciperent, et publicè jurare cogerent, nihil se contra Sequanos consilii inituros : et partem finitimi agri per vim occupatam possiderent, Galliaeque totius

NOTÆ.

infrequentiores. Tandem ſcribit *domibus*, quæ partibus ſunt adhuc minores, ut nihil expers factionum videatur. Quæ res Galliam evertit, et in Cæſaris poteſtatem redegit. Quod teſtatur Tacitus in vita Julii Agricolæ : *Nunc per principes factionibus et ſtudiis trahuntur. Nec aliud adverſus validiſſimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non conſulunt. Rarus duabus aut tribus ad propulſandum commune periculum conventus. Ita dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur.*

1 *Earumque factionum ſunt principes*] Inde intelligere licet quis Reipublicæ Gallicæ ſtatus fuerit. Erat enim regium quiddam in annuo aut longiori magiſtratu legitimo. erat Ariſtocratia in ſenatu, erat Democratia in ſumma populi auctoritate, unde et ſenatores et magiſtratus exiſterent, cujus populi judicio illi ſummam auctoritatem haberent. Nec certe fuiſſent factiones, niſi fuiſſet libertas. Id ipſum habet Strabo. lib. IV de Gallis: Ἀριστοκρατικαὶ δ' ἦσαν αἱ πλείους τῶν πολιτειῶν. Ἕνα δ' ἡγεμόνα ᾑροῦντο κατ' ἐνιαυτὸν τὸ παλαιόν. *Ariſtocraticæ pleræque erant politiæ. Unum principem quotannis eligebant.* Sicut et ad bellum dux unus à populo creabatur. Quod declaratur in Vercingetorigis electione, et Coti atque Convictolitanis controverſia de ſummo magiſtratu Æduorum.

2 *Idque ejus rei cauſſa*, &c.] Non longe abit illa conſuetudo à Romano patronatu et clientela, quæ legibus etiam erat firmata. Hæc enim eſt lex Romulea · *Plebeii quem ſibi ex patritiis patronum volunt, deligunto.* Eſt et alia: *Si patronus fraudem clienti fecerit, ſacer eſto.* Unde à Virgilio inter magna piacula numeratur,

——et *fraus innexa clienti.*

Nec non erat Athenienſium ille mos, apud quos, teſte Ariſtot. liber III. Rhetoricorum, ſervi cum manumittebantur, patronum ſibi adſciſcebant, in cujus eſſent clientela. Quod præconis voce fiebat.

3 *Quod ſumma auctoritas antiquitus erat in Æduis.*] Propterea magna eorum erat clientela, quod olim amici et fratres populi Romani vocarentur, ut poſtea Sequanorum clientelæ, ob Arioviſti Germanorumque amicitiam plures factæ ſunt. Hoc porro Ædui ſuæ operæ Romanis datæ præmium tulerunt, quod primi Gallorum ſenatorium jus Romæ fuerunt adepti, teſte Eumenio in panegyrico: ſolique, ut eſt apud eundem, fraternitatis illud nomen retinuerunt, quod, Cicerone teſtante, jampridem habuerant.

principatum obtinerent. Quâ necessitate adductus Divitiacus, [1] auxilii petendi caussâ Romam ad Senatum profectus, infectâ re redierat. Adventu Caesaris, factâ commutatione rerum, obsidibus Aeduis redditis, veteribus clientelis restitutis, novis per Caesarem comparatis (quòd ii, qui se ad eorum amicitiam aggregaverant, meliore conditione atque imperio aequiore se uti videbant) reliquis rebus eorum gratiâ dignitateque amplificatâ, Sequani principatum dimiserant: [2] in eorum locum Rhemi successerant: quos quòd adaequare apud Caesarem gratiâ intelligebatur, ii, qui propter veteres inimicitias nullo modo cum Aeduis conjungi poterant, se Rhemis in clientelam dicabant. Hos illi diligenter tuebantur: ita et novam et repentè collectam auctoritatem tenebant. Eo tum statu res erat, ut longè principes haberentur Aedui, secundum locum dignitatis Rhemi obtinerent.

XII. In omni Galliâ eorum hominum, [3] qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. [4] Nam plebs penè servorum habetur loco, quae per se nihil audet, et nulli adhibetur concilio. [5] Plerique quum aut aere alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuriâ potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobilibus. In hos eadem omnia sunt jura, quae dominis in servos. Sed de his duobus generibus, [6] alterum est Druidum, alterum Equitum.

NOTÆ.

1 *Auxilii petendi cauſſa Romam*, &c] Socii enim et amici populi Romani, ſi quando opprimerentur, petebant à Senatu auxilium, ut petivit Ptolemæus Auletes regno ejectus, qui paucis ante annis amicus populi Rom. erat appellatus, et ob eam cauſſam impetravit. Romæ Divitiacum vidit et novit Cicero, qui de eo ſic habet lib. i. de Divinatione: *Si quidem et in Gallia Druidæ ſunt, è quibus ipſe Divitiacum Æduum, hoſpitem tuum laudatoremque cognovi, qui et naturæ rationem, quam Græci Phyſiologiam appellant, notam eſſe ſibi profitebatur, et partim auguriis, partim conjecturis, quæ erant futura, dicebat.*

2 *In eorum locum Rhemi ſucceſſerant.*] Neque poſtea defeciſſe teſtatur Strabo lib. iv. dicit enim Rhemos ſolitos præfectis hoſpitium præbere, quod eorum gratiæ non exiguum eſt argumentum apud Cæſarem collectæ, et apud reliquos Romanos retentæ.

3 *Qui aliquo ſunt numero atque honore.*] Digni habiti qui recenſeantur et numerentur, quaſi ſpectati homines. *Eſſe* vero *numerum* eſt contrarium, ut apud Horat.

Nos numerus ſumus, et fruges conſumere nati,

Id eſt, non ſumus ſpectabiles.

4 *Nam plebs pene ſervorum habetur loco*] Neque id libertati adverſatur, ſed dignitati; explicatque ipſe Cæſar quod dixerat, cum addit, *per ſe nihil audet, nulli adhibetur concilio*; eligit tamen principes, juſque habet cum Druidibus equitibuſque commune in principibus eligendis. Non ſervi, ſed pene ſervi: Αὐτόδουλοι qua voce utitur Æſchylus, θεράποντες ἐλευθεροὶ, Diod. lib. v. *ſervi liberi.* Et hoc ariſtocraticas fuiſſe pleraſque civitates probat, ut dictum.

5 *Plerique quum aut ære alieno*, &c.] Ne quis credat eandem fuiſſe ſævitiam, quæ Romanis inerat, conſulatur Diodorus qui ſic habet: *Cuſtodes corporis ex liberis hominibus pauperes eligunt.*

6 *Alterum eſt Druidum.*] Varia eſt doctorum de illo Druidum nomine opinio. Plinius dictos à quercu ſuſpicatur, quod magnis quercus condecorarent cæremoniis. Δρὺς enim Græce *quercus* dicitur. Pſeudoberoſus, à Druyo iv Gallorum rege, cenſet appellatos. Joannes Goropius Becanus, à voce Britannica *tru* et *wis*, quaſi viri ſapientes. Perincerta eſt illa Etymologia, verique ſit ſimile Gallos illis Gallicum nomen impoſuiſſe, non peregrinum. Druys dicitur et Druida, ut ab hebdomade hebdomada, et à caſſide caſſida in recto caſu dicitur. Sed quicquid de illa voce cenſeamus, ſignificat Gallorum Philoſophos, quos etiam Philoſophis Græcis priores exiſtimant nonnulli Græci ſcriptores, ut Ariſtoteles apud Diogenem Laertium, qui non à Græcis ad Gallos Philoſophiam deveniſſe, ſed à Gallis ad Græcos prodiiſſe, ſcriptum reliquit.

[1] Illi rebus divini intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. [2] Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinae caussâ concurrit, magnoque ii sunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt: et si quod est admissum facinus, [3] si caedes facta, si de haereditate, de finibus controversia est, iidem decernunt: praemia poenasque constituunt. [4] Si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum, ac sceleratorum habentur: [5] iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi acci-

NOTÆ.

1 *Illi rebus divinis interſunt, ſacrificia publica ac privata procurant.*] Ita Strabo lib. iv. notavit ſine Druidis nulla ſacra in Gallia fieri ſolita: Ἔθυον δὲ οὐκ ἄνευ Δρυΐδων. *Non ſine Druidibus ſacrificabant* Itaque apud Diogenem Laërtium in librorum ejus principio, Σεμνόθεοι dicuntur, id eſt, *Dei Cultores.* Idem habet Diodorus Siculus, cujus verba Latine compendii cauſa ſic expreſſi. *Moris eſt apud eos nullum abſque Philoſopho ſacrificium facere. Exiſtimant enim per divinæ naturæ conſcios ſacra fieri oportere, tanquam Diis propinquiores. Horum interceſſione bona à Diis cenſent petenda, quorum conſilio et pace et bello utuntur.*

2 *Ad hos magnus adoleſcentium numerus,* &c.] Druides tres maximas Reipublicæ partes gerebant, dum artes profitebantur, lites dirimebant, ſacra interpretabantur, procurabantque profeſſores, Judices, et Theologi. Nec aliunde Cæſar cauſam petit honoris Druidum, quam quod controverſias diſceptarent Homines enim magni faciunt eos quorum in poteſtate bonorum ſuorum cognoverunt eſſe arbitria Quod ſi ætati illi tantum erudiendæ, quæ deſpicatui habetur, præfecti fuiſſent, ſimul cum ſuis diſcipulis, imo et à diſcipulis contemni potuiſſent Dio vero Chryſoſtomus orat. xlix. longe majorem etiam Druidibus auctoritatem tribuit, de quibus ſic tradit: Κελτοὶ δὲ [ἐπιστάτας τοῖς βασιλεῦσι καὶ ἄρχοντας τούτους ἀπέδειξαν] οὓς ὀνομάζουσι Δρυΐδας, καὶ τούτους περὶ μαντικὴν ὄντας καὶ την ἄλλην σοφίαν, ὧν ἄνευ τοῖς βασιλεῦσιν οὐδὲν ἐξῆν πράττειν, οὐδὲ βουλέυεσθαι· ὥστε, τὸ μὲν ἀληθὲς, ἐκείνους ἄρχειν; τοὺς δὲ βασιλέας αὐτῶν ὑπηρέτας καὶ διακόνους γίγνεσθαι τῆς γνώμης, ἐν θρόνοις χρυσοῖς καθημένους καὶ οἰκίας μεγάλας οἰκοῦντας, καὶ πολυτίμως εὐωχουμένους. *Celtae vero* [*præfectos regibus et imperantes hos eſſe voluerunt*] *quos nominant Druidas, et hos circa divinationem verſantes et reliquam ſapientiam, ſine quibus nihil eſt licitum regibus facere aut conſulere; ita ùt reipſa illi regnent; reges autem ſententiæ ſint adminiſtri et ſervi, quamvis in thronis aureis ſedeant, in magnis ædibus habitent, et ſumptuoſa convivia agitent.*

3 *Si cædes facta,*] Non tantum de civilibus, ſed et capitalibus cauſis cognoſcebant. Unde etiam magna dignitatis acceſſio.

4 *Si quis aut privatus aut publicus,* &c.] Ut religio ſummum bonum, ita ſacris excludi maximum malum ſemper habitum eſt Itaque hæc pœna Moſis legibus graviſſima fuit, et privari Synagogæ ingreſſu tanti eſſe viſum eſt, ut Chriſti tempore multi doctrinæ ejus ſtudioſi, ſtudium ſuum tacita mente celarent, ne ἀποσυνάγωγοι fierent. Qui mos à Synagoga ad Eccleſiam pervenit, à qua poſtquam propter flagitia quoſd am arcuit Paulus Apoſtolus, nihil videtur habere gravius quod ultra faciat. Inde noſtræ excommunicationes in conſiliis eccleſiaſticis pœnæ maxime non parentibus decreto propoſitæ, qui exinde in impiorum numero habentur. *Segreges* ἀφορισθέντες in Canon. Apoſtolorum Nec Athenienſibus ignota illa pœna fuit Lex eſt Draconis, quam citat Demoſthenes contra Æſchinem, ut à luſtrationibus, libaminibus, crateribus, templis, fore arcerentur homicidæ. Alcibiades hac pœna fuit affectus, quod ſacra Cereris vulgaſſet; teſtes Plutarchus, Æmilius Probus, ſeu Cornelius Nepos.

5 *Iis omnes decedant,* &c.] Sic Apoſtolus epiſt. I. ad Corinth. de eo quem excommunicaverat: *Neſcitis quòd modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fer-*

piant: [1] neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. [2] His autem omnibus Druidibus præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit. At si sunt plures pares, suffragio Druidum adlegitur: [3] nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. [4] In certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. [5] Huc omnes undique qui controversias habent, conveniunt, eorumque judiciis decretisque parent. [6] Disciplina in Britanniâ reperta, atque indè in Galliam translata esse existimatur. Et nunc qui diligentiùs eam rem cognoscere volunt, plerumque illò, discendi caussâ, proficiscuntur.

XIII. [7] Druides à bello abesse consueverunt, neque tributa unà cum reliquis pendunt: militiae vacationem omniumque rerum ha-

NOTÆ.

mentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi. Item *cum ejuſmodi non cibum ſumere:* item, *auferte malum ex vobis ipſis.* Canon x. Apoſtolorum: *Si quis cum excommunicato, et amſi in domo, preces conjunxerit, et ille excommunicetur.*

1 *Neque iis petentibus jus redditur*]Quam interdictionem ſacrorum ſequebatur exilium et amiſſio civitatis, quanquam non nominaretur exilium. Quemadmodum enim apud Romanos, qui exilio multabatur, dicebatur aqua et igni interdici, quia uſu aquæ et ignis careri non poteſt, ita quia ſine aliqua parte juſtitiæ, nec ipſi latrones prædoneſque vivere poſſunt, ut ait Cicero, vertendum erat neceſſario ſolum, quibus jus non reddebatur, qui jure carere nullo modo poterant. Ex antiquis Eccleſiæ canonibus ſolennis erat exceptio, *Actorem excommunicatum eſſe*, quâ probata, non audiebatur.

2 *His autem omnibus Druidibus præeſt unus.*] Non multum aberat Romæ pontificatus maximi inſtitutio. Sic inter Epiſcopos, qui metropoli præſidebat, cæteris provinciæ Epiſcopis Prælatus, inter Metropolitas Patriarcha.

3 *Nonnunquam etiam de principatu armis contendunt.*] Et id viſum eſt in pontificato Judæorum, ut patet ex Joſepho.

4 *Ii certo anni tempore in finibus Carnutum,* &c.] Reſpondet hæc juriſdictio antiquis Franciæ Parliamentis, quæ ante Philippum Pulchrum Franciæ regem non erant, ut poſtmodo factum eſt, ſedentaria, ſed certo anni tempore congregabantur; ad quæ conveniebant, qui controverſias habebant. Talis item erat, celebris ille Delphis, media videlicet Græciæ regione, Amphictyonum conventus, ut ait Pauſanias in Phocicis. Nec erat olim tam anguſti Carnutum fines quam nunc videntur: ſed Aureliauenſem diœceſim complectebantur et Carnotenſem, quæ nunc fines habet magis ad ſolem occidentem vergentes, quam ut poſſit meditullium Galliæ haberi.

5 *Huc omnes undique qui controverſias habent,* &c.] Hinc magna Druidum, eaque plane regia poteſtas non in privatum ſolum, ſed in univerſum populum demonſtratur.

6 *Diſciplina in Britannia reperta,* &c.] Diſciplinam hanc aſſentitur Plinius in Britannia fuiſſe repertam his verbis: *Britannia hodieque eam* [magiam] *attonite celebrat tantis cæremoniis, ut eam Perſis dediſſe videri poſſit.* Sed cum omnia Britannia videatur à Gallis accepiſſe, non veriſimile ſit in Britannia fuiſſe repertam, ſed in Gallia; unde poſtquam tranſierit cum cæteris Gallicis moribus, lingua et cultu, ibi etiam quam in Gallia majoribus aucta incrementis floruerit. Ut nunc videmus Chriſtianæ religionis incunabula Judæam, illius cultu ab Italia, Gallia, Hiſpania ſuperari: cujus arcana qui penitius explorare voluerit, Romanos et Pariſienſes potius et tutius quam Hieroſolymitanos conſuluerit. Itaque Cæſar non aſſeverat, ſed exiſtimari ſcribit repertam.

7 *Druides à bello abeſſe conſueverunt,* &c.] Hæc erant profeſſionis minervalia, quæ ipſiſſima ſunt Univerſitatis Pariſienſis privilegia. Et qui florebant honoribus profeſſores, illæ diſciplinæ pariter floruerunt. Sed ſublatis Romano imperio doctrinæ præmiis et honoribus, relanguerunt illa ſtudia, et in ſilvis delituerunt, teſtibus Mela et Lucano;

——— *nemora alta remotis*
Incolitus lucis ———

bent immunitatem. Tantis excitati praemiis, et suâ sponte multi in disciplinam conveniunt, et à propinquis parentibusque mittuntur. [1] Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. [2] Itaque nonnulli annos vicenos in disciplinâ permanent: [3] neque fas esse existimant ea litteris mandare, [4] quum in reliquis ferè rebus publicis privatisque rationibus [Graecis] litteris utantur. Id mihi duabus de caussis instituisse videntur: [5] quod neque in vulgus disciplinam efferri velint: [6] neque eos qui discunt, litteris confisos, minùs memoriae studere. Quod ferè plerisque accidit, ut, praesidio litterarum

INTERPRETATIO.

a *Non ita exerceri memoriam.*

NOTÆ.

1 *Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur.*] Cum ob facilitatem discendi, tum ob concinnitatem et elegantiam. Aristoteles lib. Rhetoricum III. cap. 9. *Τῶν μέτρων πάντες μνημονεύουσι μᾶλλον τῶν χυδῶν, ἀριθμὸν γὰρ ἔχει ᾧ μετρεῖται. Metrorum omnes meminerunt magis, quam eorum quæ soluta sunt oratione, habent enim numerum quo mensurantur.* Hinc est quod Cretenses suos liberos patriæ leges cum concentu docebant, ut scripsit Ælianus in varia historia. Orpheus quoque et Empedocles versa oratione Philosophiam suam scripserunt. Imo usque adeo antiqui in scribendo versibus sunt usi, ut prosa oratione ante Syrium Pherecydem non scripserint, ut autor est Plinius lib. vii. cap. 55. qui Pherecydes tempore Cyri Persarum regis vivebat.

2 *Itaque nonnulli annos vicenos in disciplina permanent.*] Idipsum scripsit Pomponius Mela lib. iii. cap. 1. *Docent multa nobilissimos gentis clam et diu vicenis annis in specu et abditis saltibus.* Clam quidem Claudii Imperatoris tempestate, qua Mela vixisse dicitur, et diu, quia longiore in discendo quam in scribendo opus est tempore.

3 *Neque fas esse existimant ea litteris mandare.*] Quibus de caussis id fiat, modo dicturus est.

4 *Quum in reliquis fere rebus publicis, &c.*] Græcis litteris, sed non Græca oratione utebantur; ut Targum Syriacum est, Hebraicis tamen litteris conscriptum, cum alia tamen esse soleat forma Syriacarum hodie litterarum, ut est oratio Gallica, Hispanica, Italica hodie Latinis litteris conscripta. Et satis ut puto, constat. Quia tamen à nonnullis id in dubium vocari video, vel illa Græca epistola quam Cæsar ad Q. Ciceronem apud Nervios oppugnatum misit, ne consilia sua à Gallis cognoscerentur, si litteræ in manus hostium venirent, satis id evincit. Quod ideo fecit, quia plures Galli inveniebantur Latinæ linguæ periti. Præterea vel uno Cicerone teste, Divitiacus unus erat de doctissimis Galliæ Druidibus, neque tamen Græce sciebat, qui si scivisset, nihil opus fuisset Cæsari, rejectis quotidianis interpretibus Valerium Procillum adhibere: Cæsar enim tam Græcè sciebat, quam qui in ipsa erant Græcia nati. Eâdem quâ hic ratione tabulæ Græcis litteris confectæ in castris Helvetiorum repertæ sunt, quia tales erant litteræ quibus Galli utebantur, à Massiliensibus, ut arbitror, deductæ. Denique si peregrina lingua Druides sua sacra tradidissent, nihil fuisset metuendum illa scribentibus.

5 *Quod neque in vulgus, &c.*] Solenne hoc primis et Poëtis et Philosophis. Unde Horatianum:

Odi profanum vulgus, et arceo.

et illud Orphei initio carminum:

Δέξομαι, οἷς θέμις ἐστι, θύρας δ' ἐπιθέσθε βεβήλοις.

Quos fas, accipiam, sit janua clausa profanis.

Et ipse Christus, qui venerat allatum lucem omnibus hominibus, ad quædam arcana discipulos suos admittebat, populum parabolis usus alloquebatur. Prophetæ vero Hebræi magna item obscuritate suos sermones involverunt.

6 *Neque eos qui discunt, &c.*] Hæ caussæ à primis Philosophis approbatæ: hæc enim Pythagoræ quondam fuit opinio, hæc etiam Socratis, qui ne litteram quidem ullam scrip-

diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant. In primis hoc volunt persuadere, [1] non interire animas, séd ab aliis post mortem transire ad alios: [2] atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. [3] Multa praeterea de sideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputant, et juventuti tradunt.

XIV. [4] Alterum genus est Equitum. Ii, quum est usus, atque aliquod bellum incidit (quod ante Caesaris adventum fere quotan-

NOTÆ.

tam reliquerunt. Hujus ſententiam habemus in Phædro Platonis, quæ tamen eſt opinione noſtrorum Druidum paulo mitior atque humanior. Anteponit enim Socrates vivæ vocis ac memoriæ ſcientiam mortuæ ſcripturæ ſed ſcriptum tamen adverſus oblivionis infirmitatem permittit. De quo ſic Quintilianus, lib xi *Quanquam invenio apud Platonem obſtare memoriæ uſum litterarum, videlicet quod illa quæ ſcriptis repoſuimus velut cuſtodire deſinimus, et ipſa ſecuritate dimittimus. Nec dubium eſt. quin plurimum in hac parte valeat mentis intentio, et velut acies luminum à proſpectu rerum quas intuetur, non averſa.* Sic Lycurgus Rhetras ſuas ſcriptis mandari vetuit, juvenum animis inferendas arbitratus.

1 *Non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios.*] Strabo lib. iv. Ἀφθάρτους τὰς ψυχὰς λέγουσι. *Incorruptibiles animas dicunt.* Idem Val. Max. lib. v. Idem Diodorus lib. vi. Lucanus verò:

——vobis autoribus umbræ
Non tacitas erebi ſedes, ditiſque profundi
Pallida regna petunt, regit idem ſpiritus artus.
Orbe alio longæ, canitis ſi cognita, vitæ.

Sed an Druidæ dogma à Pythagora acceperint an à Druidibus Pythagoras, in dubio mihi eſt. Lego enim apud Diogenem Laërtium, Pythagoram peregre profectum omnibus myſteriis Græcis et Barbaricis fuiſſe initiatum. Et Alexander quidam apud Clementem Alexandrinum, prodidit, à Pythagora fuiſſe Druidas auditos atque Brachmanas. Dogma illud eſt Μετεμψύχωσις animæ migratio in corpora ejuſdem ſpeciei, non Μετενσωμάτωσις, in corpora diverſæ ſpeciei, ſi rite diſtinxit Plato lib. x. de legibus. Nec mirum, ſi vel ipſi Judæi, qui ſacrarum litterarum face colluſtrati erant, idem ſenſerunt, cum Joannem Baptiſtam in Chriſto reſurrexiſſe putabant; nec non aliqui Chriſtianorum, ut Carpocrates, aliique nonnulli.

2 *Atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.*] Idem habet Pomponius Mela lib. III. cap. I. *Unum ex iis quæ præcipiunt in vulgus effluit, videlicet ut forent ad bella meliores, æternas eſſe animas vitamque alteram ad manes. Itaque cum mortuos cremant ac defodiunt, apta viventibus olim negotiorum ratio, etiam et exactio crediti deferebatur ad inferos.* Unde ille feſtivus mos Gallorum pecunias mutuo accipiendi, quæ apud inferos reddantur, de quo Valer. Max lib. II. cap. I.

3 *Multa præterea de ſideribus,* &c.] Pomponius Mela Cæſarem ſecutus, ibidem ſcribit: *Druidas terræ mundique magnitudinem et formam, motus cæli ac ſiderum, et quod Dii velint, ſcire ſe profiteri.* Quod et innuit Lucanus lib. I. Diogenes vero Laërtius Druidas memorat hoc in præceptis dare: Σέβειν θεοὺς καὶ μηδὲν κακὸν δρᾶν, καὶ ἀνδρείαν ἀσκεῖν. *Colere Deos, nihil mali facere, fortitudinem exercere.*

Solis noſſe Deos, et cæli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum——

Ergo Aſtrologiam, Geographiam, Phyſiologiam, Theologiam docebant; item Geometriam et Arithmeticam, ſine quibus Aſtrologia non poteſt eſſe. Nec non augurandi ſcientiam, quod continetur hac voce Melæ, *quid Dii velint*, cujus rei teſtis locuples Cicero, lib. I. de Divinatione, qui locus jam ſupra eſt citatus.

4 *Alterum genus eſt Equitum.*] Sic de illis equitibus Gallis Pauſanias in Phocicis ſcribit: *Δύο γὰρ οἰκέται περὶ ἕκαστον τῶν ἱππευόντων ἦσαν ἀγαθοὶ καὶ αὐτοὶ τὰ ἱππικά, καὶ ἵππους ὁμοίως ἔχοντες. Γαλατῶν δὲ τοῖς ἱππεύουσιν, ἀγῶνος συνεστηκότος, ὑπομένοντες τῆς τάξεως ὄπισθεν οἱ οἰκέται, τοσάδε σφίσιν ἐγίνοντο χρήσιμοι· τῷ γὰρ ἱππεῖ συμβᾶν ἢ τῷ ἵππῳ πεσεῖν, τῷ μὲν, ἵππον παρεῖχεν ἀναβῆναι τῷ ἀνδρί· τελευτήσαντος δὲ τοῦ ἀνδρὸς, ὁ δοῦλος ἀντὶ τοῦ δεσπότου τὸν ἵππον ἀνέβαινεν. εἰ δὲ ἀμφοτέρους ἐπιλάβοι τὸ χρεὼν, ἐνταῦθα ἕτοιμος ἦν ἱππεύς. λαμβανόντων δὲ τραύματα, ὁ μὲν ὑπεξῆγε τῶν δοῦ-*

nis accidere solebat, utì aut ipsi injurias inferrent, aut illatas propulsarent) omnes in bello versantur; [a] atque eorum ut quisque ex genere copiisque amplissimus, ita plurimos circùm se [1] ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

XV. [2] Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus. Atque ob eam caussam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in prœliis periculisque versantur, aut [3] pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur: [4] quòd pro vitâ hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari arbitrantur:

INTERPRETATIO.

a *Quanta quisque præstat nobilitate et opibus, tanto plures ambactos et clientes.*

NOTÆ.

λων, ἐς τὸ στρατόπεδον τὸν τραυματίαν, ὁ δὲ καθίστατο ἐς τὴν τάξιν ἀντὶ τῦ ἀπελθόντος. τῦτο ὠνόμαζον τὸ σύνταγμα τριμαρκισίαν τῇ ἐπιχωρίῳ φωνῇ· καὶ ἵππων τὸ ὄνομα ἴσω τις μάρκαν ὂν ὑπὸ τῶν Κελτῶν. Duo famuli circa unumquemque equitem erant, ipsi equestris rei periti et equitantes. Gallis verò equitibus commisso prælio ejusmodi usus præstabant. Si forte enim eques caderet, alium illi equum, quem conscenderet, adducebat famulus; si dominus interficeretur, in locum ejus succedens, equum scandebat. Si utrumque idem fatum abriperet, præsto erat eques; si vulnerabantur, alter famulorum in castra saucium subducebat, alter in acie loco ejus pugnabat. Ejusdem ordinem Trimarkisiam nominabant voce indigena. Et equorum nomen scitur esse Markam apud Gallos. Unde perquam est probabile illis equitem fuisse Marchionem. Et certe *Markschalk* potens est aut peritus equorum. Quo nomine nobis dicuntur et *Ptolemarchi* et qui sunt curandorum equorum periti.

1 *Ambactos*] Ambactus apud Ennium, inquit Festus, Gallica lingua significatur servus. Quos ministros ingenuæ conditionis appellat Diodorus. Glossarium, δῦλ☧ μισθωτός, Flandrice, *Ambachtmam*, lucri ac quæstus causa operas locantem significat.

2 *Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus.*] Suis videlicet. Nam aliarum contemptrix. Unde illud Tullii pro Fonteio: *Ceteras gentes pro religionibus suis bella suscipere, Gallos contra omnium religiones.*

3 *Pro victimis homines immolant.*] Autores passim hanc feritatem Gallorum commemorant, Servius, Justinus lib. xxvi. Sed omnium instar erit Cicero in oratione pro Fonteio: *His* inquit, (Gallis) *quicquam sanctum ac religiosum esse potest, qui etiam, si quando aliquo metu adducti, Deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant. Quis enim ignorat eos usque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbarum consuetudinem hominum immolandorum?* Sed quæ natio non hoc fecit? Tota vetustas plena est illis exemplis. Sed quod hic narratur à Cæsare tanquam rarum aliquod exemplum, ab ipso in die sui triumphi est perpetratum. Nam Dio testatur homines illo die, ob causam sibi incognitam, fuisse tamen immolatos. Quod ne videatur incredibile, operæ pretium esse puto ipsa Dionis verba referre, quæ sunt lib. xliii. ubi postquam narravit clarum illum Gallorum ducem Vercingetorigem interfectum fuisse statim à triumpho. *Ἄλλοι δὲ δύο ἄνδρες ἐν τρόπῳ τινι ἱερυργίας ἐσφάγησαν. καὶ τὸ μὲν αἴτιον ὐκ ἔχω εἰπεῖν. οὔτε γὰρ ἡ Σίβυλλα ἔχρησεν, οὔτ' ἄλλο τι τοιῦτο λόγιον ἐγένετο· ἐν δ' οὖν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ πρόςε τῶν ποντιφίκων καὶ πρὸς τῦ ἱέρεως τῦ Ἄρεως ἐθύθησαν. Alii duo viri in quodam modo sacrificii jugulati sunt. Causam quidem dicere non possum. Neque enim Sibylla oracula jusserat, neque aliud quoddam tale oraculum intervenerat. In campo igitur Martio et à Martis sacerdote mactati sunt.* Immolari autem propriè dicitur victima, non cum cæditur, sed cum salsam molam accipit. Cato de originibus, *Lavini boves immolati, priusquam cæderentur, profugerunt.*

4 *Quod pro vita hominis, &c.*] Nec illa erat Gallorum solorum opinio, sed plerarumque gentium. Sic Iphigenia apud Græcos fuit pro salute exercitus immolata. Sic Andromeda, monstro marino devota. Sic

publicèque ejusdem generis habent instituta sacrificia. [1] Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent, quibus succensis, circumventi flamma exanimantur homines. [2] Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio, aut aliquâ noxâ sint comprehensi, gratiora Diis immorta-

NOTÆ.

Moabitarum rex victus et obsessus filium suum primogenitum qui regnaturus erat, pro eo obtulit holocaustum super murum. lib. Regum v. cap 3. Sic Mæneceus apud Thebas, Codrus apud Athenienses, Decii, et Curtii apud Romanos. Sic Alcestis Admetum conjugem Thessaliæ regem vicaria morte redemit. Lex enim videbatur esse, ut melior vel par saltem anima pro illa, quæ fiebat à periculo immunis, offeretur. Sic apud Virgil. Æneid. lib v.

Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo.

Non revera quidem meliorem, nec enim melior bovis anima quæ offerebatur, sed ducis caussa, ut multa fiebant in sacrificiis et simulate. Nulla usus simulatione Ovidius in vi. Fast. dixit:

Hanc animam vobis pro meliore damus.

De porca, quæ pro puero immolatur.

1 *Alii immani magnitudine simulachra habent*] Strabo lib. iv. Καὶ γὰρ κατετόξευόν τινας καὶ ἀνεσταύρουν ἐν τοῖς ἱεροῖς ϗ κατὰ σκευάσαντες κολλοσσὸν χόρτου, καὶ ξύλον ἐμβαλόντες εἰς τοῦτον, βοσκήματα καὶ παντοῖα θηρία καὶ ἀνθρώπους ὡλοκαυτουν. *Quosdam in sacris locis pro victima sagittis configebant, et in crucem agebant, magnam etiam à fœno statuam apparantes, in eamque lignis. pecudibus et omnis generis bestiis et hominibus conjectis holocaustum faciebant.* Ejusmodi tamen feritas non erat Gallorum propria, sed omnium prope gentium communis, à dæmonibus illis inspirata, quos pro Diis colebant. Exempla passim sunt apud Livium. Sed pro omnibus commemorabitur quod docet Dionysius Halicarnassæus lib. i. antiquit. Roman. Jovem et Apollinem, quoniam decima nascentium hominum non immolaretur, universæ Italiæ gravissimas calamitates importâsse.

2 *Supplicia eorum qui in furto aut latrocinio.*] Intelligit sacrificia pœnalia, quibus scilicet et pœnæ de noxiis sumebantur, et Diis simul sacrificabatur. Unde forte apud Latinos supplicia dicta. Diodorus idem fere habet lib. v. Ἀκολούθως δὲ τῇ καθ' αὑτοὺς ἀγριότητι, καὶ περὶ τὰς θυσίας ἐκτόπως ἀσεβοῦσι· τοὺς γὰρ κακούργους κατὰ πενταετηρίδα φυλάξαντες, ἀνασκολοπίζουσι τοῖς θεοῖς, καὶ μετ' ἄλλων πολλῶν ἀπαρχῶν καθαγίζουσι, πυρὰς παμμεγέθεις κατασκευάζοντες. *Pari saæ feritati impietate in Deorum sacrificiis abutuntur. Noxios enim quinquennio servant, inde in crucem actos Diis sacrificant, cumque aliis multis primitiis ingentibus pyris factis immolant.* Sed de Gallis solis vetat hoc credere Tertull. in Apolog. cap. 9. *Ecce in illa religiosissima urbe in Æneadarum piorum, est Jupiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine: sed bestiariorum, inquitis. Opinor hoc minus quam hominis? An hoc turpius quod mali hominis?* Minutius item in Octavio. *Hodie ab ipsis Romanis Latiaris Jupiter mali et noxii hominis sanguine satiatur.* Quod et tempore Severi Imperatoris perdurasse ostendunt celeberrima et clarissima illa acta sanctæ Perpetuæ ad ipsamet scripta, et ante hoc decennium in monasterii Casinensis bibliotheca à docto Luca Holstenio reperta. Multi Romanorum Imperatores propter illam immanitatem Druidum genus inhumanaque sacrificia tentaverunt abolere. Suetonius in Claudio. *Druidarum religionum apud Gallos diræ immanitatis et tantum civibus sub Augusto interdictam penitus abolevit.* Id Tiberio adscribitur à Plinio lib. xxx. cap. 1. Idem fere habet Strabo, qui Tiberii videtur æqualis fuisse. Pompeius verò Mela, qui Claudii temporibus dicitur vixisse, sic habet: *Manent vestigia feritatis jam abolitæ, atque ut ab ultimis cædibus temperant, ita nihilominus, ubi devotos altaribus admovere, delibant.* Tacitus verò lib. xiv. annalium, ubi Druidum mentio fit in Britanniâ, ait: *Excisique Luci sævis superstitionibus sacri. Nam cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere Deos fas habent.* An excisa illa instituta fuerint dubitare possumus, certe Druides non sunt extincti. Lampridius enim meminit in Alexandro, et Flavius Vopiscus narrat Aurelianum consuluisse Gallicanos Druidas. Item dicitur Diocletianus mulierem ejusmodi au-

libus esse arbitrantur. Sed quum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.

XVI. [1] Deum maximè Mercurium colunt. [2] Hujus sunt plurima simulacra. [3] Hunc omnium artium inventorem ferunt: [4] hunc viarum atque itinerum ducem: [5] hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. [6] Post hunc, Apollinem, et [7] Martem, [8] Jovem, et [9] Minervam. De his eandem

NOTÆ.

diſſe de futuro ſuo principatu vaticinantem. Et apud Auſonium quidem Profeſſor Burdegalenſis, qui Bajocenſis erat, dicitur,

Stirpe Druidarum ſatus.——

qui quidem originem non procul poterat petere.

1 *Deum maxime Mercurium colunt.*] Qua ratione neſcio, niſi quod ad quæſtus pecuniarum maximam vim habere credebant, ut ipſe refert Cæſar, qua fere mente dicit Hor.

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt;
Virtus poſt nummos——

Quo nomine appellarent, neſcio, eodem quo Germani, ut credibile eſt. Siquidem illa tempeſtate, ipſomet teſte Cæſare, Mercurium non noverant, et poſtea à Gallis accepiſſe veriſimile eſt, Wodam appellabant. Paulus enim Diac. eo nomine fuiſſe à Longobardis appellatum ſcribit: cujus rei argumento eſſe poteſt, quod Belgicè hactenus Mercurii dies dicitur, *Wonſdag*, id eſt, Mercurii dies.

2 *Hujus ſunt plurima ſimulacbra,*] Cornutus lib. de natura Deorum, cubica fuiſſe ſcribit, quia Mercurius veritatis eſt index, quæ ſibi ſemper eſt ſimilis quocumque vertatur, ſemper eadem apparet, et ut corpus cubicum quocumque jaciatur, ſemper ſtat recta.

3 *Hunc omnium artium inventorem ferunt:*] Hinc manavit conſuetudo, ut in Gymnaſiis litterariis una cum Pallade Mercurius jungeretur. Utrique ſimulacra factum nomen Hermathena, de quo Cicero lib. I. epiſt.

4 *Hunc viarum atque itinerum ducem:*] Hinc Mercurius Ἐνόδιος, id eſt, *vialis* dicebatur, et in viis ejus ſtatuæ erigebantur cum inſcriptione hac: *Quo bæc ducit via? quo ducit illa?* Quæ ſtatua vocabantur à Græcis et Latinis *Hermæ.* Quas una nocte dejectas fuiſſe Athenis narrat Plutarchus in Nicia et Alcibiade. Eſt autem, ut hic videtur, nonnihil differentiæ inter viam atque iter. *Via*, ut ait Paulus, *conſtitui vel latior octo pedibus, vel anguſtior poteſt, ut tamen eam latitudinem habeat qua vehiculum ire poteſt: alioqui iter ſit, non via.* Modeſtinus vero dicit eſſe iter, quo quis pedes vel eques commeare poteſt.

5 *Hunc ad quæſtus pecuniæ.*] Hinc κερδῷος dicitur, quaſi lucroſus, lucrifer. Itaque ſic apud Plautum in Prologo Amphytrionis populum affatur.

Ut vos in veſtris vultis mercimoniis
Emundis vendundiſque me lætum lucris
Afficere, atque adjuvare in rebus omnibus,
Et ut res rationeſque veſtrorum omnium
Bene expedire vultis, peregreque et domi,
Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro.

Et Ovidius:

Te quicumque ſuas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut ſibi lucra, rogant.

6 *Poſt hunc, Apollinem.*] Balenus dicebatur à Gallis, ut videtur ex Auſonio, carmine 11 de Profeſſoribus Burdegalenſibus, quo nomine etiam eum Norici appellabant teſte Tertull. Apologet. cap. 24. Belis verò ab Aquileienſibus, qui non longe à Noricis erant. Herodianus in Maxim. ex interpretatione Angeli Politiani: *Ferebantur oracula Dei indigenæ, qui victoriam promittebat, Belin ipſum vocant, et mirifice colunt, Apollinem eſſe volentes.*

7 *Martem.*] Heſum appellabant, ut videtur ex Lactantio lib. i. cap. 21. *Galli Heſum atque Teutatem bumano cruore placabant Deos.* Livius vero lib. xxvi. appellatum fuiſſe ab Hiſpanis Mercurium Teutatem dicit, ut jam Heſi nomen Marti relictum videatur.

8 *Jovem.*] Hujus ſimulacrum quale eſſet memorat Maximus Tyr. ſerm xxxxviii. Κελτοὶ σέβουσι μὲν Δία, ἄγαλμα δὲ Διὸς κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς. *Galli colunt quidem Jovem, ſed ſimulacrum Jovis apud Gallos eſt alta quercus.*

9 *Minervam.*] Minerva Græcis Ἀθηνᾶ et Pallas, ut non mirum ſua Gallis fuiſſe Deorum nomina diverſa à Græcis et Latinis, qui inter ſe etiam ejuſmodi nomina diverſa habebant.

ferè quam reliquae gentes habent opinionem: [1] Apollinem morbos depellere: [2] Minervam operum atque artificiorum initia transdere: [3] Jovem imperium coelestium tenere: [4] Martem bella regere. Huic, quum proelio dimicare constituerunt, ea, quae bello ceperunt, plerumque devovent: [5a] quae superaverint animalia, capta immolant, reliquas res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum extructos tumulos locis consecratis conspicari licet. Neque saepè accidit, ut neglectâ quispiam religione, aut capta apud se occultare, aut posita tollere auderet: gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

XVII. [6] Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant: idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam caussam spatia omnis temporis [7] non numero dierum, sed noctium finiunt: et dies natales, et

INTERPRETATIO.

a *Sacrificant animalia capta quæ superfuerint.*

NOTÆ.

1 *Apollinem morbos depellere.*] Ovid. lib. I. Metamorph.

Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, et herbarum subjecta potentia nobis.

2 *Minervam operum atque artificiorum, &c.*] Lanificii præsertim. *Vestes*, ait Oppian. lib. II. *tenui filo conficere Pallas homines docuit.* Idem fere legitur apud Ovid. Metam vi. in fabula de Arachne. Homerus Odyss. II. narrat Minervam Phæacibus fœminis dedisse pulchrorum operum scientiam. Virgil. vero. lib. vii. Æneid.

———*non illa colo calathisve Minervæ*
Fœmineas assueta manus.———

Item,

Olli serva datur operum haud ignara Minervæ.

Et Propertius de Penelope:

Conjugium poterat falsa differre Minerva, id est, lanificio.
Nocturno solvens texta diurna dolo.

Isidorus: *Minervam primam lanificii usum monstrasse, telam ordisse et colorasse lanas perhibent.*

3 *Jovem imperium cælestium tenere.*] Propterea et fulmen fuit attributum, et manet sub Jove frigido, id est, cælo et aëre.

4 *Martem bella regere.*] Sic Virg. xii. Æneid.

———*tuque, inclyte Mavors,*
Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques.

5 *Quæ superaverint animalia capta immolant.*] Ab veterum etiam Romanorum more non abludit, qui partem prædæ Diis atque Morti præsertim consecrabant. Silius Italicus lib. xv.

———*digestaque præda,*
Hoc aurum patribus, bello hæc Martique tolenta.

Urbibus enim eversis victores partem prædæ inter milites partiebantur, partem sub hasta vendebant, partem inutilem cremabant in honorem Martis. Livius vero Gallos cæsorum spolia legere, armorumque cumulos, ut mos eis est, coacervare ait.

6 *Galli se omnes ab Dite patre, &c.*] Cluverii, qui à Grotio appellatur insignitæ aliquando audaciæ in conjecturis, non frivola tamen est hoc in loco conjectura, *Teuth* eundem esse qui Græcis Θεὸς, Τεὺς, Dorice Δὺς, Latinis *Deus* seu *Diis* et *Dis*, unde Italicè *Dio*, Gallicè *Dieu*, cum ipse *Jupiter*, Latinè dicatur *Diespiter* quasi *Dis pater*, ut et *Jupiter* dicitur quasi *Jovis pater.* Et *Mars* dicitur *Marspiter*, quasi *Mars pater.*

7 *Non numero dierum sed noctium.*] Non id quidem Druidum judicio, sed suo Cæsar dicit. Nec enim ob eam causam, quam exposuit, Galli diem à nocte exoriebantur. Peræque enim ac Druidæ, Hebræi censuerunt dierum naturalium, qui horas xxiv complectuntur, ineundam esse rationem, ut eorum exordium noctem faciant, tametsi Ditem primum suum patrem non agnoverint. Sic Hesiodus ex nocte diem et æthera procreatam refert. Quod aliud nihil declarat nisi noctem esse die priorem. Quod consentaneum est narrationi quæ lib. Genes. continetur: *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Orpheusque cum noctem matrem omnium appellat, nihil

mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. In reliquis vitae institutis hôc ferè ab reliquis differunt, quòd suos liberos, [1] nisi quum adoleverint, ut munus militiae sustinere possint, palam ad se adire non patiantur: filiumque in puerili aetate in publico in conspectu patris assistere, turpe ducunt.

XVIII. [2] Viri quantas pecunias ab uxoribus, dotis nomine, acceperunt, tantas ex suis bonis, aestimatione factâ, cum dotibus communicant: hujus omnis pecuniae conjunctim ratio habetur, fructusque servantur: uter eorum vita superârit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. [3] Viri in uxores, sicuti in liberos, vitae necisque habent potestatem. Et quum paterfamilias illustriore loco natus decessit, ejus propinqui conveniunt; et de morte, si

INTERPRETATIO.

a *Tota illa pecunia numeratur, et usufructus* inde natus *reservatur.*

NOTÆ.

aliud significat, quum ante omnia tenebras fuisse, scilicet mundum ex nihilo creatum fuisse, ut noctis nomine nihilum intelligatur. Porro à Poetis Latinis passim *Dis* dicitur, qui à Græcis Pluto, Deus inferorum.

1 *Nisi quum adoleverint*, &c.] Ea ætas erat apud Romanos annorum xvii, ut patet ex lege Semproniâ, ne minores xvii annis militare cogantur. Apud Judæos militaris ætas erat xx annorum, ut ex lib. Numer. cap. 1. cognoscitur. Quæ fuerit apud Gallos, ignoratur. Quæ vero caussa fuerit cur à se pueros segregarent, non video, nisi quod, ut Romani à suis conciliis et cœtibus fœminas removebant, non tantum ob infirmitatem illarum consilii, ut enim Ovidius habet alicubi:

Ut corpus teneris, mens sic infirma puellis.

sed quia earum consuetudine remollescere veluti audaciam existimabant: sic cum puerorum infirmitas à muliebri non sit absimilis, parum convenire puerili infirmitati cum sua fortitudine arbitrabantur. Plutarchus in Lycurgo testatur apud Lacedæmonios ante xx ætatis annum adolescentem in forum non admitti.

2 *Viri quantas pecunias ab uxoribus.*] Ea est Ἀντιφέρνη quam inducere voluisse videtur Justinianus Novell. xcvii. cum decernit: *Tantam quantitatem conscribere virum, quantam et mulierem, tantum quoque lucrum stipulari, et ex tanta parte ex quanta voluerint, æqualis tamen mensuræ.* Quod à moribus Romanorum tempore Cæsaris, sed non à moribus Germanorum alienum videtur, ut est apud Tacitum in libro, quem de moribus eorum composuit: *Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert.* Jure antiquo Quiritium, sive lege decemvirali: *Omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine*, quia scilicet mater familias erat viro suo quasi filia familias, et fiebat hæres suus, ex asse quidem, si nulli ex matrimonio liberi, aliter autem mater illa liberis consors sive cohæres. Postea mutato jure dos in mariti bonis fuit, sed in re, sive proprietate uxoris. Itaque lege Julia, cautum ne invita uxore prædium dotale vir alienaret, Sect. 1. Instit. quibus alienare licet. Jure tandem Justiniani, dos est mulieris magis quam viri. Hodie nec illa æquatio Gallica, neque donatio propter nuptias locum habet, sed dotalitium, ut Canonistæ vocant, *Douaire.*

3 *Viri in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisque habent potestatem.*] Qualis olim Persarum erat ut videtur, apud Aristotelem lib. viii. ad Nicomachum cap. 12. ubi eam tyrannicam appellat, cum viri potestas in uxorem debeat esse, velut aristocratica; et ad Eudemum lib. viii. cap. 9 Id Romæ concedebat lex Romuli marito, si uxor esset in adulterio et vini usu deprehensa, teste Dionysio Halicarnasseo Sed Οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον. *Cognati cum viro judicabant.* Cognati uxoris videlicet. Quo jure usus legitur Plautius apud Tacit. lib. xiii. *Annal. Isque prisco instituto propinquis coram de capite famaque conjugis cognovit, et insontem judicavit.*

res in suspicionem venit, [1] de uxoribus in servilem modum quaestionem habent: et si compertum est, [2] igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. [3] Funera sunt, pro cultu Gallorum, magnifica, et sumptuosa: omniaque, [4] quae vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia: [5] ac paullò supra hanc memoriam, servi et clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, [6] justis funeribus confectis, unà cremabantur.

XIX. Quae civitates commodiùs suam Rempubl. administrare existimantur, habent legibus sanctum, [7] si quis quid de Rep. à finitimis rumore aut famâ acceperit, utì ad magistratum deferat, neve cum quo alio communicet: quòd saepe homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri, et ad facinus impelli, et de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus, quae visa sunt, occultant: quaeque esse ex usu judicaverint, multitudini produnt. De Rep. nisi per concilium loqui non conceditur.

XX. GERMANI multùm ab hac consuetudine differunt. Nam

NOTAE.

1 *De uxoribus in servilem modum quæstionem habent*:] Nam apud Græcos et Romanos non de liberis, sed de servis verum tormentis exprimebatur.

2 *Igni atque omnibus tormentis*] Quæ pœna frequens apud Barbaros, apud Romanos rarior.

3 *Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica.*] Non magnifica quidem, si comparabuntur Romanis, quæ opulentia gentis dominæ magnificentiora fecerat Gallicis; sed magnifica, ut est captus Gallorum, et quantum eorum opes patiuntur. Optimè Græcus interpres: Ὡς κατ' ἐκείνους γε. *Secundum illos quidem.*

4 *Quæ vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt,*] Puta vestes, equos, canes. Quod Lucianus ridet in lib. περὶ πένθους. Sic apud Homerum in funere Patrocli, Achilles quatuor procera cervice equos pyræ injecit, quatuorque mensarios canes obtruncatos, quatuorque Trojanorum filios. Mos vetus urendi corpora apud omnes gentes. Exceptis enim Chaldæis, Hebræis, Ægyptiis, et Persis, corpora mortuorum ubique cremabantur. Qui mos adhuc in India viget. Sic tamen Plinius de Romanorum funere. *Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti. Condebantur; et tamen multæ familiæ priscos servavere ritus, sicut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus, idque voluisse veritum talionem, eruto C. Marii cadavere.*

5 *Ac paullo supra hanc memoriam*] An amore, an necessitate, dubium. Certe P. Catienus Philotimus patronum adeo dilexit, ut hæres ex asse institutus in rogum ejus se jaceret. Et in funere Othonis Imperatoris, teste Tacito, lib. II. Hist. *Quidam militum juxta rogum interfecere se, non noxa neque ob metum; sed æmulatione decoris et charitate principis.* Et Indicæ mulieres, ut habet Cic. lib. V. Tuscul. Strabo lib. XV. Solinus cap. 13. Val. Maxim. lib. XI. cap. 6. idem propter maritorum amorem fecerunt, quod eleganter Propertius:

Et certamen habent lethi, quæ viva sequatur
Conjugium, pudor est non licuisse mori.

Habet enim significationem amoris nolle disjungi vel in ipsa morte. Sic apud Plautum in Asinaria scena, cujus est initium: *Cur me complectere? Utinam sic efferamur.*

6 *Justis funeribus confectis,*] Theodorus Marcilius sic emendabat: *Mistis funeribus conferti cremantur.* Ex amore scilicet, non necessitate. Ne vero recedatur à recepta lectione, justa sunt quæ Græcis dicebantur, νομιζόμενα, quasi legitima et consueta. Statio dicuntur in II. Theb. *justa exequialia.*

7 *Si quis quid de Republ. à finitimis rumore aut fama acceperit,*] Talem legem habuisse videntur Athenienses, ad quorum Magistratus, qui Archontes dicebantur, tonsor quidam de Piræo cladem in Sicilia acceptam mortemque Niciæ cum nemine prius communicatam detulit. Nihilosecius tamen quia qui dixerat, certum autorem rei non poterat proferre, diu tortus est, donec certiores nuntii de tota re advenerunt.

neque Druides habent, qui rebus divinis praesint: neque sacrificiis student. [1] Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, et quorum opibus apertè juvantur, Solem, et Vulcanum, et Lunam: reliquos ne famâ quidem acceperunt. [2] Vita omnis in venationibus, [3] atque in studiis rei militaris consistit: ab parvulis labori ac duritiei student. Qui diutissimè impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem. Hôc alii staturam, alii vires, nervosque confirmari putant. [4] Intra annum vero xx faeminae notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus: [5] cujus rei nulla est occultatio, quòd et promiscuè in fluminibus perluuntur, et [6] pellibus aut parvis rhenonum tegumentis utuntur, magnâ corporis parte nudâ.

XXI. Agriculturae non student: [7]majorque pars victûs eorum lacte, et caseo, et carne consistit. [8] Neque quisquam agri modum certum, aut fines proprios habet: sed magistratus ac principes, in annos singulos, gentibus cognationibusque hominum qui unà coierunt, quantum eis, et

NOTAE.

1 *Deorum numero eos solos ducunt,*] Hæc erat tempore Cæſaris Germanorum religio: ſed Taciti ætate, qua jam commercium cum aliis gentibus inſtituerant, alia prorſus fuit, imo eoſdem fere Deos quos Galli ſuſceperunt. Sic igitur ille: *Germani Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hoſtiis litare fas habent. Herculem et Martem conceſſis hoſtiis placant. Pars Suevorum et Iſidi ſacrificat.* Deinde eſſe advectam religionem docet. Itaque non Deos tantum, ſed et ſacrificia Gallorum habebant, quod hic à Cæſare negatum.

2 *Vita omnis in venationibus,* &c.] Sic quoque de iis Tacit. *Quoties bella nòn ineunt, multum venationibus, plus per otium tranſigunt.*

3 *Atque in ſtudiis rei militaris conſiſtit:*] Sic de illis Seneca: *Germanis quid eſt animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur innutriunturque, quorum una illis cura eſt in alia negligentibus.*

4 *Intra vero annum* xx *fœminæ notitiam habuiſſe.*] Idem Tacitus: *Sera juvenum Venus, eoque inexhauſta pubertas.*

5 *Cujus rei*] Id eſt, pubertatis, de qua ſupra locutus, neque enim Veneris jam cognitæ ullum in viro veſtigium.

6 *Pellibus aut parvis rhenonum,* &c.] Sic de ipſis Tacitus: *Tegmen omnibus ſagum, fibula, aut ſi deſit ſpina, conſertum, cætera intecti totos dies juxta focum atque ignem agunt. Gerunt et ferarum pelles.* Iſidorus ſic rhenones explicat: *Rhenones ſunt velamina humerorum et pectoris uſque ad umbilicum, atque intortis villis adeo hiſpida, ut imbres reſpuant.* A quo non abludit Heſychius qui dicit eſſe braccas de caprinis pellibus. Servius vero ad illum verſum Virgilii III. Georgicon.

Et pecudum fulvis velantur corpora ſetis

Rhenonibus, inquit. *Nam ut Salluſtius dicit in hiſtoriis, veſtes de pellibus rhenones vocantur.* Varro lib. iv. de lingua Lat. rhenonem eſſe ait vocem Gallicam. Falſus eſt ergo qui corrigit *renum.* Fallitur item Scaliger, qui dicit eſſe pelles, cum ſint veſtes de pellibus conſutæ. Falluntur et qui vocem *pellibus* quaſi inutilem delent et otioſam.

7 *Majorque pars victûs eorum,* &c.] Sic de iiſdem Tacitus: *Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum, ſine apparatu, ſine blanditiis expellunt famem.* Idem erat olim victus Gallis veteribus, ut ex Strabone patet, ſed commercio mutati mores Gallis, qui integri Germanis remanſerant. Sed iidem pariter commercio Gallorum et Romanorum ſunt immutati.

8 *Neque quiſquam agri modum certum,*] Phaleas Chalcedonius primus bonorum æquationem in Rempublicam induxit, ut generis humani duæ capitales peſtes è civitate pellerentur, paupertas et opulentia. Hoc etiam Platonis votum ad beatæ civitatis conſtitutionem. Idem quod Cæſar habet Tacitus lib. de morib. Germ. *Agri pro numero cultorum ab univerſis per vices occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi camporum ſpatia præſtant. Arva per annos mutant et ſupereſt ager.*

quo loco visum est, attribuunt agri, atque anno post aliò transire cogunt. Ejus rei multas adferunt caussas: [1] ne assiduâ consuetudine capti, studium belli gerendi agriculturâ commutent: ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant: ne accuratiùs, ad frigora atque aestus vitandos, aedificent: ne qua oriatur pecuniae cupiditas, quâ ex re factiones, dissensionesque nascuntur: ut animi aequitate plebem contineant, quum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat.

XXII. [2] Civitatibus maxima laus est, quàm latissimas circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope se audere consistere. Simul hôc se fore tutiores arbitrantur, repentinae incursionis timore sublato. Quum bellum civitas aut illatum defendit, aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus communis est magistratus, [3] sed principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt. [4] Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cujusque civitatis fiunt: atque ea juventutis exercendae, ac desidiae minuendae caussâ fieri praedicant. Atque ubi quis ex principibus in concilio se dixit ducem fore, ut qui sequi velint, profiteantur: consurgunt ii qui et caussam et hominem probant, suumque auxilium pollicentur, atque ab multitudine collaudantur. Qui [5] ex iis [6] secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur: omniumque rerum iis postea fides abrogatur. [7] Hospites violare fas non putant: qui quâque de caussâ ad eos venerunt, ab injuriâ prohibent, sanctosque habent: iis omnium domus patent, victusque communicatur.

NOTÆ.

1 *Ne assidua consuetudine capti,*] His similia leguntur apud Tacitum eodem lib. de moribus Germanorum: *Nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes et vulnera mereri: pigrum quinimo et iners videtur, sudore acquirere, quod possis sanguine parare.*

2 *Civitatibus maxima laus est.*] Idem habet Tacitus: *Bella cum finitimis gerunt. Caussas eorum ex libidine accersunt, neque imperitandi prolatandique quæ possident. Nam neque illa enixe colunt, sed ut quæ circa ipsos sunt, vasta sint.* Ad hunc locum Taciti Lipsius observat ex Dionis fragmentis, lib. lxx. ob causam eandem, vasta loca ad multa milliaria reliquisse.

3 *Sed principes regionum,* &c.] Quos tamen eligi in conciliis scribit Tacitus. Idem Beda de Anglo-Saxonibus tradit, qui et ipsi Germanica erant origine, lib. v. Eccl. Anglorum gentis.

4 *Latrocinia nullam habent infamiam,*] Sic pueris Lacedæmoniorum edulia furari licebat ad excitandam solertiam.

5 *Ex iis*] Qui secuturos se professi sunt et auxilium polliciti.

6 *Secuti non sunt*] Cum adhuc de proficiscendo sunt appellati.

7 *Hospites violare fas non putant:*] Tacit. idem fere habet: *Convictibus et hospitiis nulla gens effusius indulget, quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur. Pro fortuna quisque epulis excipit.* Nicolaus Damascenus apud Stobæum in sermone de legibus et consuetudine, de Celtis, quo nomine non tantum Gallos, sed et Germanos censent Græci, dicit apud eos gravius in eum animadverti, qui peregrinum quam qui civem occiderit. Huic enim exilium, illi vero mortem pœnam statui. Mela de Germ. lib iii. cap. 3. *Tantum hospitibus boni.* Diodorus de Gallis idem fere prodidit, *hospites* ad epulas vocare, qui sint, qua causa venerint, post cœnam rogantes. De Gallis quidem Diodorus, non Cæsar; sed Cæsar sui sæculi mores persequitur. Diodorus qui fuerint olim mores notat, ab antiquis Græcis mutuatus.

XXIII. [1] Ac fuit antea tempus, quum Germanos Galli virtute superarent, et ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agrique inopiam, trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea, quae fertilissima sunt, Germaniae loca circum [2] Hercyniam silvam quam [3] Eratostheni, et quibusdam Graecis famâ notam esse video, quam illi Orciniam appellant, [4] Volcae Tectosages occupârunt, atque ibi consederunt. Quae gens ad hoc tempus iis sedibus se continet, summamque habet justitiae et bellicae laudis [a] opinionem: nuncque in eâdem inopiâ, egestate, patientiâ, quâ Germani, permanent: eodem victu et cultu corporis utuntur. Gallis autem [b] propinquitas et transmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atque usus largitur. Paullatim assuefacti superari, multisque victi praeliis, ne se quidem ipsi cum illis virtute comparant.

XXIV. Hujus Hercyniae silvae, quae suprà demonstrata est, latitudo IX dierum iter expedito patet. Non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum noverunt. Oritur ab [5] Helvetiorum et Nemetum et [6] Rauracorum finibus, rectâque fluminis Danubii regione pertinet ad fines [7] Dacorum et [8] Anartium: hinc se flectit sinistrorsum, diversis à flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. [9] Neque quisquam est hujus Germaniae, qui se adisse ad

INTERPRETATIO.

a *Famam.*

b *Vicinia maris tum Mediterranei, tam Oceani, et commercium cum transmarinis regionibus.*

NOTÆ.

1 *Ac fuit antea tempus*, &c.] Idem Tacitus, idem Livius lib. v. narrat: *Qui Ambigatum Biturigom regem in Hercynius saltus misisse, cum exonerare prægravante turba regnum cuperet, quod ea gens populis abundabat.*

2 *Hercyniam silvam,*] Hercynia silva celebratissima olim, sed quæ cultu hominum perierit. Nolim negare maximas silvas, quæ in Germanis supersunt, ejus esse reliquias. De hac ita Plinius lib. vi. cap. 11. *In eadem septentrionali plaga Hercyniæ silvæ roborum vastitas intacta ævis et congenita mundo prope immortali sorte miracula excedit. Ut alia omittantur fide caritura, constat attolli colles occursantium inter se radicum repercussu, aut ubi secuta tellus non sit arcus ad ramos usque et ipsos inter se rixantes, curvari portarum patentium modo, ut turmas equitum transmittant.*

3 *Eratostheni,*] Eratosthenes fuit patria Cyrenæus, Ptolemæi Evergetæ Bibliothecæ præfectus, Aristonis Chii et Callimachi discipulus, multarum rerum scientia, sed præcipuè Cosmographiæ insignis, quem Strabo in sua Geographia citat et refutat.

4 *Volcæ Tectosages*] Populi Galliæ Narbonensis, qui non solum in Germaniam, sed in Asiam et Gallatiam pervenerunt. Horum urbs in Gallia, Tolosa; in Gallatia vero, Ancyra.

5 *Helvetiorum et Nemetum*] De quibus supra dictum.

6 *Rauracorum*] Rauraci prope Basileam, quorum fuit urbs Augusta, quæ cum esset diruta, sedes Episcopalis translata est Basileam Sequanorum.

7 *Dacorum*] Daci a Strabone circa Danubii fontes constituti. Virgil. viii. Æneid. *Daas* vocat.

Indomitique Daæ, et pontem indignatus Araxes.

8 *Anartium:*] Anartes sunt eorum finitimi, Anarti Ptolemæo. Versimile est eos partem Hungariæ occupavisse.

9 *Neque quisquam est hujus Germaniæ*] Regiones illæ facile silvescunt, si ab hominum cultura vastæ fiunt, ut nostra memoria post magna ibidem gesta bella cognitum est. Ni-

initium ejus silvae dicat, quum dierum iter lx processerit; aut, quo ex loco oriatur, acceperit. Multa in eâ genera ferarum nasci constat, quae reliquis in locis visa non sint: ex quibus quae maximè differant ab caeteris, et memoriae prodenda videantur, haec sunt.

XXV. [1] Est bos cervi figurâ, cujus à mediâ fronte inter aures unum cornu existit excelsius, magisque directum his, quae nobis nota sunt, cornibus. Ab ejus summo sicut palmae, rami latè diffunduntur. Eadem est feminae marisque natura, eadem forma magnitudoque cornuum.

XXVI. [2] Sunt item quae appellantur Alces. Harum est consimilis capris figura, et varietas pellium, sed magnitudine paullò antecedunt, mutilaeque sunt cornibus, et crura sine nodis articulisque habent; neque quietis caussâ procumbunt; neque si quo afflictae casu conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. His sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant, atque ita, [3] paullùm modò reclinatae, quietem capiunt; quarum ex vestigiis quum est animadversum à venatoribus, quò se recipere consueverint, omnes eo loco, aut à radicibus subruunt, aut accidunt arbores tantum, ut summa species earum stantium relinquatur. Huc quum se ex consuetudine reclinaverint, infirmas arbores pondere affligunt, atque unà ipsae concidunt.

XXVII. [4] Tertium est genus eorum, qui Uri appellantur. Ii sunt magnitudine paullò infra Elephantos, specie et colore et figurâ tauri. Magna vis est eorum, et magna velocitas: neque homini, neque ferae, quam conspexerint, parcunt: hos studiosè foveis captos interficiunt. Hôc se labore durant adolescentes, atque hôc genere venationis exercent: et qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quae sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines, et mansuefieri ne parvuli quidem excepti possunt. Amplitudo cornuum, et figura et species multum à nostrorum boum cornibus differt. [5] Haec studiosè conquisita ab labris argento circumcludunt, atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.

NOTÆ,

hil ergo mirum eſt, ſi cum eſſent illi Germani ab agricultura alieni, tantas in regionibus ſuis ſilvas haberent.

1 *Eſt bos cervi figura,*] Non reperitur amplius in Germania. Igitur aut nulla fides Cæſari, qui quæ non viderit animalia deſcripſerit aut ſi vidit, quædam animalium genera interire dicendum eſſet, quod non eſt conſentaneum.

2 *Sunt item quæ appellantur Alces.*] Alcem aliter deſcribit Plinius lib. viii. *Ni proceritas,* inquit, *aurium et cervicis diſtinguat, jumento ſimilem.* Quæ vero capitur ex accitæ arboris inſidiis, non dicitur Alces, ſed Machlis, Alci quidem haud diſſimilis, neque in Germania eſſe, ſed dicitur in Scandinavia.

3 *Paullum modo reclinatæ quietem capiunt;*] De Alcium natura falſo et fallenti Cæſari ignoſcendum. Siquidem Solinus cap. 23. et de Alce et de Elephante tam cognito Romæ idem ſcripſit, et ipſe falſus, ſcilicet non poſſe ſurgere ſi quando cecidit.

4 *Tertium eſt genus eorum, qui Uri appellantur.*] Uros Plinius lib. viii. *excellenti vi et velocitate dicit, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cum id gignat Africa, vituli potius cervive quadam similitudine.* Idem fere de Uris habet Solinus, lib. xlii. quem conſulito Macrobius ſic de illis lib. vi. Saturnal. *Uri Gallica vox eſt, qua feri boves notantur.* *Thur,* vocant hodie Poloni, apud quos ſunt in Maſovia provincia tauris multo majores, toti nigri: tergore tamen alba linea circa ſpinam diſcriminato.

5 *Hæc ſtudioſe conquiſita*] Eadem habet Plinius lib. x[illegible]. *Urorum cornibus Barbari ſep-*

XXVIII. Caesar postquam per Ubios exploratores comperit Suevos sese in silvas recepisse, inopiam frumenti veritus, quòd, ut suprà demonstravimus, minimè omnes Germani agriculturae student, constituit non progredi longiùs; sed ne omnino metum reditûs sui barbaris tolleret, atque ut eorum auxilia tardaret, reducto exercitu, partem ultimam pontis, quae ripas Ubiorum contingebat, in longitudinem pedum CC rescindit, atque in extremo ponte turrim tabulatorum iv constituit, praesidiumque cohortium xii pontis tuendi caussâ ponit, magnisque eum locum munitionibus firmat. Ei loco praesidioque [1] C. Volcatium Tullum adolescentem praefecit: ipse, quum maturescere frumenta inciperent, ad bellum Ambiorigis profectus, [2] per Arduennam silvam, quae est totius Galliae maxima, atque ab ripis Rheni finibusque Trevirorum ad Nervios pertinet, [3] millibusque amplius D in longitudinem patet, [4] L. Minutium Basilum cum omni equitatu praemittit; si quid celeritate itineris atque opportunitate temporis proficere possit: monet, ut ignes fieri in castris prohibeat, ne qua ejus adventûs procul significatio fiat: sese confestim subsequi dicit.

XXIX. Basilus, ut imperatum est, facit: celeriter, contraque omnium opinionem confecto itinere, multos in agris inopinantes deprehendit: eorum indicio ad ipsum Ambiorigem contendit, quo in loco cum paucis equitibus esse dicebatur. [5] Multum quum in omnibus rebus, tum in re militari, fortuna potest. Nam sicut magno accidit casu, ut in ipsum incautum atque imparatum incideret, priùsque ejus adventus ab hominibus videretur, quàm famâ ac nuntiis afferretur: sic magnae fuit fortunae, omni militari instrumento, quod circum se habebat, erepto, rhedis equisque comprehensis, ipsum effugere mortem. Sed hoc eo factum est, quòd aedificio circumdato silvâ (ut sunt ferè domicilia Gallorum, qui, vitandi aestus caussâ, plerumque silvarum ac fluminum petunt propinquitates) comites familiaresque ejus angusto in

NOTÆ.

tentrionales potant, urnasque binas capitis unius cornua impleat. Urorum porro, inquit Solinus cap. 22. *taurina cornua in tantum modum protenduntur, ut dempta ob insignem capacitatem inter regias mensas potuum gerula fiant.* Iis cornibus tempore Vegetii usi sunt Romani in bello ad signa vocalia, ut tuba, et buccina.

1 *C. Volcatium Tullum*] C. Volcatii Tulli pater fuerat consul triennio, antequam fuisset Cicero consul: cujus ipse meminit Philip. 11.

2 *Per Arduennam silvam.*] De Arduenna ita habet Strabo, lib. iv. Ὕλη γάρ ἐστιν ἐξ ὑψηλῶν δένδρων, πολλὴ μὲν, οὐ τοσαύτη δὲ, ὅσην οἱ συγγραφεῖς εἰρήκασι τετρακισχιλίων σταδίων· καλοῦσι δ' αὐτὴν Ἀρδουένναν. *Silva est procerarum arborum permagna quidem, verum haud magnitudine tanta, quantam scriptores rerum tradiderunt, stadiis millibus quaternis eam vero Arduennam vocant.* Fortasse antè Strabonis tempora major fuerat. Ea vero nunc à Strabonis tempore longè minor est affecta; cultu enim agrorum augescente vastatur.

3 *Millibusque amplius* D *in longitudinem patet,*] Orosius emendat L; sed in silvâ quæ cæditur nihil potest esse certi.

4 *L. Minutium Basilum*] L. Minutius Basilus inter conjuratos erat, à quibus Cæsar est interfectus. Extat ad eum Ciceronis epistola, lib. viii ad Famil.

5 *Multum quum in omnibus rebus, &c.*] Id est quod Cicero Or. pro Marcel. *Fortuna maximam partem belli quasi suo jure vindicat.*

loco equitum nostrorum vim paullisper sustinuerunt. Iis pugnantibus, illum in equum quidam ex suis intulit; fugientem silvae texerunt: sic ad subeundum periculum, et ad vitandum, multum fortuna valuit.

XXX. Ambiorix copias suas judicione non conduxerit, quòd proelio dimicandum non existimaverit; an tempore exclusus, et repentino equitum adventu prohibitus fuerit, quum reliquum exercitum subsequi crederet, dubium est: sed certè, clàm dimissis per agros nuntiis, sibi quemque consulere jussit: quorum pars in Arduennam silvam, pars in continentes paludes profugit. Qui proximi Oceano fuerunt, [1] ii in insulis sese occultaverunt, quas aestus efficere consuêrunt. Multi ex suis finibus egressi, se suaque omnia alienissimis crediderunt. Cativulcus rex dimidiae partis Eburonum, qui unà cum Ambiorige concilium inierat, aetate jam confectus, quum laborem aut belli aut fugae ferre non posset, [2] omnibus precibus detestatus Ambiorigem, qui ejus consilii auctor fuisset, [3] taxo, cujus magna in Galliâ Germaniâque copia est, se exanimavit.

XXXI. Segni Condrusique, ex gente et numero Germanorum, qui sunt inter Eburones Trevirosque, legatos ad Caesarem miserunt, oratum, ne se in hostium numero duceret, neve omnium Germanorum, qui essent citra Rhenum, caussam esse unam judicaret: nihil se de bello cogitâsse, nulla Ambiorigi auxilia misisse. Caesar explorata re quaestione captivorum, si qui ad eos Eburones ex fugâ convenissent, ad se ut reducerentur, imperavit. Si ita fecissent, fines eorum se violaturum negavit. Tum copiis in tres partes distributis, impedimenta omnium legionum [4] Atuaticam contulit. Id castelli nomen est. Hoc ferè est [5] in mediis Eburonum finibus, ubi Titurius atque Au-

NOTÆ.

1 *Ii in insulis sese occultaverunt,*] Sunt Zelandiæ tempore Cæsaris, non nisi majore æstu oceani, mari undique dividebantur. Nec Zelandiæ tantum hoc eveniebat, sed et Vecti, ut testatur Diodorus, lib. vi. qui Augusti ævo scripsit: Ἴδιον δέ τι συμβαίνει περὶ τὰς πλησιοννήσους τὰς μεταξὺ κειμένας τῆς τε Εὐρώπης καὶ τῆς Βρεταννικῆς· Κατὰ μὲν γὰρ τὰς πλημμυρίδας τοῦ μεταξὺ πόρου πληρουμένου νῆσοι φαίνονται, κατὰ δὲ τὰς ἀμπώτεις ἀποῤῥεούσης τῆς θαλάσσης, καὶ πολὺν τόπον ἀναξηραινούσης θεωροῦνται χεῤῥόνησοι. *Proprium quid videtur eis insulis contingere, quæ Britanniam Europamque interjacent: accessu enim maris insulæ, recessu vero, cum interjectus locus plurimus deficitur aquis, videntur peninsulæ.*

2 *Omnibus precibus detestatus Ambiorigem,*] Id est execrationibus, ut Horatius, lib. II. Sat. 6.

> ——*improbus urget*
> *Iratis precibus*——

3 *Taxo,*] In Gallia nunc rara est arbor, diciturque *If*; sed inter Hoium et Namurcum, quæ regio est Eburonum, magna adhuc copia esse dicitur. Inde, ut ait Plinius, lib. xvi. cap 10. *Taxica dicta quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tinguntur.* Virgil.

> ——*apertos*
> *Bacchus amat colles, aquilonem et frigora taxi.*

De qua arbore habet Dioscorides, cap. 75. libri iv. item lib. v. cap. 12. Plutarchus cum florescit tantum nocere, scribit. Plinius vero, lib. xvi. cap. 10. *Vasa viatoria ex ea* (taxo) *vinis in Gallia facta mortifera fuisse compertum est.*

4 *Atuaticam*] Atuatica ignoratur. Hubertus Thomas Leodiensis ait esse legendum Vatucam, et se id nomen invenisse in manuscripto uno et impresso altero, et vix medio milliari Germanica à Leodico esse in summa planitie. Fides sit penes autorem. Certe legitur apud Ptolem. Ἀτουάκουτον Τούγγρων. *Atuacutum Tungrorum.*

5 *In mediis Eburonum finibus,*] Fines non qui limites dicuntur, sed regio, *pais.*

tunculeius hiemandi caussâ consederant. Hunc quum reliquis rebus locum probabat Caesar, tum quòd superioris anni munitiones integrae manebant, ut militum laborem sublevaret; praesidio impedimentis legionem XIV reliquit, unam ex iis III, quas proximè conscriptas ex Italiâ transduxerat. Ei legioni castrisque Q. Tullium Ciceronem praefecit, ducentosque equites attribuit.

XXXII. Partito exercitu, T. Labienum cum legionibus III ad Oceanum versùs, in eas partes quae Menapios attingunt, proficisci jubet. C. Trebonium cum pari legionum numero ad eam regionem, quae Atuaticis adjacet, depopulandam mittit. Ipse cum reliquis tribus ad flumen [1] Scaldim, quod influit in Mosam, extremasque Arduennae partes ire constituit, quò cum paucis equitibus profectum Ambiorigem audiebat. Discedens, post diem VII sese reversurum confirmat; quam ad diem ei legioni, quae in praesidio relinquebatur, deberi frumentum sciebat. Labienum Treboniumque hortatur, si Reip. commodo facere possint, ad eam diem revertantur, ut, rursùs communicato consilio, exploratisque hostium rationibus, aliud initium belli capere possint.

XXXIII. Erat, ut suprà demonstravimus, manus certa nulla, non praesidium, non oppidum, quod se armis defenderet, sed in omnes partes dispersa multitudo: ubi cuique aut vallis abdita, aut locus silvestris, aut palus impedita, spem praesidii aut salutis aliquam offerebat, consederat. Haec loca vicinitatibus erant nota, magnamque res diligentiam requirebat, non in summâ exercitûs tuendâ (nullum enim poterat universis perterritis ac dispersis, periculum accidere) sed in singulis militibus conservandis: quae tamen ex parte res ad salutem exercitûs pertinebat. Nam et praedae cupiditas multos longiùs evocabat; ac silvae, incertis occultisque itineribus, confertos adire prohibebant. Si negotium confici, stirpemque hominum sceleratorum interfici vellet, dimittendae plures manus, diducendique erant milites; si continere ad signa manipulos vellet, ut instituta ratio et consuetùdo exercitûs R. postulabat, locus ipse erat praesidio barbaris: neque ex occulto insidiandi, et dispersos circumveniendi, singulis deerat audacia. At in ejusmodi difficultatibus, quantum diligentiâ provideri poterat, providebatur, ut potiùs in nocendo aliquid omitteretur, etsi omnium animi ad ulciscendum ardebant, quàm cum aliquo detrimento militum noceretur. Caesar ad finitimas civitates nuntios dimittit: omnes evocat spe praedae ad diripiendos Eburones: ut potiùs in silvis Gallorum vita, quàm [2] legionariorum periclitaretur: simul ut magnâ

NOTAE.

1 *Scaldim,*] Scaldis, *L'escaut*. Cum non videatur nunc in Mosam Scaldis influere, sunt qui reponunt Sabim *la Sambre*. Sed non verisimile fit Ambiorigem præsidia versus Romanorum capturum fugam fuisse, et peccasse Cæsarem in ea re quam viderit. Sed nunc non erat in medio mari Zelandia, ut nunc est, et Diodorum ejus res testem idoneum modo laudavimus.

2 *Legionariorum*] Legionarii erant Romani, nec enim ex aliis legio constabat.

multitudine circumfusâ, pro tali facinore [1] stirps ac nomen civitatis tollatur. Magnus undique numerus celeriter convenit.

XXXIV. Haec in omnibus Eburonum partibus gerebantur, diesque appetebat VII, quem ad diem Caesar ad impedimenta legionemque reverti constituerat. Hic, quantum in bello fortuna possit, et quantos afferat casus, cognosci potuit. Dissipatis ac perterritis hostibus, ut demonstravimus, manus erat nulla, quae parvam modò timoris caussam afferret. Trans Rhenum ad Germanos pervenit fama, diripi Eburones, atque ultro omnes ad praedam evocari. Cogunt equitum II millia [2] Sicambri, qui sunt proximi Rheno, à quibus receptos ex fugâ Tenchtheros atque Usipetes, suprà docuimus. Transeuntes Rhenum navibus ratibusque, XXX millibus passuum infra eum locum, ubi pons erat imperfectus, praesidiumque ab Caesare relictum, primos Eburonum fines adeunt: multos ex fugâ dispersos excipiunt: magno pecoris numero, cujus sunt cupidissimi barbari, potiuntur. Invitati praedâ longiùs procedunt. Non hos palus in bello latrociniisque natos, non silvae morantur. Quibus in locis sit Caesar, ex captivis quaerunt: profectum longiùs reperiunt, omnemque exercitum discessisse cognoscunt. Atque unus ex captivis, Quid vos, inquit, hanc miseram et tenuem sectamini praedam, quibus jam licet esse fortunatissimis? III horis Atuaticam venire potestis: huc omnes suas fortunas exercitus Romanorum contulit: praesidii tantum est, ut ne murus quidem cingi possit, neque quisquam egredi extra munitiones audeat. Oblatâ spe, Germani, quam nacti erant praedam, in occulto relinquunt: ipsi Atuaticam contendunt, usi eodem duce, cujus haec indicio cognoverant.

XXXV. Cicero, qui per omnes superiores dies, praeceptis Caesaris, summâ diligentiâ milites in castris continuisset, ac ne [3] calonem quidem quemquam extra munitionem egredi passus esset, VII die diffidens Caesarem de numero dierum fidem servaturum, quòd longiùs eum progressum audiebat, neque ulla de ejus reditu fama afferebatur; simul eorum permotus vocibus, qui illius patientiam penè obsessionem appellabant, siquidem ex castris egredi non liceret: nullum hujusmodi casum exspectans, quo, IX oppositis legionibus, maximoque equitatu, dispersis ac penè deletis hostibus, in millibus passuum III offendi posset: V cohortes frumentatum in proximas segetes misit, quas inter et castra unus omnino collis intererat. Complures erant in castris ex legionibus aegri relicti; ex quibus qui hôc spatio dierum convaluerant, circiter CCC sub vexillo unà mittuntur: magna praeterea multitudo calonum, magna vis jumentorum, quae in castris subsederat, factâ potestate, sequitur.

NOTAE.

1 *Stirps ac nomen civitatis tollatur,*] Si non ſtirps, at ſaltem nomen ſublatum, omnibus in Tungrorum nomen concedentibus. Nec poſtea florentibus Romanorum rebus, quiſquam auſus ſe Eburonem profiteri.

2 *Sicambri,*] De Sicambris ſupra dictum.

3 *Calonem*] De Calonibus item ſupra dictum.

XXXVI. Hôc ipso tempore et casu Germani equites interveniunt, protinusque eodem illo, quo venerant, cursu, ab [1] Decumana portâ in castra irrumpere conantur: nec priùs sunt visi, objectis ab eâ parte silvis, quàm castris appropinquarent, usque eò, [2] ut qui sub vallo tenderent mercatores, recipiendi sui non haberent facultatem. Inopinantes nostri re novâ perturbantur, ac vix primum impetum cohors in statione sustinet: circumfunduntur hostes ex reliquis partibus, si quem aditum reperire possent: [3] aegrè nostri portas tuentur: reliquos aditus locus ipse per se munitioque defendit: totis trepidatur castris, atque alius ex alio caussam tumultûs quaerit: neque quò signa ferantur, neque quam in partem quisque conveniat, provident. Alius jam capta castra pronuntiat: alius, deleto exercitu atque Imperatore, victores barbaros venisse contendit; plerique novas sibi ex loco religiones fingunt, Cottaeque et Titurii calamitatem, qui in eodem occiderint castello, ante oculos ponunt. Tali timore omnibus perterritis, confirmatur opinio barbaris, ut ex captivo audierant, nullum esse intus praesidium: perrumpere nituntur, seque ipsi adhortantur, ne tantam fortunam ex manibus dimittant.

XXXVII. Erat aeger in praesidio relictus P. Sextius Baculus, [4] qui primum pilum apud Caesarem duxerat, cujus mentionem superioribus proeliis fecimus: ac diem jam v cibo caruerat. Hic, diffisus suae ac omnium saluti, inermis ex tabernaculo prodit: videt imminere hostes, atque in summo esse rem discrimine: capit arma à proximis, atque in portâ consistit. [5] Sequuntur hunc centuriones ejus cohortis quae in statione erat: paullisper proelium unâ sustinent: relinquit animus Sextium, gravibus acceptis vulneribus: aegrè per manus tractus, servatur. Hoc spatio interposito, reliqui sese confirmant, tantùm ut in munitionibus consistere audeant, speciemque defensorum praebeant.

XXXVIII. Interim, confectâ frumentatione, milites nostri clamorem exaudiunt; praecurrunt equites; quanto res sit in periculo, cognoscunt. Hic verò nulla munitio est, quae perterritos recipiat. Modò conscripti, atque usûs militaris imperiti, ad tribunum mil. centurionesque ora convertunt; quid ab his praecipiatur, exspectant. Nemo est tam fortis, quin rei novitate perturbetur. Barbari, signa procul conspicati,

NOTAE.

1 *Decumana*] Decumana porta, ut refert Vegetius, ab hoſtibus averſa, portæ Prætoriæ oppoſita, qua milites, ſi qui deliquerant, ad pœnam rapiebantur.

2 *Ut qui ſub vallo tenderent mercatores.*]

Hic Dolopum manus, hic ſævus tendebat Achilles.

Virgil. Æneid. I. Hinc porro videtur Romanis non fuiſſe permiſtos in caſtris mercatores cum militibus; ſed contra caſtra, unde receptum in caſtra habebant, ſi quid eſſet novi.

3 *Ægre noſtri portas tuentur:*] Portis enim non erat objecta foſſa, ut locis aliis caſtrorum, ſed planus ad illas erat aditus.

4 *Qui primum pilum*] Qui primus Triariorum Centurio, ſive Triariorum Manipulo in prima cohorte præerat, reliquos omnes Centuriones dignitate præcedebat, conſiliique particeps fiebat, et Primopilus dicebatur.

5 *Sequuntur hunc centuriones ejus cohortis quæ in ſtatione erat.*] Non enim, ut nunc vigili uni, aut alteri extra caſtra conſtituto ſalus univerſorum credebatur: ſed tota cohors ante portas ſtabat, quæ à ſtando jamjam pugnaturæ ſimilis, in ſtatione eſſe dicebatur.

ab oppugnatione desistunt; redisse primò legiones credunt, quas longiùs discessisse ex captivis cognoverant: Postea, despectâ paucitate, ex omnibus partibus impetum faciunt.

XXXIX. Calones in proximum tumulum procurrunt: hinc celeriter dejecti, se in signa [1] manipulosque conjiciunt: eò magìs timidos perterrent milites. Alii, [2] cuneo facto ut celeriter perrumpant, censent; quoniam tam propinqua sint castra, etsi pars aliqua circumventa ceciderit, àt reliquos servari posse, confidunt. Alii, ut in jugo consistant, àtque eùndem omnes ferant casum. Hoc veteres non probant milites, quos sub vexillo unà profectos docuimus. Itaque inter se cohortati, duce C. Trebonio equite Rom. qui eis erat praepositus, per medios hòstes perrumpunt, incolumesque ad unum in castra perveniunt omnes. Hos subsecuti calones equitesque eodem impetu, militum virtute servantur. At ii, qui in jugo constiterant, nullo etiam nunc usu rei militaris (percepto), neque in eo, quod probaverant, consilio permanere, ut se loco superiore defenderent, neque eam, quam profuisse aliis vim celeritatemque viderant, imitari potuerunt: sed se in castra recipere conati, iniquum in locum demiserunt. Centuriones, quorum nonnulli [3] ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum, caussâ virtutis, in superiores erant ordines hujus legionis transducti, ne ante partam rei militaris laudem amitterent, fortissimè pugnantes conciderunt: militum pars, horum virtute summotis hostibus, praeter spem incolumis in castra pervenit: pars, à barbaris circumventa, periit.

XL. Germani, desperatâ expugnatione castrorum, quòd nostros jam constitisse in munitionibus videbant, cum eâ praedâ, quam in silvis deposuerant, trans Rhenum sese receperunt: ac tantus fuit, etiam post discessum hostium, terror, ut eâ nocte, quum C. Volusenus missus cum equitatu ad castra venisset, fidem non faceret adesse cum incolumi Caesarem exercitu. Sic omnium animos timor praeoccupaverat, ut penè alienatâ mente, deletis omnibus copiis, equitatum tantum se ex fugâ recepisse dicerent, neque, incolumi exercitu, Germanos castra oppugnaturos fuisse, contenderent: quem timorem Caesaris adventus sustulit.

XLI. Reversus ille, eventûs belli non ignarus, unum, quòd cohortes ex statione et praesidio essent emissae, questus, [4] ne minimo quidem casu locum relinqui debuisse, multum fortunam in repentino hostium adventu potuisse, judicavit: multo etiam amplius, quòd penè ab ipso vallo,

NOTÆ.

1 *Manipulosque*] Singuli Manipuli binos habebant Centuriones. Itaque manipulos major erat centuria, ut constat ex A. Gellio.

2 *Cuneo facto*] Cuneus dicebatur acies figuram habens cunei, quam Veget. lib. iii. cap. 19. dicit milites appellasse caput porcinum. Adversariorum ordines perrumpebat; nam in unum locum à pluribus tela conjiciebantur.

3 *Ex inferioribus ordinibus*] Lente ex inferioribus ordinibus promovebantur ad primos, nisi virtute excellenti, aut forti facto derepente fuissent nobilitati.

4 *Ne minimo quidem casu*, &c.] Vel hic solus locus probat Cæsarem dandi casu uti in *u* desinente, quod Gellius, lib. iv. cap. 16, dicit; sed locus non unus est.

portisque castrorum barbaros avertissent. Quarum omnium rerum maximè admirandum videbatur, quòd Germani, qui eo consilio Rhenum transiêrant, ut Ambiorigis fines depopularentur, ad castra Romanorum delati, optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerunt.

XLII. Caesar ad vexandos rursus hostes profectus, magno coacto numero ex finitimis civitatibus, in omnes partes dimittit. Omnes vici, atque omnia aedificia, quae quisque conspexerat, incendebantur: praeda ex omnibus locis agebatur: frumenta non solum à tantâ multitudine jumentorum atque hominum consumebantur; sed etiam anni tempore atque imbribus procubuerant: ut, si qui etiam in praesentiâ se occultâssent, tamen iis, deducto exercitu, rerum omnium inopiâ pereundum videretur. Ac saepe in eum locum ventum est, tanto in omnes partes diviso equitatu, ut non modò visum ab se Ambiorigem in fugâ captivi, sed nec planè etiam abisse ex conspectu, contenderent: ut spe consequendi illatâ, atque infinito labore suscepto, qui se summam à Caesare gratiam inituros putarent, penè naturam studio vincerent, semperque paullùm ad summam felicitatem defuisse videretur: atque ille latebris, ac silvis aut saltibus se eriperet, et noctu occultatus, alias regiones partesque peteret, non majore equitum praesidio quam IV, quibus solis vitam suam committere audebat.

XLIII. Tali modo vastatis regionibus: exercitum Caesar, [1] duarum cohortium damno, [2] Durocortorum Rhemorum reducit: concilioque in eum locum Galliae indicto, de conjuratione Senonum et Carnutum quaestionem habere instituit: et de Accone, qui princeps ejus consilii fuerat, graviore sententiâ pronuntiatâ, [3] more majorum supplicium sumpsit. Nonnulli, judicium veriti, profugerunt, [4] quibus quum aquâ atque igni interdixisset, II legiones ad fines Trevirorum, II in Lingonibus, IV reliquas in Senonum finibus [5] Agendici in hibernis collocavit: frumentoque exercitui proviso, ut instituerat, in Italiam ad conventus agendos profectus est.

NOTAE.

1 *Duarum cohortium damno,*] Omiſſis duabus cohortibus à Sicambris interfectis.

2 *Durocortorum*] Rhemorum eſt metropolis *Rheims.*

3 *More majorum ſupplicium ſumpſit.*] Dubium an more Gallorum, an Romanorum ſupplicio affecerit. Si Romanorum more: ut Guturvatum puniendum curavit, qui virgis cæſus, deinde ſecuri percuſſus fuit.

4 *Quibus quum aqua atque igni interdixiſſet,*] Sine aqua et igne vita coli non poteſt, quia hæ duæ res vitam maxime continent. Aqua igitur et igne interdicere, idem eſt ac ne quis alicubi vivat prohibere; itaque ipſi alio migrandam ſtatuere. Ovidius libro iv. Faſtorum:

Ad quod in his vitæ cauſa eſt, hæc perdidit exul?

5 *Agendici*] Agendicum reponendum eſt. Metropolis Senonum ad Icaunum fluvium, *Ione.*

LIBER VII.

ARGUMENTUM.

Hoc libro totius ferè Galliæ defectio describitur: atque inde bellum contra Vercingetorigem Gallorum regem: quo Vellaunodunum; Noviodunum deditur: Genabum et Avaricum vi expugnatur à Cæsare: frustra magnoque Romanorum periculo Gergovia obsidetur; tandem apud Alexiam summis viribus pugnatur; qua pugna et oppidum et Vercingetorix capitur.

I. QUIETA Galliâ, Caesar, ut constituerat, in Italiam ad [1] conventus agendos proficiscitur: ubi cognoscit de [2] P. Clodii caede: de [3] Senatûsque consulto certior factus, ut omnes Italiae juniores [4] conjurant, [5] delectum totâ provinciâ habere instituit. Eae res in Galliam transalpinam celeriter perferuntur. Addunt ipsi et affingunt rumoribus Galli, quod res poscere videbatur: [6] retineri urbano motu Caesarem, neque in tantis dissensionibus ad exercitum venire posse. Hâc impulsi occasione, qui jam antè se populi R. imperio subjectos dolerent, liberiùs atque audaciùs de bello consilia inire incipiunt. Indictis inter se principes Galliae conciliis,

NOTÆ.

1 *Conventus agendos*] Conventus agebantur, ut jurisdictioni daretur opera: quod hieme fiebat, cum militia fuerat æstas transacta. Sed non eo animo Cæsar fuerat in Italiam profectus, verum ut proxime urbem suas res facilius curare posset.

2 *P. Clodii*] Clodius nobilissimus idem et audacissimus post multa in Rep. male gesta tandem à T. Annio Milone, cum quo longas simultates exercuerat, in via Appia interfectus est. Inde ingentes in Rep. turbæ, orationemque pro Milone inimici sui interfectore Cicero habuit, nec minus ob id factum in exilium pulsus est Milo.

3 *Senatusque consulto*] Asconius Pedianus in argumento in orationem Ciceronis pro Milone historiam hanc explicat, ubi scribit tantum fuisse in urbe tumultum propter Clodii cædem et Milones factionem, ut Senatusconsultum factum sit, ut Interex et tribuni pleb. et Cn. Pompeius, qui pro consule ad urbem erat, viderent, ne quid Resp. detrimenti caperet, delectusque tota Italia haberentur.

4 *Conjurarent.*] Conjuratio dicebatur, cum quia singulos interrogare non vacabat, duobus prolatis vexillis, altero roseo, quo pedites, altero cæruleo, quo equites, dicebatur: Qui vult Remp. salvam, me sequatur. Tum qui convenerant, conjurabant, id est, simul jurabant. Quare dicebatur ista militia, conjuratio. Nec fieri licebat, nisi in bello Italico, vel Gallico. De sacramento porro militari est supra dictum.

5 *Delectum tota provincia habere instituit.*] Nempe Gallia cisalpina, quæ cum Illyrico adjuncto, per legem Vatiniam fuit ab initio Cæsaris provincia; postea enim per Senatum Galliam comatam obtinuerat.

6 *Retineri urbano motu Cæsarem.*] Plutarch. in Cæsare testatur, si paulo post, implicito jam civili bello Cæsare, rem aggressus esset Vercingetorix, non minorem fuisse futurum in Italia metum, quam in Cimbrorum fuisset adventu

silvestribus ac remotis locis, queruntur de Acconis morte: hunc casum ad ipsos recidere posse demonstrant: miserantur communem Galliae fortunam: omnibus pollicitationibus ac praemiis deposcunt, qui belli initium faciant, et sui capitis periculo Galliam in libertatem vindicent. Ejus in primis rationem habendam esse dicunt, priùs quàm eorum clandestina consilia efferantur, ut Caesar ab exercitu intercludatur. Id esse facile, quòd neque legiones, absente Imperatore, audeant ex hibernis egredi, neque Imperator sine praesidio ad legiones pervenire possit. Postremò in acie praestare interfici, quàm non veterem belli gloriam, libertatemque quam à majoribus acceperint, recuperare.

II. His rebus agitatis, profitentur Carnutes, se nullum periculum communis salutis caussâ recusare: principesque se ex omnibus bellum facturos pollicentur: et quoniam in praesentiâ [1] obsidibus cavere inter se non possent, ne res efferatur, ut jurejurando ac fide sanciatur, petunt, (collatis militaribus signis, quo more eorum gravissimae ceremoniae continentur) ne facto initio belli, à reliquis deserantur. Tunc collaudatis Carnutibus, dato jurejurando ab omnibus qui aderant, tempore ejus rei constituto, ab concilio disceditur.

III. Ubi ea dies venit, Carnutes, Cotuato et Conetuduno ducibus, desperatis hominibus, [2] Genabum dato signo concurrunt: civesque Romanos, qui negotiandi caussâ ibi constiterant, in iis C. Fusium Cottam, honestum equitem Romanum, qui rei frumentariae, jussu Caesaris, praeerat, interficiunt, bonaque eorum diripiunt. Celeriter ad omnes Galliae civitates fama perfertur. (Nam ubi major atque illustrior incidit res, [3] clamore per agros regionesque significant; hunc alii deinceps excipiunt, et proximis tradunt, ut tunc accidit.) Nam quae Genabi

NOTÆ.

1 *Obsidibus cavere*, &c.] Utrique enim parti, ab altera ne desereretur, cavendum erat, atque ita satisfaciendum simul et satis accipiendum. Quod obsidibus fuisset effectum, nisi metus Romanorum imminentium cervicibus obstitisset.

2 *Genabum*] Genabum, *Orleans*, teste Aimoino, qui Roberti regis Francorum tempore floruit. Æthicus in Itinerario ponit Genabum inter Lutetiam et Bribodorum, *Briare* à Bribodoro distans xxxvii millibus passuum, à Lutetia xlviii. Tabula Pentingeriana Genabum inter Cæsarodunum et Brivodorum seu Bribodorum ponit, qui situs cum mensuris itinerum conjunctus, docet esse *Orleans*. Giemacum, *Gien* non potest esse; nam ad Senones pertinet, cum sit Antissidorensis Diœcesis; Aureliani vero, ut videtur, erant Carnutes. A quo nomen, quod habet, invenerit, non satis constat. Forte ab Aureliano Imperatore restitutore. In notitiis veteribus, quarum vetustissimæ Honorio imperante descriptæ, civitas Aurelianorum appellatur.

3 *Clamore per agros*] Ejusmodi fere fuerunt apud Persas, ut scripsit Cleomedes, cujus habetur liber Græce Latineque Burdegalæ impressus, de circulis cælestibus. Ait enim dispositis per stationes à Susis Athenas usque, cum Persarum rex bellum inferret Græciæ, et voce per ejusmodi homines suscepta, tanta celeritate istam vocem fuisse perlatam, ut horis xlviii è Græcia in Persas pervenerit. Idem fere habet Diodorus in rebus gestis Eumenis, eodem invento quosdam Persarum, qui xxx dierum spatio abessent, eodem die quo res gesta erat, cognovisse.

oriente sole gesta essent, ante primam confectam vigiliam in finibus Arvernorum audita sunt: [1] quod spatium est millium passuum circiter clx.

IV. Simili ratione ibi Vercingetorix Celtilli filius, Arvernus, summae potentiae adolescens, cujus pater principatum Galliae totius obtinuerat, et ob eam caussam, quòd regnum appetebat, ab civitate erat interfectus, convocatis suis clientibus, facilè eos incendit. Cognito ejus consilio, ad arma concurritur. Ab Gobanitione patruo suo, reliquisque principibus, qui hanc tentandam fortunam non existimabant, expellitur ex oppido [2] Gergovia. Non tamen desistit, atque in agris habet delectum egentium ac perditorum. Hâc coactâ manu, quoscunque adit ex civitate, in suam sententiam perducit. Hortatur, ut communis libertatis caussâ arma capiant: magnisque coactis copiis, adversarios suos, à quibus paullò antè erat ejectus, expellit ex civitate. Rex ab suis appellatur: dimittit quoquoversùs legationes: obtestatur ut in fide maneant. Celeriter sibi Senones, Parisios, Pictones, [3] Cadurcos, Turones, [4] Aulercos, [5] Lemovices, Andes, reliquosque omnes, qui oceanum attingunt, adjungit. Omnium consensu ad eum defertur imperium. Quâ oblatâ potestate, omnibus iis civitatibus obsides imperat. Certum numerum militum celeriter ad se adduci jubet. Armorum quantum quaeque civitas domi, quodque ante tempus efficiat, constituit. In primis equitatui studet. Summae diligentiae summam imperii severitatem addit: magnitudine supplicii dubitantes cogit. Nam, majore commisso delicto, igni atque omnibus tormentis necat: leviore de caussâ, auribus defectis, aut [a] singulis effossis oculis, domum remittit, ut sint reliquis documento, et magnitudine pœnae perterreant alios.

V. His suppliciis celeriter coacto exercitu, Lucterium Cadurcum summae hominem audaciae cum parte copiarum in [6] Ruthenos mittit;

INTERPRETATIO.

a *Uno oculo effosso.*

NOTÆ.

1 *Quod spatium est millium circiter* clx.] Nos spatia locorum leucis fere metimur, quæ singulæ horæ astronomicæ spatio circiter confici solent. Quæritur, quot milliaria antiqua sive Romana leucam nostram impleant: et vulgo tria ad nostram leucam requiruntur. Arbitror errare, quod Italica hujus temporis milliaria eadem esse atque antiqua putant. Antonini habemus Itinerarium, unde satis intelligitur illa milliaria his fuisse minora. Accedunt et lapides multis in locis positi, ubi singula milliaria inscriptæ columnæ distinguunt, quæ qui emensi sunt, non dubitant quatuor ejusmodi milliaribus leucam nostram constare.

2 *Gergovia*,] Urbs, quæ prope Clarum montem, cujus etiam ruinæ visuntur. Olim erat Arvernorum primaria, nunc nomen retinet *Girgoie*. Sidonius Arvernus Clarummontem vocat: *Oppidum et municipium Arvernum non procul à veteri Gergovia.*

3 *Cadurcos*,] Cadurci *Ceux de Quercy*.

4 *Aulercos*,] Aulercorum triplex est genus, Cenomani *ceux de Mans*. Alii Eburovices, *ceux d'Evreux*. Alii Diablintes, supra vel infra Venetos.

5 *Lemovices*,] Non sunt ii qui Cadurcis sunt finitimi, sed in Armorica. Lemovices enim sunt duplices, Armorici et Aquitani. Priores, conjectura est non levis esse, *Leon*; posteriores, *Limosins*.

6 *Ruthenos*] Rutheni, *Rouergue*. De cæteris populis supra dictum.

ipse in Bituriges proficiscitur. Ejus adventu Bituriges ad Aeduos, quorum erant in fide, legatos mittunt, subsidium rogatum, quò faciliùs hostium copias sustinere possint. Aedui de concilio legatorum, quos Caesar ad exercitum reliquerat, copias equitatûs peditatûsque subsidio Biturigibus mittunt: qui quum ad flumen Ligerim venissent, quod Bituriges ab Aeduis dividit, paucos dies ibi morati, neque flumen transire ausi, domum revertunt: legatisque nostris renuntiant, se Biturigum perfidiam veritos revertisse: quibus id concilii fuisse cognoverint, ut si flumen transîssent, unâ ex parte [a] ipsi, alterâ Arverni se circumsisterent. Id eâne de caussâ, quam legatis pronuntiârunt, an perfidiâ adducti fecerint, quòd nihil nobis constat, non videtur pro certo esse ponendum. Bituriges eorum discessu statim se cum Arvernis conjungant.

VI. His rebus in Italiam Caesari nuntiatis, quum jam ille virtute Cn. Pompeii urbanas res commodiorem in statum pervenisse intelligeret, in transalpinam Galliam profectus est. Eò quum venisset, magnâ difficultate afficiebatur, quâ ratione ad exercitum pervenire posset. Nam si legiones in provinciam accerseret, se absente, in itinere prœlio dimicaturas intelligebat: si ipse ad exercitum contenderet, ne iis quidem, qui eo tempore pacati viderentur, suam salutem rectè committi videbat.

VII. Interim Lucterius Cadurcus in Ruthenos missus, eam civitatem Arvernis conciliat. Progressus in [1] Nitiobriges et [2] Gabalos, ab utrisque obsides accipit: et magnâ coactâ manu, in provinciam, [3] Narbonem versûs, eruptionem facere contendit. Quâ re nuntiatâ, Caesar omnibus consiliis antevertendum existimavit, ut Narbonem proficisceretur. Eò quum venisset, timentes confirmat, praesidia in [4] Ruthenis Provincialibus, [5] Volcis, Arecomicis, Tolosatibus, circumque Narbonem, quae loca erant hostibus finitima, constituit: partem copiarum ex provinciâ, [6] supplementumque, quod ex Italiâ adduxerat, in [7] Helvios, qui fines Arvernorum contingunt, convenire jubet.

INTERPRETATIO.

a *Biturigis.*

NOTAE.

1 *Nitiobriges*] Quorum caput Ptolemæo Aginnum, *Agen.*

2 *Gabulos,*] Gabali *ceux de Gavaudan* quorum caput Anderitum eſt Ptolemæo.

3 *Narbonem verſus,*] De Narbone ſupra. Hic vero notandum, in aureo illo latinitatis puræ ſæculo, nunquam aliter dici licuiſſe, quam poſtpoſito *verſus.* Narbonem verſus, non verſus Narbonem. Sequiori ætate aliter viſum.

4 *Ruthenis Provincialibus,*] Deleo virgulam, ut iidem ſint Rutheni qui Provinciales. Erat enim quædam pars Ruthenorum ſub imperio pop. Rom. atque adeo Provincialis, quos Plinius in Gallia Narbonenſi collocat.

5 *Volcis Arecomicis,*] Volcæ, Arecomici, *ceux d'Uſez et de Niſmes,* ex Plinio qui Nemauſum vocat Arecomicorum.

6 *Supplementumque quod ex Italia abduxerat,*] Supra enim dixerat, delectum tota Italia habere inſtituit.

7 *Helvios,*] Helvii, quid ad Scaligerum uſque pro Albigenſibus habiti ſunt, jam adnoſcuntur eſſe *Vivarais.* Albigenſes enim ad Tarnem fluvium ſunt in Aquitania: Helvii autem ad Rhodanum. Alba Helviorum Plinio dicitur. In notitiis veteribus provinciæ Viennenſis civitatum, civitas Albenſium Vivaris, Concilio Epaonenſi adfuit Epiſcopus civitatis Albenſium Venantius. In codice Pithœano eſt, *ſive Vivarienſis.* Ille ipſe Venantius eſt in Synodo conſenſu Theodoberti regis in urbe Arverna ha-

VIII. His rebus comparatis, represso jam Lucterio et remoto, quòd [1] intrare intra praesidia periculosum putabat, in Helvios proficiscitur. Etsi mons [2] Cebenna, qui Arvernos ab Helviis discludit, durissimo tempore anni, altissimâ nive itèr impediebat; tamen discussâ nive vi in altitudinem pedum, atque ita viis patefactis, summo militum labore ad fines Arvernorum pervenit. Quibus oppressis inopinantibus, quòd se Cebennâ, ut muro, munitos existimabant, ac ne singulari quidem homini unquam eo tempore anni semitae patuerant, equitibus imperat, ut, quàm latissimè possent, vagentur, et quàm maximum hostibus terrorem inferant. Celeriter haec famâ ac nuntiis ad Vercingetorigem perferuntur: quem perterriti omnes Arverni circumsistunt, atque obsecrant, ut suis fortunis consulat, neu se ab hostibus diripi patiatur, praesertim quum videat omne ad se bellum translatum. Quorum ille precibus permotus, castra ex Biturigibus movet in Arvernos versus.

IX. At Caesar biduum in iis locis moratus, quòd haec de Vercingetorige usu ventura, opinione praeceperat, per caussam supplementi equitatûsque cogendi, ab exercitu discedit; Brutum adolescentem iis copiis praefecit: hunc monet, ut in omnes partes equites quàm latissimè pervagentur, daturum se operam, ne longiùs triduo ab castris absit. His constitutis rebus, suis inopinantibus, quàm maximis potest itineribus [3] Viennam pervenit. Ibi nactus recentem equitatum, quem multis antè diebus eò praemiserat, neque diurno neque nocturno itinere intermisso, per fines Aeduorum in Lingones contendit, ubi 11 legiones hiemabant, ut si quid etiam de suâ salute ab Aeduis iniretur consilii, celeritate praecurreret. Eò quum pervenisset, ad reliquas legiones mittit, priusque in unum locum omnes cogit, quàm de ejus adventu Arvernis nuntiari posset. Hâc re cognitâ Vercingetorix rursus in Bituriges exercitum reducit, atque inde profectus (Gergoviam) [4] Boiorum oppidum, quos ubi Helvetico prœlio victos Caesar collocaverat, Aeduisque attribuerat, oppugnare instituit.

X. Magnam haec res Caesari difficultatem ad consilium capiendum afferebat, si reliquam partem hiemis uno in loco legiones contineret,

NOTÆ.

bita, post consulatum Paulini Junioris, ubi dicitur Episcopus Ecclesiæ Vivariensis. Sed Cæsar non scribit illos Helvios extra provinciam esse. Nec erant revera ut visum est Scaligero, qui ea in re erravit, deceptus à Strabone, qui xiv gentibus inter Garumnam Ligerumque positus, Helvios quoque annumerat lib. iv. Geograph.

1 *Intrare intra præsidia periculosum putabat.*] Id est, in loco irrumpere, quæ præsidiis Romanorum tenebantur, id est in Volcas Arecomicos, et Tectosages, Narbonenses, &c.

2 *Gebenna*] *Les Cevennes.* Dicendum sic, non Gebenna, à Rhodano per Vellavos Gabalosque et Arvernos ad Garumnam usque promittitur, quos, ut Cadurcos Ruthenosque dividit in superiores et inferiores, quæ per Arvernos dicitur, *Montagnes d'Auvergne.*

3 *Viennam*] Vienna metropolis Allobrogum, *Vienne en Dauphiné.*

4 *Boiorum*] Boii qui fuerint haud facile dictu est. Putarim illos esse, qui Ligerim et Elavar inter sunt positi, ubi est urbs Molinensis, quæ Æduensis diœceseos hodieque est.

ne, stipendiariis Aeduorum expugnatis, cuncta Gallia deficeret, quòd nullum in eo amicis praesidium videretur positum esse: sin maturiùs ex hibernis educeret, ne ab re frumentariâ duris subvectionibus laboraret. Praestare visum est tamen omnes difficultates perpeti, quàm tantâ contumeliâ acceptâ, omnium suorum voluntates alienare. Itaque cohortatus Aeduos de supportando commeatu, praemittit ad Boios, qui de suo adventu doceant, hortenturque ut in fide maneat, atque hostium impetum magno animo sustineant. Duabus Agendici legionibus, atque impedimentis totius exercitûs relictis, ad Boios proficiscitur.

XI. Altero die quum ad oppidum Senonem [1] Vellaunodunum venisset, ne quem post se hostem relinqueret, quò expeditione re frumentariâ uteretur, oppugnare instituit. Idque biduo circumvallavit: tertio die missis ex oppido legatis de deditione, arma proferri, jumenta produci, DC obsides dari jubet. Ea qui conficeret, C. Trebonium legatum relinquit. Ipse, ut quamprimum iter faceret, Genabum Carnutum proficiscitur: qui tunc primùm, allato nuntio de oppugnatione Vellaunoduni, quum longiùs eam rem ductum iri existimarent, praesidium Genabi tuendi caussâ, quod eò mitterent, comparabant. Huc biduo Caesar pervenit: et castris ante oppidum positis, diei tempore exclusus, in posterum oppugnationem differt: quaeque ad eam rem usui sint, militibus imperat: et quòd oppidum Genabum pons fluminis Ligeris continebat, veritus ne noctu ex oppido profugerent, II legiones in armis excubare jubet. Genabenses paullò ante mediam noctem silentio ex oppido egressi, flumen transire cœperunt. Quâ re per exploratores nuntiatâ, Caesar legiones, quas expeditas esse jusserat, [2] portis incensis, intromittit, atque oppido potitur, [3] perpaucis ex hostium numero desideratis, quin cuncti caperentur, quòd pontis atque itinerum angustiae multitudinis fugam intercluserant. Oppidum diripit, atque incendit; praedam militibus donat: exercitum Ligerim transducit, atque in Biturigum fines pervenit.

XII. Vercingetorix ubi de Caesaris adventu cognovit, oppugnatione

NOTÆ.

1 *Vellaunodunum*] Alii Castrum Nantonis, alii Montargisium suspicantur. Sed Castrum Nantonis, *Chasteau Landor*, multo propius est Agedinco quam Aurelianis. Montargisium vero est novum oppidum, in quo diu versatus nullum reperi antiquitatis vestigium quod cccc annos superet. Est in molli clivo Amphitheatrum quod Montargisio leucis abest quatuor Scenam Veri appellant, *Sceneviere*, juxtaque, imò paulo infra, urbis cujusdam inventæ reliquiæ, cum nobilis illa fossa facta est, quæ Ligeris fluminis aquam cum Lupia fluvio committit: nempe mœnia insolitæ latitudinis, non in uno quidem loco, sed in diversis posita, ut ex interposito inter illas reliquias spatio urbis magnitudo possit conjici. Nec procul inde parietinæ, sub quibus peramplum hypogæum, unde eruuntur numismata vetera M. Aurelii Veri, et ejus uxoris Faustinæ, itemque Gordiani, Constantii, et Constantini Imperatorum effigiem habentia. Facile ex situ adducor ut credam ibi fuisse Vellaunodunum; est enim locus inter Agedincum Senonum et Genabum Carnutum, sive Aurelianos.

2 *Portis incensis*] Portæ enim illo tempore non habebant objectam fossam, ut nunc habent, et ad eas erat facilis extrinsecus aditus.

3 *Perpaucis ex hostium numero*, &c.] Eutropius elapsos tantum esse lxxx narrat.

desistit, atque obviam Caesari proficiscitur. Ille oppidum Biturigum, positum in via, [1] Noviodunum oppugnare instituerat. Quo ex oppido quum legati ad eum venissent oratum, ut sibi ignosceret, suaeque vitae consuleret: ut celeritate reliquas res conficeret, quâ pleraque erat consecutus, arma proferri, equos produci, obsides dari jubet. Parte jam obsidum transditâ, quum reliqua administrarentur, centurionibus et paucis militibus intromissis, qui arma jumentaque conquirerent, equitatus hostium procul visus est, qui agmen Vercingetorigis antecesserat: quem simul atque oppidani conspexerunt, atque in spem auxilii venerunt, clamore sublato arma capere, portas claudere, murum complere cœperunt. Centuriones in oppido, quum ex significatione Gallorum novi aliquid ab iis iniri concilii intellexissent, gladiis districtis portas occupaverunt, suosque omnes incolumes receperunt.

XIII. Caesar ex castris equitatum educi jubet, prœliumque equestre committit. Laborantibus jam suis Germanos equites circiter CD submittit, quos ab initio secum habere instituerat. Eorum impetum Galli sustinere non potuerunt; atque in fugam conjecti, multis amissis, sese ad agmen receperunt. Quibus profligatis, rursus oppidani perterriti, comprehensos eos, quorum operâ plebem concitatam existimabant, ad Caesarem perduxerunt, seseque ei dediderunt. Quibus rebus confectis, Caesar ad oppidum [2] Avaricum (quod erat maximum munitissimumque in finibus Biturigum, atque agri fertilissimâ regione) profectus est, quòd, eo oppido recepto, civitatem Biturigum se in potestatem redacturum confidebat.

XIV. Vercingetorix tot continuis incommodis Vellaunoduni, Genabi, Novioduni acceptis, suos ad concilium convocat: docet longè aliâ ratione esse bellum gerendum, atque antea sit gestum: [3] omnibus modis huic rei studendum, ut pabulatione et commeatu Romani prohibeantur. Id esse facile, quòd equitatu ipsi abundent, et [4] quòd anni tempore subleventur; pabulum secari non posse: necessario dispersos hostes ex aedificiis petere: hos omnes quotidie ab equitibus deleri posse. Praeterea, salutis caussâ, rei familiaris commoda negligenda:

NOTÆ.

1 *Noviodunum*] *Neuvy ſur Baranjon*, inter Albiniacum et Virzionem.

2 *Avaricam*,] *Bourges en Berry*, quod indicat Itinerarium Antonini, qui inter Argantomagum, *Argenton*, et Tincontium, *Xancoins*, collocat Avaricum; item quod Avaro nomen eſt fluminis unde dictum Avaricum, quod Oroſius, hiſtoriam hanc ubi narrat, Biturigam appellat. Omnes autem propemodum metropoles ſui nomina populi acceperunt. Biturigam item appellant Gregorius Turonenſis et Aimoinus. Denique quod talis adhuc ſitus agnoſcitur, qualis hic à Cæſare deſcribitur.

3 *Omnibus modis huic rei ſtudendum*,] Ut enim monet Vegetius lib. iii. cap. 3. *In omni expeditione unum et maximum telum, ut tibi ſufficiat victus, hoſtes frangat inopia. Item quicquid in pecore, vel quacumque fruge vinique hoſtis inferens bellum ad victum ſuum poterit occupare, non ſolum admonitis per edita poſſeſſoribus, ſed etiam coactis per electos perſcrutatores ad caſtella idonea et armatorum firmata præſidiis, vel ad tutiſſimas conferendum eſt civitates.*

4 *Quod anni tempore ſubleventur*] Hiberno ſcilicet, cum Galli pabulum conditum in ædificiis habeant, Romani non habeant.

vicos atque aedificia incendi oportere, hoc spatio (à Boia) quoquoversus, quò pabulandi caussâ adire posse videantur. Harum ipsis rerum copiam suppetere, quòd, quorum in finibus bellum geratur, eorum opibus subleventur. Romanos aut inopiam non laturos, aut magno cum periculo longiùs à castris progressuros: neque interesse, ipsosne interficiant, impedimentisve exuant, quibus amissis bellum geri non possit. Praeterea oppida incendi oportere, quae non munitione et loci naturâ ab omni sint periculo tuta: neu suis sint ad detrectandam militiam receptacula, neu Romanis proposita ad copiam commeatûs, praedamque tollendam. Haec si gravia aut acerba videantur, multò illa graviùs aestimari debere, liberos, conjuges in servitutem abstrahi, ipsos interfici; quae sit necesse accidere victis.

XV. Omnium consensu hâc sententiâ probatâ, uno die amplius xx urbes Biturigum incenduntur. Hoc idem fit in reliquis civitatibus. In omnibus partibus incendia conspiciuntur: quae etsi magno cum dolore omnes ferebant, tamen hoc sibi solatii proponebant, quòd se, prope explorata victoriâ, celeriter amissa recuperaturos confidebant. Deliberatur de Avarico in communi concilio, incendi placeret, an defendi. Procumbunt Gallis omnibus ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam prope totius Galliae urbem, quae et praesidio et ornamento sit civitati, suis manibus succendere cogerentur: facilè se loci naturâ defensuros dicunt, quòd prope ex omnibus partibus [1] flumine et palude circumdata, unum habeat et perangustum aditum. Datur petentibus venia, dissuadente primò Vercingetorige, post concedente, et precibus ipsorum, et misericordiâ vulgi. Defensores idonei oppido deliguntur.

XVI. Vercingetorix minoribus Caesarem itineribus subsequitur, et locum castris deligit, paludibus silvisque munitum, ab Avarico longè millia passuum xv. Ibi per certos exploratores in singula diei tempora, quae ad Avaricum agerentur, cognoscebat; et quid fieri vellet, imperabat: omnes nostras pabulationes frumentationesque observabat, dispersosque quum longiùs necessario procederent, adoriebatur, magnoque incommodo afficiebat: etsi quantum ratione provideri poterat, ab nostris occurrebatur, ut incertis temporibus diversisque itineribus iretur.

XVII. Castris ad eam partem oppidi positis, Caesar, quae intermissa à flumine et palude aditum, ut supra diximus, angustum habebat, aggerem apparare, vineas agere, duas turres constituere cœpit: nam circumvallare loci natura prohibebat. De re frumentariâ Boios atque Aeduos adhortari non desistit: quorum alteri, quòd nullo studio agerant, non multùm adjuvabant: alteri non magnis facultatibus, quòd civitas erat exigua et infirma, celeriter, quod habuerunt, consumpserunt. Summâ difficultate rei frumentariae affecto exercitu, tenuitate Boiorum, indiligentiâ Aeduorum, incendiis aedificiorum, usque

NOTÆ.

1 *Flumine et palude circumdata.*] Flumen Avaro est, unde urbi nomen. Est et palus qua parte vetus oppidum est.

eò, ut complures dies milites frumento caruerint, et pecore à longinquioribus vicis adacto, extremam famem sustentarent: nulla tamen vox est ab iis audita populi Rom. magestate et superioribus victoriis indigna. Quin ètiam Caesar, quum in opere singulas legiones appellaret, et, si acerbiùs inopiam ferrent, se dimissurum oppugnationem diceret; universi ab eo, ne id faceret, petebant: sic se compluros annos illo imperante meruisse, ut nullam ignominiam acciperent, nunquam infectâ re discederent: hoc se ignominiae laturos loco, si inceptam oppugnationem reliquissent: praestare omnes perferre acerbitates, quam non civibus R. qui Genabi perfidiâ Gallorum interîssent, [1] parentarent. Haec eadem centurionibus tribunisque milit. mandabant, ut per eos ad Caesarem deferrentur.

XVIII. Quum jam muro appropinquâssent turres, ex captivis, Caesar cognovit, Vercingetorigem, consumpto pabulo, castra movisse propiùs Avaricum, atque ipsum, cum equitatu expeditisque, qui inter equites prœliari consuêssent, insidiarum caussâ eo profectum, quò nostros postero die pabulatum venturos arbitrabatur. Quibus rebus cognitis, mediâ nocte silentio profectus, ad hostium castra manè pervenit. Illi, celeriter per exploratores adventu Caesaris cognito, carros impedimentaque sua [a] in arctiores silvas abdiderunt, copias omnes in loco edito atque aperto instruxerunt. Quâ re nuntiatâ, Caesar celeriter sarcinas conferri, arma expediri jussit.

XIX. Collis erat leniter ab infimo acclivis. Hunc ex omnibus ferè partibus palus difficilis atque impedita cingebat, non latior pedibus L. Hôc se colle, interruptis pontibus, Galli fiduciâ loci continebant; generatimque distributi in civitates, omnia vada ac saltus ejus paludis certis custodiis obtinebant; sic animo parati, ut, si eam paludem Romani perrumpere conarentur, [b] haesitantes premerent ex loco superiore: ut, qui propinquitatem loci viderent, paratos propè aequo Marte ad dimicandum existimarent: qui iniquitatem conditionis perspicerent, inani simulatione sese ostentare cognoscerent. Indignantes milites Caesar, quòd conspectum suum hostes ferre possent, tantulo spatio interjecto, et signum proelii exposcentes edocet, quanto detrimento, et quot virorum fortium morte necesse esset constare victoriam: quos quum sic animo paratos videret, ut nullum pro suâ laude periculum recusarent, summae se iniquitatis condemnari debere, nisi eorum vitam suâ salute habeat cariorem. Sic milites consolatus eodem die reducit in castra; reliquaque, quae ad oppugnationem oppidi pertinebant, administrare instituit.

XX. Vercingetorix, quum ad suos redîsset, proditionis insimulatus, quòd castra propiùs Romanos movisset, quòd cum omni equitatu

INTERPRETATIO.

a *In densiores silvas absconditerunt.* b *Hærentes*, in luto.

NOTÆ.

1 *Parentarent.*] Est defunctis parentibus justa solvere. Et metaphorice, occisi parentis vel propinqui hominis ultionem persequi et pœnam reposcere.

discessisset, quòd sine imperio tantas copias reliquisset, quòd ejus discessu Romani tantâ opportunitate et celeritate venissent: non haec omnia fortuitò aut sine consilio accidere potuisse: regnum illum Galliae malle Caesaris concessu, quàm ipsorum habere beneficio. Tali modo accusatus ad haec respondet: Quòd castra movisset, factum inopiâ pabuli, etiam ipsis hortantibus; quòd propiùs Romanos accessisset, persuasum loci opportunitate, qui se ipsum munitione defenderet: equitum verò operam neque in loco palustri desiderari debuisse, et illic fuisse utilem, quò sint profecti: summam imperii se consultò nulli discedentem tradidisse, ne is multitudinis studio ad dimicandum impelleretur: cui rei, propter animi mollitiem, studere omnes videret, quòd diutius laborem ferre non possent: Romani si casu intervenerint, fortunae; si alicujus indicio vocati, huic habendam gratiam, quòd et paucitatem eorum ex loco superiore cognoscere, et [1] virtutem despicere potuerint: qui dimicare non ausi, turpiter se in castra receperint. Imperium se à Caesare per proditionem nullum desiderare, quod habere victoriâ posset, quae jam esset sibi ac omnibus Gallis explorata: quin etiam ipsis remittere, si sibi magis honorem tribuere, quàm ab se salutem accipere videantur. Quod ut intelligatis, inquit, sincerè à me pronuntiari, audite Romanos milites; producit servos, quos in pabulatione paucis ante diebus exceperat, et fame vinculisque excruciaverat. Ii jam ante edocti, quae interrogati pronuntiarent, milites se esse legionarios dicunt, fame et inopiâ adductos, clam ex castris exîsse, si quid frumenti aut pecoris in agris reperire possent: simili omnem exercitum inopiâ premi, nec jam vires sufficere cujusquam, nec ferre operis laborem posse. Itaque statuisse Imperatorem, si nihil in oppugnatione oppidi profecisset, triduo exercitum deducere. Haec à me, inquit Vercingetorix, beneficia habetis, quem proditionis insimulatis; cujus operâ, sine vestro sanguine, tantum exercitum victorem fame penè consumptum videtis; quem turpiter se ex hâc fugâ recipientem, ne qua civitas suis finibus recipiat, à me provisum est.

XXI. Conclamat omnis multitudo, et [2] suo more armis concrepat, quod facere in eo consueverunt, cujus orationem approbant: summum esse Vercingetorigem ducem, nec de ejus fide dubitandum, nec majori ratione bellum administrari posse. Statuunt ut decem millia hominum, delecta ex omnibus copiis in oppidum submittantur: nec solis Biturigibus communem salutem committendam censent, quòd penè in eo, si oppidum retinuissent, summam victoriae constare intelligebant.

NOTÆ.

1 *Virtutem despicere*] Videtur hic ironice accipi, pro timiditate.

2 *Suo more armis concrepat,*] Tacitus idem ferè habet de Germanis: *Si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt.* A Gallis autem hæc consuetudo ad Romanos posterioribus temporibus pervenit, ut videtur apud Ammianum.

XXII. Singulari militum nostrorum virtuti [a] consilia cujusque modi Gallorum occurrebant, ut est summae genus solertiae, atque ad omnia imitanda atque efficienda, quae ab quoque traduntur, aptissimum. [1] Nam et laqueis falces avertebant, quas quum destinaverant, tormentis introrsus reducebant, et [2] aggerem cuniculis subtrahebant, eò sciențiùs, quòd [3] apud eos magnae sunt ferrariae, atque omne genus cuniculorum notum atque usitatum est. [4] Totum autem murum ex omni parte turribus contabulaverant, atque has coriis intexerant: tum crebris diurnis nocturnisque eruptionibus, aut aggeri ignem inferebant, aut milites occupatos in opere adoriebantur: et nostrarum turrium altitudinem, quantum has quotidianus agger expresserat, [5] commissis suarum turrium malis, adaequabant: [6] et apertos cuniculos praeustâ et praeacutâ materiâ, et pice fervefactâ, et maximi ponderis saxis morabantur, moenibusque appropinquare prohibebant.

XXIII. Muris autem omnibus Gallicis haec ferè forma est: Trabes directae perpetuae, in longitudinem, paribus intervallis, distantes inter se binos pedes, in solo collocantur. [7] Hae revinciuntur introrsus, et multo aggere vestiuntur. Ea autem, quae diximus, [8] intervalla grandibus in fronte saxis effarciuntur. Iis collocatis et coagmentatis, alius insuper ordo adjicitur, ut idem illud intervallum servetur, neque inter se contingant trabes, sed paribus intermissae spatiis, singulae singulis

INTERPRETATIO.

a *Omnia genera commentorum succurrebant,* toutes sortes d'inventions.

NOTÆ.

1 *Nam et laqueis falces avertebant,*] Ex Appiano in Mithridatico patet sic fieri solitum, qui de Cyzicenis sic habet: Τὲς μὲν οὖν κριὲς λίθοις ἀπεκαυλιζον, ἢ βρόχοις ἀνέκλων. *Arietes,* inquit, *lapidibus decutiebant, aut laqueis deflectebant.* Item è Livio lib. xxxvi. *Ætoli contra armis sese tuebantur. Nam cum ariete quaterentur muri, non laqueis, ut solet exceptos declinabant ictus, sed armati frequentes.*

2 *Aggerem cuniculis subtrahebant*] Fossas subterraneas sub mœnibus apperiebant, inde terram usque ad aggerem Romanorum subducebant, ut turris in aggerem promota subverteretur.

3 *Apud eos magnæ sunt ferrariæ*] Idem testatur Rutilius lib. i.

Non Biturix largo potior strictura metallo.

4 *Totum autem murum,* &c.] Quia ligneæ erant turres, constabantque è tabulis, dicebantur contabulari.

5 *Commissis suarum turrium malis.*] Locus difficilis. Aliqui scalis reponant, sed leve praesidium, ut insistatur. Insistendum enim et simul pugnandum: Ciacconius alis, sublatò *m.* Sed quid est alis? Hodie in Italia, quem ad usum nescio, videntur, impositi turribus mali. Quod si frequentes in Gallicis mœnibus erant turres ejusmodi malis instructæ, malos illos turrium malis alterius turris proximæ poterant committere, quibus postea de commissuris, tanquam de edito loco pugnare licebat, imo ex equo cum Romanis. Græcus Interpres habet Τὸ τῶν πύργων τῶν Ῥωμαίων ὕψος ὅ τον χώματι καθ' ἑκάστην οἱ Ῥωμαῖοι ἠδύναντο ανυψῦν ταῖς τῶν σφῶν πύργων κορυφαῖς ανίσεν. *Turrium Romanorum altitudinem quantum aggere quotidie Romani extollebant, suarum turrium cocuminibus adæquabant.*

6 *Apertos cuniculos,*] A Romanis.

7 *Hæ revinciuntur introrsus.*] Revinciri dicit, quia transversaria trabs pedes xl longa superponitur, eaque commissuris et fibulis jungitur, *chevilles et mortoises,* ut loquuntur nostri.

8 *Intervalla.*] Quæ duorum erant pedum inter trabes singulas.

saxis interjectis, arte contineantur: sic deinceps omne opus contexitur, dum justa muri altitudo expleatur. Hoc quum in speciem varietatemque opus deforme non est, [1] alternis trabibus aut saxis, quae rectis lineis suos ordines servant, tum ad utilitatem et defensionem urbium summam habet opportunitatem, quòd et ab incendio lapis, et ab ariete materia defendit, quae [2] perpetuis trabibus pedes quadragenos, plerumque introrsus revincta, neque perrumpi neque distrahi potest.

XXIV. Iis tot rebus impedita oppugnatione, milites quum toto tempore luto, frigore, et assiduis imbribus tardarentur, tamen continenti labore omnia haec superaverunt, et [3] diebus xxv aggerem latum pedes cccxxx, altum pedes lxxx, exstruxerunt. Quum is murum hostium penè contingeret, et Caesar ad opus consuetudine excubaret, militesque cohortaretur, ne quod omnino tempus ab opere intermitteretur, paullò ante III vigiliam [4] est animadversum, fumare aggerem, quem cuniculo hostes succenderant. Eodemque tempore toto muro clamore sublato, duabus portis ab utroque latere turrium eruptio fiebat. Alii faces atque aridam materiam de muro in aggerem eminus jaciebant: picem alii, reliquasque res, quibus ignis incitari potest, [5] fundebant: ut, quò primùm occurreretur, aut cui rei ferretur auxilium, vix ratio iniri posset: tamen quòd instituto Caesaris duae semper legiones pro castris excubabant, pluresque partitis temporibus in opere erant, celeriter factum est, ut alii eruptionibus resisterent, [6] alii turres reducerent, aggeremque interscinderint, omnis verò ex castris multitudo ad restinguendum concurreret.

XXV. Quum in omnibus locis, consumptâ jam reliquâ parte noctis, pugnaretur, semperque hostibus spes victoriae redintegraretur, eò magis [7] quòd deustos pluteos turrium videbant, nec facilè adire apertos ad auxiliandum animadvertebant, semperque ipsi recentes defessis succe-

NOTÆ.

1 *Alternis trabibus aut ſaxis.*] Eâdem nempe figurâ et ſpecie qua ſcaccarci ludi, *en eſchiquier.*

2 *Perpetuis trabibus.*] Integris, non interruptis, aut non pluribus trabibus ſeſe excipientibus, ſibi ſuccedentibus et ferreo vinculo connexis, ſed trabibus quarum eſſet longitudo pedum xl, ut ſuperius dixit, quæ ad latitudinem muri conferebat.

3 *Diebus* xxv *aggerem.*] Incredibilis hic videtur Romanorum diligentia, ſi non ſit error in numeris. Latitudo porro hujus aggeris tanta fuit, ut poſſet ſuos Cæſar commode in ſummitate aggeris inſtituere.

4 *Eſt animadverſum fumare aggerem,*] Rationes erant omnino duæ deſtruendi aggeri: cuniculi, et incendium. Utraque utuntur Avaricenſes ratione.

5 *Fundebant.*] Nempe vaſis longa manubria habentibus, ut Herodianus prodidit Aquileiæ factum.

6 *Alii turres reducerent*] Mobiles ſcilicet ne ejuſmodi pice injecta violarentur. Agebantur enim introrſus quatuor aut octo rotis. Optime Græcus Interpres, *ἀπῆγον obducebant.*

7 *Quod deuſtos pluteos turrium videbant.*] Videntur è cratibus conſtitiſſe, atque etiam aliquâ ætate, tabulis; à cratibus tamen et tabulis fuiſſe et à vineis diverſi; de quibus ſic Verrius Flaccus: *Plutei crates corio crudo intextæ quæ ſolebant opponi militibus opus facientibus, et appellabantur militares. Nunc etiam tabulæ, quibus quid præſepitur, eodem nomine dicuntur.* Ammianus vero lib. xix. *Inquies Perſa vimineis civitatem pluteis circumdabat.* Vegetius vero ſic deſcribit: *Plutei dicuntur, qui ad ſimilitudinem abſidis contexuntur è vi-*

derent, omnemque Galliae salutem in illo vestigio temporis positam arbitrarentur: accidit inspectantibus nobis, quod dignum memoriâ visum, praetermittendum non existimavimus. Quidam ante portam oppidi Gallus, qui per manus sevi ac picis transditas glebas in ignem è regione turris projiciebat, [1] scorpione ab latere dextro transjectus, exanimatusque concidit: hunc ex proximis unus jacentem transgressus, eodem illo munere fungebatur: eâdem ratione ictu scorpionis exanimato altero, successit tertius, et tertio quartus: [2] nec ille priùs est à propugnatoribus vacuus relictus locus, quàm [3] restincto aggere, atque omni parte submotis hostibus, finis est pugnandi factus.

XXVI. Omnia experti Galli, quòd res nulla successerat, postero die consilium ceperunt ex oppido profugere, hortante et jubente Vercingetorige. [4] Id silentio noctis conati, non magnâ jacturâ suorum sese effecturos sperabant, propterea quòd neque longè ab oppido castra Vercingetorigis aberant: et palus, quae perpetua intercedebat, Romanos ad insequendum tardabat. Jamque hoc facere noctu apparabant, quum matresfamiliâs repente in publicum procurrerunt, flentesque projectae ad pedes suorum, [5] omnibus precibus petiêrunt, ne se et communes liberos hostibus ad supplicium dederent, quos ad capiendam fugam natura et virium infirmitas impediret. Ubi eos perstare in sententiâ viderunt, quòd plerumque in summo periculo timor misericordiam non recipit, conclamare, et significare de fugâ Romanis cœperunt: quo timore perterriti Galli, ne ab equitatu Romanorum viae praeoccuparentur, consilio destiterunt.

XXVII. Postero die Caesar promotâ turri, directisque operibus quae facere instituerat, magno coorto imbri, non inutilem hanc ad capiendum consilium tempestatem arbitratus est, quòd paullò incautiùs custodias in muro dispositas videbat; suosque languidiùs in opere versari jussit, et quid fieri vellet, ostendit. Legiones intra vineas in occulto expeditas cohortatus, ut aliquando pro tantis laboribus fructum victoriae perciperent, [6] iis

NOTÆ.

mine, et ciliciis coriisve proteguntur, ternisque rotulis, quarum una in medio, duæ in capitibus apponuntur, in quamcunque partem admoventur more carpenti. Interpres Græcus non male *στέγη* appellat, quasi tecta.

1 *Scorpione.*] Scorpio sic dictus, quod parvis minutisque ictibus ac subtilibus spiculis mortem inferat, de quo vide Vegetium.

2 *Nec ille prius est à propugnatoribus vacuus relictus locus.*] Nec illa virtus Gallica ibi stetit, sed, si fides Juliano in Encomio Constantii Imperatoris, etiam victæ à Romanis genti perduravitusque ad ejus tempora. Si: enim ille ait: Quod adhuc inauditum ac omnibus hominibus incredibile fuerat, ut Galli stationem desererent, ac hostibus terga darent, illo imperatore contigisse.

3 *Restincto aggere,*] Id est, extincto igne qui comprehenderat aggerem. Optimè Græcus Interpres, *ἀποσβεσθέντος τοῦ πυρός*. *Restincto igne.*

4 *Id silentio noctis.*] Virgilius dicit, *silenti nocte*, vii. Æneid ad quod Servius, id est, *per noctis silentium, cum omnes tacent.* Unde tacentem noctem Catullus ad Lesbiam dicit.

Aut quam sidera multa cum tacet nox.

5 *Omnibus precibus petiernnt.*] Sic infra *omnibus precibus orabant.* Sic Cicero lib. ix. ad Attic. in ea quæ ad Cæsarem: *Quamobrem arte peto, vel potius precibus omnibus oro et obtestor.*

6 *Iis qui primi murum adscendissent.*] Videtur esse muralis corona, de qua Gellius ait fuisse pinnis decoratam. Sic autem res

qui primi murum adscendissent, praemia proposuit, militibusque signum dedit. Illi subito ex omnibus partibus evolaverunt, murumque celeriter complêrunt.

XXVIII. Hostes re novâ perterriti, muro turribusque dejecti, in foro ac locis patentioribus cuneatim constiterunt, hôc animo, ut si quâ ex parte obviam contrà veniretur, acie instructâ depugnarent. Ubi neminem in aequum locum sese demittere, sed toto undique muro circumfundi viderent, veriti ne omnino spes fugae tolleretur, [a] abjectis armis, ultimas oppidi partes continenti impetu petiverunt: parsque ibi, quum angusto exitu portarum se ipsi premerent, à militibus; pars jam egressa portis, ab equitibus est interfecta: nec fuit quisquam, qui praedae studeret. Sic et Genabensi caede, et labore operis incitati, [1] non aetate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt. Denique ex omni eo numero, qui fuit circiter XL millium, vix DCCC, qui primo clamore audito se ex oppido ejecerant, incolumes ad Vercingetorigem pervenerunt: quos ille multa jam nocte silentio sic ex fugâ excepit ([2] veritus ne qua in castris ex eorum concursu et misericordiâ vulgi seditio oriretur) ut procul in viâ dispositis familiaribus suis, principibusque civitatum, [3] disparandos deducendosque ad suos curaret, quae cuique civitati pars castrorum ab initio obvenerat.

XXIX. Postero die concilio convocato, [4] consolatus cohortatusque est, ne se admodum animo demitterent, neve perturbarentur incommodo: non virtute neque acie vicisse Romanos, sed artificio quodam et

INTERPRETATIO.

a *Positis armis contenderunt ad extremas partes urbis, non intermisso cursu.*

NOTÆ.

fiebat. Imperator re divina facta, in concionem omnes copias vocabat, astantesque qui fortiter aliquid fecerant, primum laudibus prosequebatur, tum hoc facto narrato et aliis, si quæ essent quæ gessissent coram tota multitudine donabantur.

1 *Non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus*] Vindictæ avidum genus Romanorum, quam tamen Val. Max. lib. ix. cap. 1. in infantes et fœminas efferatam vocat crudelitatem, et auditu etiam intolerabilem. Statius item:

——nullis violabilis armis
Turba, senes.——

Et Lucanus,

Crimine quo parvi cædem potuere mereri?

Cur enim ad insontes et innocentes pœna transeat, qui peccati fuerunt immunes? Deus ipse in Deuteronomio, fœminis et infantibus vult parci post pacem etiam et oblatam et repudiatam, præter paucas gentes quas speciali jure excepit. Non tamen dixero Romanos fecisse, quod belli jure non liceat, sed quod crudele Seneca: *Lex nulla capto parcit aut pœnam impedit.* Jus vero illud impunitatem affert, non factum ab omni culpa liberat, Senec. epist. xcvi. *Quæ commissa capite luerent, tum quia paludati fecerunt, laudamus.* Unde Lucanus lib. I.

Jusque datum sceleri canimus.——

2 *Veritus ne qua in castris ex eorum concursu et misericordia vulgi seditio oriretur.*] Misericordia enim poterat milites adversus ducem commovere, quasi ejus culpâ res esset male gesta.

3 *Disparandos, &c.*] Ne numerus animadverteretur, si facto agmine in castra pervenissent; ita enim supra generatim fuerant in castris dispositi.

4 *Consolatus cohortatusque est, &c.*] Ita jubet Vegetius lib. iii. cap. 35. *Sed quicumque eventus fuerit, colligendi superstites bello erigendi adhortationibus congruis, et armorum instauratione refovendi.*

scientiâ oppugnationis, cujus rei fuerint ipsi imperiti: errare, si qui in bello omnes secundos rerum eventus exspectent; sibi nunquam placuisse Avaricum defendi, cujus rei testes ipsos haberet; sed factum imprudentiâ Biturigum, et nimiâ obsequentiâ reliquorum, utì hoc incommodum acciperetur: id tamen se celeriter majoribus commodis sanaturum. Nam quae ab reliquis Gallis civitates dissentirent, has suâ diligentiâ adjuncturum, atque unum consilium totius Galliae effecturum, [1] cujus consensu ne orbis quidem terrarum posset obsistere; idque se prope jam effectum habere. Interea aequum esse ab iis communis salutis caussâ impetrari, ut castra munire instituerent, quo faciliùs hostium repentinos impetus sustinere possent.

XXX. Fuit haec oratio non ingrata Gallis, maximè, quòd ipse animo non defecerat, tanto accepto incommodo, neque se in occultum abdiderat, neque conspectum multitudinis fugerat: plusque animo providere et praesentire existimabatur, quòd re integrâ primò incendendum Avaricum, post deserendum, censuerat. Itaque ut reliquorum Imperatorum res adversae auctoritatem minuunt; sic hujus ex contrario dignitas, incommodo accepto, in dies augebatur: simul in spem veniebant, ejus affirmatione, de reliquis adjungendis civitatibus. [2] Primùmque eo tempore Galli castra munire instituerunt, et sic sunt animo consternati homines insueti laboris, ut omnia quae imperarentur, sibi patienda existimarent.

XXXI. Nec minùs quàm est pollicitus, Vercingetorix animo laborabat, ut reliquas civitates adjungeret, atque earum principes donis pollicitationibusque alliciebat. Huic rei idoneos homines deligebat, quorum quisque et oratione subdolâ, aut amicitiâ facillimè capi posset. Qui Avarico expugnato refugerant, armandos vestiendosque curat. Simul ut diminutae copiae redintegrarentur, imperat certum numerum militum civitatibus, quem, et quam ante diem, in castra adduci velit: sagittariosque omnes, quorum erat permagnus numerus in Galliâ, conquiri, et ad se mitti jubet. His rebus celeriter id, quod Avarici deperiêrat, expletur. Interim Theutomatus Olloviconis filius rex Nitiobrigum, cujus pater ab Senatu nostro amicus erat appellatus, cum magno equitum suorum numero, et quos ex Aquitaniâ conduxerat, ad eum pervenit.

XXXII. Caesar Avarici complures dies commoratus, summamque ibi copiam frumenti et reliqui commeatûs nactus, exercitum ex labore atque inopiâ refecit. Jam propè hieme confectâ, quum ipso anni tempore ad gerendum bellum vocaretur, et ad hostem proficisci constituisset, sive eum ex paludibus silvisque elicere, sive obsidione

NOTÆ.

1 *Cujus consensu ne orbis quidem terrarum possit obsistere;*] Et hoc est quod notat Gellius in dandi casu apud Cæsarem esse solitum. Et verum quidem hoc est quod jactatur hoc loco à Vercingetorige, et parum abest quin fiat, cum jam sub unius dominatu sit Gallia, et antiquis jam etiam fere contineatur limitibus.

2 *Primumque eo tempore Galli.*] Jam ante quidem Nervii vallum sibi, sed in Q. Ciceronis obsidione, obduxerant; sed non, ut hic, passim et de more.

premere posset: legati ad eum principes Æduorum veniunt, oratum, ut maximè necessario tempore civitati subveniat: summo esse in periculo rem; quòd, quum singuli magistratus antiquitùs creari, atque regiam potestatem annum obtinere consuêssent, duo magistratum gerant, et se uterque eorum legibus creatum esse dicat. Horum esse alterum Convictolitanem, florentem et illustrem adolescentem; alterum Cotum, antiquissimâ familiâ natum, atque ipsum hominem summae potentiae, et magnae cognationis, cujus frater Vedeliacus proximo anno eundem magistratum gesserit: civitatem omnem esse in armis; divisum Senatum, divisum populum in suas cujusque eorum clientelas. Quòd si diutiùs alatur controversia, fore utì pars cum civitatis parte confligat: id ne accidat, positum in ejus diligentiâ atque auctoritate.

XXXIII. Caesar, etsi à bello atque hoste discedere, detrimentosum esse existimabat; tamen non ignorans, quanta ex dissentionibus incommoda oriri consuêssent; ne tanta et tam conjuncta populo Rom. civitas, quam ipse semper aluisset, omnibusque rebus ornâsset, ad vim atque ad arma descenderet; utque ea pars, quae minùs sibi confideret, auxilia â Vercingetorige accerseret; huic reì praevertendum existimavit: et quòd legibus Aeduorum, iis, qui summum magistratum obtinerent, excedere ex finibus non liceret; ne quid de jure aut legibus eorum diminuisse videretur, ipse in Aeduos proficisci statuit, senatumque omnem, et quos inter controversia esset, [1] Decetiam ad se evocavit. Quum propè omnis civitas eò convenisset, doceretúrque paucis clam vocatis, alio loco, alio tempore, atque oportuerit, fratrem a fratre renuntiatum; quum leges, duos ex unâ familiâ, vivo utroque, non solùm magistratus creari vetarent, sed etiam in senatu esse prohiberent: Cotum magistratum deponere coëgit: Convictolitanem, qui per sacerdotes more civitatis, [2] intermissis magistratibus, esset creatus, potestatem obtinere jussit.

XXXIV. Hoc decreto interposito, cohortatus Aeduos ut controversiarum ac dissentionum obliviscerentur, atque omnibus omissis rebus, huic bello servirent, eaque quae meruissent, praemia ab se, devictâ Galliâ, exspectarent, equitatumque omnem, et peditum millia x sibi celeriter mitterent, quae in praesidiis rei frumentariae caussâ disponeret; exercitum in duas partes divisit: iv legiones in Senones Parisiosque, Labieno ducendas dedit: vi ipse in Arvernos, ad oppidum Gergoviam secundum flumen [3] Elaver duxit: equitatûs partem illi attribuit, partem sibi reliquit. Quâ re cognitâ, Vercingetorix, omnibus interruptis ejus fluminis pontibus, ab alterâ Elaveris parte iter facere coepit.

XXXV. [4] Quum uterque utrique esset exercitus in conspectu,

NOTÆ.

1 *Decetiam.*] Decetia urbs in Ducatu Nivernensi, olim Æduorum, *Decize.*

2 *Intermissis magistratibus,*] Non continentibus in eadem familia, ut factum fuerat in Coto, qui nullo alio magistratu inter se et fratem interposito, creatus erat magistratus.

3 *Elaver*] Dicitur, *Alier*, misceturque Ligeri infra Nivernas oppidum.

4 *Quum uterque utrique esset exercitus in conspectu,*] Sic Latini loquuntur. Sic Terentius, *Uterque nostrum utrique est cordi*, quodque magis mirere.

ferèque [1] è regione castris castra poneret, dispositis exploratoribus, necubi effecto ponte Romani copias transducerent; erat in magnis Caesari difficultatibus res, ne majorem aestatis partem flumine impediretur quòd non ferè ante autumnum Elaver vado transiri soleat. Itaque ne id accideret, silvestri loco castris positis, è regione unius eorum pontium, quos Vercingetorix rescindendos curaverat, postero die cum ii legionibus in occulto restitit: reliquas copias cum omnibus impedimentis, ut consueverat, misit, [2] demptis [quartis] quibusque cohortibus, utì numerus legionum constare videretur. Iis quàm longissimè possent progredi jussis, quum jam ex diei tempore conjecturam caperet, in castra perventum, iisdem sublicis, quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere coepit. Celeriter effecto opere, legionibusque transductis, et loco castris idoneo delecto, reliquas copias revocavit. Vercingetorix re cognitâ, ne contra suam voluntatem dimicare cogeretur, magnis itineribus antecessit.

XXXVI. [3] Caesar ex eo loco quintis castris Gergoviam pervenit: equestrique proelio eo die levi facto, perspecto urbis situ, quae posita in altissimo monte omnes aditus difficiles habebat, de expugnatione desperavit: de obsessione non priùs agendum constituit, quàm rem frumentariam expedîsset. At Vercingetorix castris [a] prope oppidum in monte positis, mediocribus circum se intervallis, separatim singularum civitatum copias collocaverat: atque omnibus ejus jugi collibus occupatis, quà despici poterat, [4] horribilem speciem praebebat; principesque earum civitatum, quos sibi ad consilium capiendum delegerat, primâ luce ad se quotidie convenire jubebat, seu quid communicandum, seu quid administrandum videretur; neque ullum ferè diem intermittebat, quin equestri proelio interjectis sagittariis, quid in quoque esset animi ac virtutis suorum, periclitaretur. Erat è regione oppidi collis sub ipsis radicibus montis egregiè munitus, atque ex omni parte circumcisis: (quem si tenerent nostri, et aquae magnâ parte, et pabulatione liberâ prohibituri hostes videbantur.) Sed is locus praesidio ab iis non nimis firmo tenebatur: tamen silentio noctis Caesar ex castris egressus, priùs, quàm subsidium ex oppido venire posset, dejecto praesidio, potitus loco, duas ibi legiones collocavit, fossamque duplicem duodenûm pedum à majoribus

INTERPRETATIO.

a *Ante urbem.*

NOTÆ.

1 *E regione castris castra poneret,*] Pro è *regione castrorum.*

2 *Demptis* [*quartis*] *quibusque cohortibus,*] Nam si de sex legionibus, quæ singulæ decem cohortibus constabant, quartam quamque cohortem detraxeris, efficitur xv. cohortium numerus. Qui quidem xv cohortium numerus duas legiones non efficit. Sed in silvosis locis non tam clarè perspiciebatur, ut laxa præsertim acie instructa legionum duarum speciem habere non possent.

3 *Cæsar ex eo loco quintis castris*] Cæsar enim castra singulis diebus movebat.

4 *Horribilem speciem præbebat;*] Strabo lib. xv. scribit Arvernis in hoc bello fuisse hominum XL millia.

castris ad minora perduxit, ut tutò ab repentino hostium incursu, etiam singuli commeare possent.

XXXVII. Dum haec ad Gergoviam geruntur, Convictolitanis Aeduus, cui magistratum adjudicatum à Caesare demonstravimus, sollicitatus ab Arvernis pecuniâ, cum quibusdam adolescentibus colloquitur, quorum erat princeps Litavicus, atque ejus fratres, amplissimâ familiâ nati adolescentes. Cum iis praemium communicat, hortaturque eos, ut se liberos, et imperio natos meminerint: unam esse Aeduorum civitatem, quae certissimam Galliae victoriam distineat: ejus auctoritate reliquas contineri: quâ transductâ, locum consistendi Romanis in Galliâ non fore: esse nonnullo se Caesaris beneficio affectum, sic tamen, ut justissimam apud eum caussam obtinuerit; sed plus communi libertati tribuere. Cur enim potiùs Aedui de suo jure et de legibus ad Caesarem disceptaturi, quàm Romani ad Aeduos, veniant? Celeriter adolescentibus, et oratione magistratûs et praemio deductis, quum se vel principes ejus consilii fore profiterentur, ratio perficiendi quaerebatur, quòd civitatem temerè ad suscipiendum bellum adduci posse non confidebant. Placuit, ut Litavicus decem illis millibus, quae Caesari ad bellum mitterentur, praeficeretur, atque ea ducenda curaret, fratresque ejus ad Caesarem praecurrerent: reliqua, quâ ratione agi placeat, constituunt.

XXXVIII. Litavicus, accepto exercitu, quum millia passuum circiter XXX ab Gergoviâ abesset, convocatis subitò militibus, lacrymans: Quo proficiscimur, inquit, milites? omnis noster equitatus, nobilitas omnis interiit; principes civitatis Eporedorix et Virdumarus, insimulati proditionis ab Romanis, indictâ caussâ, interfecti sunt. Haec ab iis cognoscite, qui ex ipsâ caede fugerunt. Nam ego, fratribus atque omnibus propinquis meis interfectis, dolore prohibeor, quae gesta sunt, pronuntiare. Producuntur ii, quos ille edocuerat, quae dici vellet: atque eadem, quae Litavicus pronuntiaverat, multitudini exponunt: multos equites Aeduorum interfectos, quòd collocuti cum Arvernis dicerentur: ipsos se inter multitudinem militum occultâsse, atque ex mediâ caede profugisse. Conclamant Aedui, et Litavicum obsecrant, ut sibi consulat. [a] Quasi vero, inquit ille, consilii sit res, ac non necesse sit nobis Gergoviam contendere, et cum Arvernis nosmet conjungere? An dubitamus, quin, nefario facinore admisso, Romani jam ad nos interficiendos concurrant? Proinde, si quid in nobis animi est, persequamur eorum mortem, qui indignissimè interiêrunt, atque hos latrones interficiamus. Ostendit cives Rom. qui ejus praesidii fiducia una erant. Continuò magnum numerum frumenti commeatûsque diripit: ipsos crudeliter excruciatos interficit: nuntios totâ civitate Aeduorum dimittit: eodem mendacio de caede equitum et principum permovet: hortatur, ut simili ratione, atque ipse fecerit, suas injurias persequantur.

INTERPRETATIO.

a *Quasi sit res deliberanda.*

XXXIX. Eporedorix Aeduus, summo loco natus adolescens, et summae domi potentiae, et unà Virdumarus, pari aetate et gratiâ, sed genere dispari, quem Caesar sibi ad Divitiaco transditum ex humili loco ad summam dignitatem perduxerat, in equitum numero convenerant, nominatim ab eo evocati. His erat inter se de principatu contentio: et in illâ magistratuum controversiâ alter pro Convictolitane, alter pro Coto summis opibus pugnaverat. Ex iis Eporedorix, cognito Litavici consilio, mediâ ferè nocte rem ad Caesarem defert; orat ne patiatur civitatem pravis adolescentium consiliis, ab amicitiâ populi Romanì deficere: quod futurum provideat, si se tot hominum millia cum hostibus conjunxerit, quorum salutem neque propinqui negligere, neque civitas levi momento aestimare posset.

XL. Magnâ affectus sollicitudine hôc nuntio Caesar, quòd semper Aeduorum civitati praecipuè indulserat, nullâ interpositâ dubitatione, [1] legiones expeditas iv, equitatumque omnem ex castris educit. Nec fuit spatium tali tempore ad contrahenda castra, quòd res in celeritate posita esse videbatur. [2] C. Fabium legatum cum legionibus II castris praesidio relinquit: fratres Litavici, quum comprehendi jussisset, paullò ante reperit ad hostes profugisse. Adhortatus milites, ne necessario tempore itineris labore permoveantur, cupidissimis omnibus, progressus millia passuum XXV, agmen Aeduorum conspicatus, emisso equitatu, iter eorum moratur atque impedit: interdicitque omnibus, ne quemquam interficiant. Eporedorigem et Virdumarum, quos illi interfectos existimabant, inter equites versari, suosque appellare jubet. Iis cognitis et Litavici fraude perspectâ, Aedui manus tendere et deditionem significare, et projectis armis, mortem deprecari incipiunt. Litavicus [3] cum suis clientibus, quibus nefas, more Gallorum est, etiam in extremâ fortunâ deserere patronos, Gergoviam profugit.

XLI. Caesar nuntiis ad civitatem Aeduorum missis, qui suo beneficio conservatos docerent, quos jure belli interficere potuisset, tribusque horis noctis exercitui ad quietem datis, castra ad Gergoviam movit. Medio ferè itinere equites, à Fabio missi, quanto res in periculo fuerit, exponunt: summis copiis castra oppugnata demonstrant; quum crebrò integri defessis succederent, nostrosque assiduo labore defatigarent, quibus, propter magnitudinem castrorum, perpetuò esset iisdem in vallo permanendum: multitudine sagittarum, atque omnis generis telorum, multos vulneratos: ad haec sustinenda magno usui fuisse tormenta: Fabium discessu eorum, duabus relictis portis, obstruere caeteras, pluteosque vallo addere, et se in posterum diem similem ad casum parare. Iis rebus

NOTÆ.

1 *Legiones expeditas* iv.] Quorum milites neque vallum neque cibum ferebant pro more.

2 *C. Fabium*] Is eſt, quem Cæſar in Morinos cum una legione miſit, quique poſtea præmiſſus in Hiſpanias è ſaltu Pyrenæo præſidia L. Afranii dejecit. Erat ex antiquiſſima gente Fabiorum Patritia majorum gentium à fama, ut opinantur, dicta.

3 *Cum ſuis clientibus*,] Videntur ii fuiſſe ſoldurii, de quibus ſupra dixit, lib. iii. quorum hæc erat conditio, ut cum patronis ſuis, ſi neceſſe ſit, commorerentur.

cognitis, Caesar, summo studio militum, ante ortum solis in castra pervenit.

XLII. Dum haec ad Gergoviam geruntur, Aedui, primis nuntiis à Litavico acceptis, nullum sibi ad cognoscendum spatium relinquunt. Impellit alios avaritia, alios iracundia et temeritas, quae maximè illi hominum generi est innata, [1] ut levem auditionem habeat pro re compertâ: bona civium Romanorum diripiunt, caedes faciunt, in servitutem abstrahunt. Adjuvat rem proclinatam Convictolitanis, plebemque ad furorem impellit, ut, facinore admisso, ad sanitatem reverti pudeat. M. [2] Aristium tribunum mil. iter ad legionem facientem, fide datâ, ex oppido [3] Cabillono educunt: idem facere cogunt eos, qui negotiandi caussâ ibi constiterant. Hos continuò in itinere adorti, omnibus impedimentis exuunt: repugnantes diem noctemque obsident: multis utrinque interfectis, majorem multitudinem ad arma concitant.

XLIII. Interim nuntio allato, omnes eorum milites in potestate Caesaris teneri, concurrunt ad Aristium: nihil publico factum consilio demonstrant: [4] quaestionem de bonis direptis decernunt: Litavici fratrumque bona publicant: legatos ad Caesarem, suî purgandi gratiâ, mittunt, Haec faciunt, recuperandorum suorum caussâ. Sed contaminati facinore, et capti compendio ex direptis bonis, quòd ea res ad multos pertinebat, et timore poenae exterriti, consilia clam de bello inire incipiunt, civitatesque reliquas legationibus sollicitant: quae tametsi Caesar intelligebat, tamen, quàm mitissimè potest, legatos appellat: nihil se, propter inscientiam levitatemque vulgi, gravius de civitate judicare, neque de suâ in Aeduos benevolentiâ diminuere. [5] Ipse majorem Galliae motum exspectans, ne ab omnibus civitatibus circumsisteretur, consilia inibat, quemadmodum à Gergoviâ discederet, ac rursus omnem exercitum contraheret, ne profectio nata à timore defectionis, similis fugae videretur.

XLIV. Haec cogitanti accidere visa est facultas bene rei gerendae. Nam quum minora in castra, operis perspiciendi caussâ, venisset, animadvertit collem, qui ab hostibus tenebatur, nudatum hominibus, qui superioribus diebus vix prae multitudine cerni poterat. Admiratus, quaerit ex perfugis caussam, quorum magnus ad eum quotidie numerus confluebat. Constabat inter omnes, quod jam ipse Caesar per exploratores cognoverat, dorsum esse ejus jugi prope aequum, sed silvestre et angustum, quâ esset aditus ad alteram partem oppidi: vehementer huic illos loco timere; nec jam aliter sentire, uno colle ab Romanis occupato, si alterum amisissent, quin penè circumvallati, at-

NOTÆ.

1 *Ut levem auditionem habeant pro re comperta.*] Sunt enim creduli Galli. Martialis lib. v. epigr. 1.

Et tumidus Gallæ credulitate fruar.

2 *Aristium*] M. Aristius hic videtur esse ad quem scribit Cicero lib. xiii. epist. quanquam ibi Aristus dicitur.

3 *Cabillono.*] Cavillonum seu Cabillonum urbs ab Ararim, *Châlons sur Saone.*

4 *Quæstionem de bonis direptis.*] Non tantum judicium, sed inquisitionem significat, quam *informationem* dicunt.

5 *Ipse majorem Galliæ motum exspectans.*] Argumento hoc est, nunquam fuisse debellandam Galliam, universa si adversus Romanos consensisset.

que omni exitu et pabulatione interclusi viderentur: ad hunc muniendum locum omnes â Vercingetorige evocatos.

XLV. Hâc re cognitâ, Caesar mittit complures equitum turmas eò de mediâ nocte: iis imperat, ut paullò tumultuosiùs omnibus in locis pervagarentur. Primâ luce magnum numerum impedimentorum ex castris mulorumque produci, [1] deque iis stramenta detrahi, mulionesque cum cassidibus, equitum specie ac simulatione, collibus circumvehi jubet. His paucos addit equites, qui latiùs ostentationis caussâ vagarentur. Longo circuitu easdem omnes jubet petere regiones. Haec procul ex oppido videbantur, [2] ut erat à Gergoviâ despectus in castra: [3] neque tanto spatio, certi quid esset, explorari poterat. Legionem unam eodem jugo mittit, et paullùm progressam inferiore loco constituit, silvisque occultat. Augetur Gallis suspicio, atque omnes illò munitionum copiae transducuntur. Vacua castra hostium Caesar conspicatus, [4] tectis insignibus suorum, occultatisque signis militaribus, raros milites, ne ex oppido animadverterentur, ex majoribus castris in minora transducit: legatisque, quos singulis legionibus praefecerat, quid fieri vellet, ostendit. In primis monet, ut contineant milites, ne studio pugnandi, aut spe praedae longiùs progrediantur. Quid iniquitas loci habeat incommodi, proponit: hoc unâ celeritate posse vitari: occasionis esse rem, non prœlii. His rebus expositis, signum dat, et ab dextrâ parte alio adscensu eodem tempore Aeduos mittit.

XLVI. Oppidi murus ab planitie, atque initio adscensûs, rectâ regione, si nullus anfractus intercederet, MCC passus aberat. Quidquid huic circuitûs ad molliendum clivum accesserat, id spatium itineris augebat. A medio ferè colle in longitudine, ut natura montis ferebat, ex grandibus saxis vi pedum murum, qui nostrorum impetum tardaret, produxerant Galli; atque inferiore omni spatio vacuo relicto, superiorem partem collis usque ad murum oppidi densissimis castris compleverant. Milites, signo dato, celeriter ad munitionem perveniunt, eamque transgressi, trinis castris potiuntur. Ac tanta fuit in capiendis castris celeritas, ut Theutomatus rex Nitiobrigum subitò in tabernaculo oppressus, ut meridie conquieverat, superiore corporis parte nudatâ, vulnerato equo, vix se ex manibus praedantium militum eriperet.

XLVII. Consecutus id quod animo proposuerat Caesar, receptui

NOTÆ.

1 *Dequ iis ſtramenta detrahi,*] Clitellas quæ mulis inſternuntur intelligit, quæ et ſtramine effarciri ſolent.

2 *Ut erat à Gergoviâ deſpectus in caſtra:*] A Claromonte diſtant ejus urbis veſtigia ſemileucæ ſpatio.

3 *Neque tanto ſpatio certi quid eſſet explorari poterat*] Cum teleſcopii uſus nondum eſſet inventus, hoc ſtratagema fuit utile, quo nunc fruſtra quis uteretur, cum in tam longinquum ſpatium ars aciem oculorum promovit.

4 *Tectis inſignibus ſuorum,*] Varia erant apud Romanos inſignia, pro varia dignitate militum, ut ſigniferis erant galeæ urſinis pellibus tectæ; pilanis erant exuviæ lupinæ. Polyænus addit mandaſſe Cæſarem ut brevia jacula et convenientes gladios ſumerent, ne per humiles ſilvas extarent, neu recto corpore, ſed ſubmiſſis poplitibus graderentur.

cani jussit: legionisque decimae, [1] quâ cum erat concionatus, signa constitere. At reliquarum milites legionum, non exaudito tubae sono, quòd satis magna vallis intercedebat, tamen à tribunis militum, legatisque, ut erat à Caesare praeceptum, retinebantur. Sed elati spe celeris victoriae et hostium fugâ, superiorumque temporum secundis prœliis, nihil adeò arduum sibi existimabant, quod non virtute consequi possent: nequè priùs finem sequendi fecerunt, quàm muro oppidi portisque appropinquârunt. Tum verò ex omnibus urbis partibus orto clamore, qui longiùs aberant repentino tumultu perterriti, quum hostes intra portas esse existimarent, sese ex oppido ejecerunt. Matres familiâs de muro [2] vestem argentumque jactabant, et pectore nudo prominentes, passis manibus obtestabantur Romanos, ut sibi parcerent; neu, sicut Avarici fecissent, ne mulieribus quidem atque infantibus abstinerent. Nonnullae de muris per manus demissae, sese militibus transdebant. L. Fabius centurio legionis viii, quem inter suos eo die dixisse constabat, [a] excitari se Avaricensibus praemiis, neque commissurum, ut priùs quisquam murum adscenderet, tres suos nactus manipulares, atque ab iis sublevatus, murum adscendit: eos ipse rursus singulos exceptans, in murum extulit.

XLVIII. Interim ii, qui ad alteram partem oppidi, ut suprà demonstravimus, munitionis caussâ, convenerant, primo exaudito clamore, inde etiam crebris nuntiis incitati, oppidum ab Romanis teneri, praemissis equitibus, magno concursu eò contenderunt. Eorum ut quisque primus venerat, sub muro consistebat, suorumque pugnantium numerum augebat. Quorum quum magna multitudo convenisset, matresfamilias, quae paullò ante Romanis de muro manus tendebant, suos obtestari, et more Gallico passum capillum ostentare, liberosque in conspectum proferre cœperunt. Erat Romanis nec loco nec numero aequa contentio: simul et cursu et spatio pugnae defatigati non facilè recentes atque integros sustinebant.

XLIX. Caesar, cùm iniquo loco pugnari, hostiumque augeri copias videret, praemetuens suis, ad T. Sextium legatum, quem minoribus castris praesidio reliquerat, mittit, ut cohortes ex castris celeriter educeret, et sub infimo colle ab dextro latere hostium constitueret; ut, si nostros depulsos loco vidisset, quò minùs liberè hostes insequerentur, terreret. Ipse paullùm ex eo loco cum legione progressus, ubi constiterat, eventum pugnae exspectabat.

INTERPRETATIO.

a *Inflammari se præmiis datis Avarici* commilitonibus, *neque passurum ut ulprior scanderet mœnia.*

NOTÆ.

1 *Quacum erat concionatus.*] Suspicio mendi maxima. Reponendum, *qua tum erat comitatus*; cui emendationi dat locum quod supra dixit hanc legionem à se prætoriæ cohortis loco habitam.

2 *Vestem argentumque jactabant.*] Præter vestimenta vestibus accensentur tapetia, culcitræ, pelles, tegmina subselliorum, cervicalia; teste Ulpiano.

L. Quum acerrimè comminùs pugnaretur, hostes loco et numero; nostri virtute confiderent: subitò sunt Aedui visi, ab latere nostris aperto, quos Caesar ab dextrâ parte alio adscensu, manûs distinendae caussâ, miserat. Ii similitudine armorum vehementer nostros perterruerunt: ac tametsi [1] dextris humeris exertis animadvertebantur, quod insigne pacatis esse consueverat, tamen id ipsum suî fallendi caussâ milites ab hostibus factum existimabant. Eodem tempore L. Fabius centurio, quique unà murum adscenderant, circumventi atque interfecti, de muro praecipitabantur. M. Petreius ejusdem legionis centurio, quum portas exscindere conatus esset, à multitudine oppressus, ac sibi desperans, multis jam vulneribus acceptis, manipularibus suis, qui illum secuti erant; Quoniam, inquit, me unà vobiscum servare non possum, vestrae quidem certè saluti prospiciam, quos cupiditate gloriae adductus, in periculum deduxi: vos, datâ facultate, vobis consulite. Simul irrupit in medios hostes, duobusque interfectis, reliquos à portâ paullùm submovit. Conantibus auxiliari suis; frustra, inquit, meae vitae subvenire conamini quem jam sanguis viresque deficiunt; proinde hinc abite, dum est facultas, vosque ad legionem recipite. Ita pugnans post paullùm concidit, ac suis saluti fuit.

LI. Nostri, quum undique premerentur, xlvi centurionibus amissis, dejecti sunt loco. Sed intolerantiùs Gallos insequentes legio x tardavit, quae pro subsidio paullò aequiore loco constiterat. Hanc rursus xiii legionis cohortes exceperunt; quae ex castris minoribus eductae, cum T. Sextio legato ceperant locum superiorem. Legiones ubi primùm planitiem attigerunt, infestis contra hostes signis constiterunt. Vercingetorix ab radicibus collis suos intra munitiones reduxit. [2] Eo die milites sunt paullò minùs DCC desiderati.

LII. Postero die Caesar, concione advocatâ, temeritatem cupiditatemque militum reprehendit, quòd sibi ipsi judicavissent, quo procedendum, aut quid agendum videretur, neque, signo recipiendi dato, constitissent, neque à tribunis mil. legatisque retineri potuissent: exposuit, quid iniquitas loci posset, quid ipse ad Avaricum sensisset, quum sine duce et sine equitatu deprehensis hostibus, exploratam victoriam dimisisset, ne parvum modò detrimentum in contentione propter iniquitatem loci acciperet. Quantopere eorum animi magnitudinem admiraretur, quos non castrorum munitiones, non altitudo montis, non murus oppidi tardare potuisset: tantopere licentiam arrogantiamque reprehendere, quòd plus se quàm imperatorem, de victoriâ atque exitu rerum sentire existimarent: [3] nec minùs se in milite mo-

NOTÆ.

1 *Dextris humeris exertis*] De exertis humeris ſatis difficile videtur aliquid ſtatuere, an demiſſo clypeo id fieret, quo dextrum brachium tegebatur de more, niſi cominus et enſe pugnando, an verò rejecto à dextra parte in tergum ſago. Silius.

Ipſe humero exertus gentili more parentum
Difficili gaudebat equo——

2 *Eo die milites ſunt paullo minus* DCC *deſiderati.*] Eutropius de hoc loco ſic habet: *Cæſar erumpentibus deſuper hoſtibus preſſus, multa exercitus ſui parte perditâ victus aufugit.*

3 *Nec minus ſe in milite,* &c.] Clearchi Lacedæmoniorum ducis celebre dictum eſt;

destiam et continentiam, quàm virtutem, atqne animi magnitudinem, desiderare.

LIII. Hâc habitâ concione, et ad extremum oratione confirmatis militibus, ne ob hanc caussam animo permoverentur, neu, quod iniquitas loci attulisset, id virtuti hostium tribuerent: eadem de profectione cogitans, quae ante senserat, legiones ex castris eduxit, aciemque idoneo loco constituit. Quum Vercingetorix nihilo magis in aequum locum descenderet, levi facto equestri proelio, atque eo secundo, in castra exercitum reduxit. Quum hoc idem postero die fecisset, satis ad Gallicam ostentationem minuendam, militumque animos confirmandos factum existimans, in Aeduos castra movit. Ne tum quidem insecutis hostibus, iii die ad flumen Elaver pontem refecit, atque exercitum transduxit.

LIV. Ibi à Virdumaro atque Eporedorige Aeduis appellatus, discit, cum omni equitatu Litavicum ad sollicitandos Aeduos profectum: opus esse et ipsos praecedere ad confirmandam civitatem. Etsi multis jam rebus perfidiam Aeduorum Caesar perspectam habebat, atque horum discessu admaturari defectionem civitatis existimabat; tamen retinendos eos non censuit, ne aut inferre injuriam videretur, aut dare timoris aliquam suspicionem. Discedentibus his, breviter sua in Aeduos merita exposuit, quos, et quâm humiles accepisset; compulsos in oppida, multatos agris, omnibus ereptis copiis, imposito stipendio, obsidibus summâ cum contumeliâ extortis, quam in fortunam quamque in amplitudinem deduxisset, ut non solùm in pristinum statum redîssent, sed omnium temporum dignitatem et gratiam antecessisse viderentur. His datis mandatis, eos ab se dimisit.

LV. [1] Noviodunum erat oppidum Aeduorum, ad ripas Ligeris opportuno loco positum. Huc Caesar omnes obsides Galliae, frumentum, pecuniam publicam, suorum atque exercitûs impedimentorum magnam partem contulerat. Huc magnum numerum equorum, hujus belli caussâ in Italiâ atque Hispaniâ coëmptorum, miserat. Eò quum Eporedorix Virdumarusque venissent, et de statu civitatis cognovissent, Litavicum [2] Bibracte ab Aeduis receptum, quod est oppidum apud eos maximae auctoritatis, Convictolitanem magistratum magnamque partem senatûs ad eum convenisse, legatos ad Vercingetorigem de pace et amicitiâ conciliandâ publicè missos; non praetermittendum tantum commodum existimaverunt. Itaque, interfectis Novioduni custodibus, quique eò negotiandi aut itineris caussâ convenerant, pecuniam atque equos inter se partiti sunt; obsides civitatum Bibracte ad magistratum deducendos curaverunt; [3] oppidum, quod ab se teneri non

NOTÆ.

A militibus Imperatorem potius quam hostem metui debere. Val. Max. lib. xi. cap. 7.

1 *Noviodunum.*] *Nevers.* Aimoinus: *Quam quidem Nivernis esse putant.* Hugo vero Floriacensis Monachus, *Nivedunus quæ et Nivernis.*

2 *Bibracte.*] *Bevray*, ut patet ex Eumenii Rhetoris panegyrico, ubi Augustodunum à Bibracte distinguit. Nunc est in vici formam redactum.

3 *Oppidum quod ab se teneri non posse*, &c.] Monet Vegetius, lib. iv. cap. 7. *Quæ asportari nequiverint exurenda, nihilque quod usui proficiat relinquendum.*

posse judicabant, ne cui esset usui Romanis, incenderunt: frumenti quod subitò potuerunt, navibus avexerunt, reliquum flumine atque incendio corruperunt: ipsi ex finitimis regionibus copias cogere, praesidia custodiasque ad ripas Ligeris disponere, equitatumque omnibus locis, injiciendi timoris caussâ, ostentare cœperunt; si aut re frumentariâ Romanos excludere, aut adductos inopiâ, [1] ex Provinciâ expellere possent: quam ad spem multùm eos adjuvabat, quòd Liger ex nivibus creverat, ut omnino vado transiri non posse videretur.

LVI. Quibus rebus cognitis, Caesar maturandum sibi censuit, [2] si esset in perficiendis pontibus periclitandum, ut priùs, quàm essent majores eo copiae coactae, dimicaret. Nam, ut commutato consilio iter [3] in Provinciam converteret, id ne tum quidem necessariò faciendum existimabat; quum infamia atque indignitas rei, et oppositus mons Cebenna, viarumque difficultas impediebat; tum maximè, quòd adjungi Labieno, atque iis legionibus, quas unà miserat, vehementer cupiebat. Itaque, admodùm magnis diurnis atque nocturnis itineribus confectis, contra omnium opinionem, ad Ligerim pervenit; vadoque per equites invento, pro rei necessitate opportuno; ut brachia modo, atque humeri ad sustinenda arma liberi ab aquâ esse possent, [4] disposito equitatu, qui vim fluminis refringeret, atque hostibus primo adspectu perturbatis, incolumem exercitum transduxit: frumentumque in agris, et copiam pecoris nactus, repleto iis rebus exercitu, iter in Senones facere instituit.

LVII. Dum haec apud Caesarem geruntur, Labienus eo supplemento, quod nuper ex Italiâ venerat, relicto Agendici, ut esset impedimentis praesidio, cum IV legionibus Lutetiam proficiscitur. Id est oppidum Parisiorum, positum in insulâ fluminis Sequanae. Cujus adventu ab hostibus cognito, magnae ex finitimis civitatibus copiae convenerunt. Summa imperii transditur Camulogeno Aulerco; qui propè confectus aetate, tamen propter singularem scientiam rei militaris, ad eum est honorem evocatus. Is, quum animadvertisset [5] perpetuam esse paludem, quae influeret in Sequanam, atque illum omnem locum magnopere impediret, hîc consedit; nostrosque transitu prohibere instituit.

LVIII. Labienus primò vineas agere, cratibus atque aggere paludem explere, atque iter munire conabatur. Postquam id difficiliùs confieri animadvertit, silentio è castris III vigiliâ egressus, co-

NOTÆ.

1 *Ex provincia*] Male. Reponendum enim videtur *in Provinciam*, nempe Galliam Narbonensem.

2 *Si esset in perficiendis pontibus periclitandum*,] Solent enim hostes in transitu fluminum, atque in ipsâ pontium fabricatione occupatos aggredi.

3 *In provinciam*] Nempe Galliam Narbonensem, quæ pridem erat in Romanorum potestate.

4 *Disposito equitatu*, &c.] Quo modo id fieri posset, narrat Veget. lib. iii. *Explorato vado duæ acies equitum ordinantur intervallis competentibus separatæ, ut per medium equites et impedimenta transeant. Nam acies superior aquarum impetum frangit, inferior, qui rapti submersive fuerint colligit atque transponit.*

5 *Perpetuum esse paludem*,] Quam efficiebat à meridie fluviolus, qui nunc dicitur *de Bievre*, et in Sequanam influebat in eo loco qui nunc adhuc ejus nomen retinet, *Rue de Bievre*, quamquam sit exsiccatus alveus.

dem, quo venerat, itinere [1] Metiosedum pervenit. Id est oppidum Senonum in insulâ Sequanae positum, ut paullò ante Lutetiam diximus. Deprehensis navibus circiter L, celeriterque conjunctis, atque eò militibus impositis, et rei novitate perterritis oppidanis, quorum magna pars erat ad bellum evocata, sine contentione oppido potitur. Refecto ponte, quem superioribus diebus hostes resciderant, [2] exercitum transducit, et secundo flumine ad Lutetiam iter facere cœpit. Hostes, re cognitâ ab iis qui à Metiosedo profugerant, [3] Lutetiam incendi pontesque ejus oppidi rescindi jubent: [4] ipsi profecti palude, in ripis Sequanae, è regione Lutetiae, [5] contra Labieni castra considunt.

LIX. Jam Caesar à Gergoviâ discessisse audiebatur: jam de Aeduorum defectione, et [6] secundo Galliae motu rumores afferebantur, Gallique in colloquiis, interclusum itinere et Ligere Caesarem, inopiâ frumenti coactum, in Provinciam contendisse confirmabant. Bellovaci autem, defectione Aeduorum cognitâ, qui ante erant per se infideles, manus cogere, atque apertè bellum parare cœperunt. Tum Labienus, tantâ rerum commutatione, longè aliud sibi capiendum consilium, atque antea senserat, intelligebat. Neque jam, ut aliquid acquireret, prœlioque hostes lacesseret, sed, ut incolumem exercitum Agendicum reduceret, cogitabat. [7] Namque alterâ ex parte Bellovaci (quae civitas in Galliâ maximam habet opinionem virtutis) instabant: alteram Camulogenus parato atque instructo exercitu tenebat. [8] Tum legiones à praesidio atque impedimentis interclusas maximum flumen distinebat. Tantis subitò difficultatibus objectis, ab animi virtute auxilium petendum videbat.

LX. Itaque sub vesperum concilio convocato, cohortatus, ut ea quæ imperâsset, diligenter industrièque administrarent, naves, quas à Metiosedo deduxerat, singulas equitibus Romanis attribuit, et, primâ confectâ vigiliâ, iv millia passuum secundo flumine progredi silentio, ibique se exspectari jubet: v cohortes, quas minimè firmas ad dimicandum esse existimabat, castris praesidio relinquit: [9] v ejusdem legionis reliquas de mediâ nocte cum omnibus impedimentis adverso flu-

NOTÆ.

1 *Metioſedum*] Alibi legitur *Melodunum*. Interpres Græcus habet Μελοδουνον. Ex ſitu intelligitur eſſe *Melun*. Eſt enim in inſula, et hactenus Senonum eſt diæceſeos.

2 *Exercitum tranſducit*,] In ſeptentrionalem partem.

3 *Lutetiam incendi*,] Diffidebant enim ſe poſſe ſervare, cum majores eſſent Labieno copiæ.

4 *Ipſi profecti palude*, &c.] Palus enim non multum ultra fluviolum extendebatur.

5 *Contra Labieni caſtra*] Quæ erant in ſeptentrionali parte Lutetiæ.

6 *Secundo Galliæ motu*] Nam primi fuerat initium apud Genabum, ſecundus hic erat jam deficientibus Æduis, qui magnam Galliae ſpem afferebat libertatis recuperandæ.

7 *Namque altera ex parte Bellovaci*] Vel hic locus oſtendit Camulogenum ea in parte caſtra poſuiſſe quæ eſt Bellovacis contraria. Ea porro eſt quæ nunc Univerſitas dicitur.

8 *Tum legiones à præſidio*, &c.] Sequana nempe fluvius. Nam Agedincum ultra Sequanam poſitum erat, cùm eſſent Romani in ſeptentrionali ripa Lutetiæ.

9 v *ejuſdem legiones reliquas*, &c.] Vel hic locus oſtendit legiones x cohortibus conſtitiſſe.

mine magno tumultu proficisci imperat. Conquirit etiam lintres: has magno sonitu remorum incitatas, in eandem partem mittit. Ipse post paullò, silentio egressus cum III legionibus eum locum petit, quò naves appelli jusserat.

LXI. Eò quum esset ventum, exploratores hostium, ut omni fluminis parte erant dispositi, inopinantes, quòd magna subitò erat coorta tempestas, ab nostris opprimuntur; exercitus equitatusque, equitibus Romanis administrantibus, quos ei negotio praefecerat, celeriter transmittitur. Unò ferè tempore sub lucem hostibus nuntiatur, in castris Romanorum [1] praeter consuetudinem tumultuari, et magnum ire agmen adverso flumine, sonitumque remorum in câdem parte exaudiri, et paullò infra milites navibus transportari. Quibus rebus auditis, [2] quòd existimabant tribus locis transire legiones, atque omnes perturbatos defectione Aeduorum fugam parare, suas quoque copias in tres partes distribuerunt. Nam, et praesidio è regione castrorum relicto, et parvâ manu Metiosedum versus missâ, quae tantum progrederetur, quantum naves processissent, reliquas copias contra Labienum duxerunt.

LXII. Primâ luce et nostri omnes erant [3] transportati, et hostium acies cernebatur. [4] Labienus milites cohortatus, ut suae pristinae virtutis, et tot secundissimorum prœliorum memoriam tenerent, atque ipsum Caesarem, cujus ductu saepenumero hostes superâssent, adesse existimarent; dat signum prœlii. Primo concursu, ab dextro cornu, ubi VII legio constiterat, hostes pelluntur, atque in fugam conjiciuntur: ab sinistro, quem locum XII legio tenebat, quum primi ordines hostium transfixi pilis concidissent: tamen acerrimè reliqui resistebant, nec dabat suspicionem fugae quisquam. Ipse dux hostium Camulogenus suis aderat, atque eos cohortabatur. At, incerto etiam nunc exitu victoriae, quum VII legionis tribunis esset nuntiatum, quae in sinistro cornu gererentur, post tergum hostium legionem ostenderunt, signaque intulerunt. Ne eo quidem tempore quisquam loco cessit, sed circumventi omnes interfectique sunt: eandem fortunam tulit Camulogenus. At ii, qui praesidio contra castra Labieni erant relicti, quum prœlium commissum audîssent, subsidio suis ièrunt, collemque ceperunt, neque nostrorum militum victorum impetum sustinere potuerunt: sic, cum suis fugientibus permisti, quos non silvae montesque texerunt, ab equitatu sunt interfecti. Hoc negotio confecto, Labienus revertitur Agendicum, ubi impedimenta totius exercitûs relicta erant: inde cum omnibus copiis, ad Caesarem pervenit.

NOTÆ.

1 *Præter consuetudinem tumultuari.*] Passivè quidem, quod notandum; rarius enim hoc modo apud autores invenitur.

2 *Quod existimabant*, &c.] Ituris Agedincum ubi erant Romanorum impedimenta, vel Gergoviam ad Cæsarem, si ille Ligerim non transisset, et ad Senones non venisset, transeundus erat fluvius Sequana.

3 *Transportati.*] Ex septentrionali, seu Belgica ripa, in meridionalem, seu Celticam.

4 *Labienus milites cohortatus,*] Hoc prœlium infra Lutetiam factum est; nisi ipse, qui coram non adfuit, Cæsar falsus est; ut multis in locis minus accurate scripsit, aliorum narrationibus deceptus.

LXIII. Defectione Aeduorum cognitâ, bellum augetur: legationes in omnes partes circummittuntur: quantum gratiâ, auctoritate, pecuniâ valent, ad sollicitandas civitates nituntur. Nacti óbsides, quos Caesar apud eos deposuerat, horum supplicio dubitantes territant. Petunt à Vercingetorige Aedui, ut ad se veniat, rationesque belli gerendi communicet. Re impetratâ contendunt, ut ipsis summa imperii transdatur: et, re in controversiam deductâ, totius Galliae concilium Bibracte indicitur. Eodem conveniunt undique frequentes: multitudinis suffragiis res permittitur: [1] ad unum omnes Vercingetorigem probant Imperatorem. [2] Ab hoc concilio Rhemi, Lingones, Treviri, abfuerunt: illi, quòd amicitiam Romanorum sequebantur: Treviri, quòd aberant longiùs, et ab Germanis premebantur: quae fuit caussa, quare toto abessent bello, et neutris auxilia mitterent. Magno dolore Aedui ferunt se dejectos principatu: queruntur fortunae commutationem; et Caesaris indulgentiam in se requirunt: neque tamen, suscepto bello, suum consilium ab reliquis separare audent. Inviti summae spei adolescentes Eporedorix et Virdumarus, Vercingetorigi parent.

LXIV. Ille imperat reliquis civitatibus obsides. Denique ei rei constituit diem; huc omnes equites, XV millia numero, celeriter convenire jubet. Peditatu, quem ante habuerit, se fore contentum dicit; neque fortunam tentaturum, neque acie dimicaturum; sed, quoniam abundet equitatu, perfacile esse factu, frumentationibus pabulationibusque Romanos prohibere: aequo modò animo sua ipsi frumenta corrumpant, aedificiaque incendant; qua rei familiaris jacturâ perpetuum imperium, libertatemque se consequi videant. His constitutis rebus, Aeduis, [3] Segusianisque qui sunt finitimi Provinciae, X millia peditum imperat. Huc addit equites DCCC; his praeficit fratrem Eporedorigis, bellumque inferre Allobrogibus jubet. Alterâ ex parte Gabalos, proximosque pagos Arvernorum in Helvios, item Ruthenos, Cadurcosque ad fines Volcarum Arecomicorum depopulandos, mittit. Hic nihilominùs clandestinis nuntiis legationibusque Allobroges sollicitat, [4] quorum mentes nondum à superiore bello resedisse sperabat: Horum principibus pecunias, civitati autem imperium totius Provinciae pollicetur.

LXV. Ad hos omnes casus provisa erant praesidia cohortium dua-

NOTÆ.

1 *Ad unum omnes Vercingetorigem probant Imperatorem*] Qui jam Arvernorum rex, fit Galliæ totius Imperator. Sic apud Livium, lib. v. *Prisco Tarquinio Romæ regnante Celtarum, quæ pars Galliæ tertia est, penes Bituriges summa imperii fuit. Ii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunaque cum sua, tum publica præpollens.*

2 *Ab hoc concilio Rhemi, Lingones, Treviri abfuerunt :*] Nunquam ergo universa Gallia adversus Romanos consensit. Rhemi enim et Lingones et Treviri maximi populi erant qui ab hoc bello, reliquis in hoc bellum consentientibus abfuerunt.

3 *Segusianisque*] In Segusianis est positum Lugdunum.

4 *Quorum mentes nondum à superiore bello resedisse sperabat.*] Novem anni inter illud Allobrogicum bellum et Vercingetorigis sollicitationem intercesserant.

rum et viginti, quae ex ipsâ coacta Provinciâ ab L. [1] Caesare legato ad omnes partes opponebantur. Helvii, suâ sponte cum finitimis proelio congressi, pelluntur, et C. Valerio Donotauro Caburi filio principe civitatis, compluribusque aliis interfectis, intra oppida murosque compelluntur. Allobroges, crebris ad Rhodanum dispositis praesidiis, magnâ cum curâ et diligentiâ suos fines tuentur. [2] Caesar, quòd hostes equitatu superiores esse intelligebat, et, interclusis omnibus itineribus, nullâ re ex provinciâ atque Italiâ sublevari poterat, trans Rhenum in Germaniam mittit ad eas civitates, quas superioribus annis pacaverat, [3] equitesque ab his accersit, et levis armaturae pedites, qui inter eos praeliari consueverant. Eorum adventu, quòd minus idoneis equis utebantur, à trib. mil. reliquisque, sed et equitibus Romanis, atque [4] evocatis, equos sumit, Germanisque distribuit.

LXVI. Interea dum haec geruntur, hostium copiae ex Arvernis, equitesque, qui toti Galliae erant imperati, conveniunt. Magno horum coacto numero, quum Caesar in Sequanos per extremos Lingonum fines iter faceret, quò faciliùs subsidium Provinciae ferri posset, circiter millia passuum x ab Romanis, trinis castris Vercingetorix consedit; convocatisque ad concilium praefectis equitum, venisse tempus victoriae demonstrat: fugere in Provinciam Romanos, Galliâque excedere: id sibi ad praesentem obtinendam libertatem satis esse; ad reliqui temporis pacem atque otium, parum proficì. Majoribus enim coactis copiis reversuros, neque finem bellandi facturos: proinde, âgmine impeditos adoriantur: si pedites suis auxilium ferant, atque in eo morentur, iter confici non posse: sin (id quod magis futurum confidat) relictis impedimentis, suae saluti consulant, et usu rerum necessariarum, et dignitate spoliatum iri. Nam de equitibus hostium, quin nemo eorum progredi modò extra agmen audeat, ne ipsos quidem debere dubitare. Id quo majore faciant animo, copias se omnes pro castris habiturum, et terrori hostibus futurum. Conclamant equites, sanctissimo jurejurando confirmari oportere, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad uxorem aditum habeat, qui non bis per hostium agmen perequitâsset.

LXVII. Probatâ re, atque omnibus ad jusjurandum adactis, postero die in tres partes distributo equitatu, duae se acies à duobus lateribus ostendunt: una à primo agmine iter impedire coepit. Quâ re nuntiatâ,

NOTÆ.

1 *L. Cæsare*] L. Cæsar cum M. Figulo consulatum gessit anno urbis conditæ MCXC. posteaque, orto bello civili, Pompeii partibus studuit; invisus eo nomine nostro Cæsari, supplex quamvis fuisset, ab eo est interemptus.

2 *Cæsar, quod hostes equitatu superiores, &c.*] Cæsari semper curæ fuit, ut vires haberet tantas, quantæ sufficiebant ad victoriam, saltemque æquales hostium viribus. Sic cum videret Belgarum multitudinem, prœlio supersedere maluit.

3 *Equitesque ab his accersit,*] Ab his postea Germanis equitibus semper initium vincendi factum in Gallico civilique bello.

4 *Evocatis,*] Evocati sunt qui legitimis stipendiis confectis, tanquam exercitatissimi in armis ad bellum ab imperatoribus evocabantur.

Caesar suum quoque equitatum tripartitò divisum ire contra hostem jubet. [1] Pugnatur unà omnibus in partibus: consistit agmen: impedimenta inter legiones recipiuntur: si quâ in parte nostri laborare, aut graviùs premi videbantur, eò signa inferri Caesar, aciemque converti jubebat: quae res et hostes ad insequendum tardabat, et nostros spe auxilii confirmabat. [2] Tandem Germani ab dextro latere, summum jugum nacti, hostes loco depellunt: [3] fugientes usque ad flumen, ubi Vercingetorix cum pedestribus copiis consederat, persequuntur, compluresque interficiunt. Quâ re animadversâ, reliqui, ne circumvenirentur veriti, se fugae mandant. Omnibus locis fit caedes. Tres nobilissimi Aedui capti ad Caesarem perducuntur; Cotus praefectus equitum, qui controversiam cum Convictolitane proximis comitiis habuerat; et Cavarillus, qui, post defectionem Litavici, pedestribus copiis praefuerat; et Eporedorix, quo duce, ante adventum Caesaris, Aedui cum Sequanis bello contenderant.

LXVIII. Fugato omni equitatu, Vercingetorix copias suas, ut pro castris collocaverat, reduxit: protinùsque [4] Alesiam, quod est oppidum Mandubiorum, iter facere coepit; celeriterque impedimenta ex castris educi, et se subsequi jussit. Caesar, impedimentis in proximum collem deductis, duabusque legionibus praesidio relictis, sequutus, quantum diei tempus est passum, circiter III millibus hostium ex novissimo agmine interfectis, altero die ad Alesiam castra fecit. Perspecto urbis situ, perterritisque hostibus, quòd equitatu, quâ maximè parte exercitûs confidebant, erant pulsi; adhortatus ad laborem milites, Alesiam circumvallare instituit.

LXIX. Ipsum erat oppidum in colle summo, admodum edito loco, ut nisi obsidione expugnari non posse videretur. [5] Cujus collis radices, duo duabus ex partibus flumina subluebant. [6] Ante oppidum

NOTÆ.

1 *Pugnatur una omnibus in partibus.*] Plutarchus ſcribit eo prœlio Cæſarem gladium amiſiſſe, quem in templo Arverni ſuſpenderunt, eum poſtea à Cæſare conſpectum, cum amici tollere ſuaderent, tolli non paſſum fuiſſe, quaſi ſacer fuiſſet, et riſiſſe.

2 *Tandem Germani.*] Ubique Germani Romanis initium vincendi fecerunt Dion vero Vercingetorigem in eo falſum eſſe dicit, quod non cogitabat Germanos cum Romanis eſſe conjunctos, qui aciem ſuam ruperunt. Nimirum inter Romanos ſæpe verſatus non ignorabat, quantum ſui Galli Romanis præſtarent. Sed Germania ea tempeſtate Gallis erant fortiores, ut multis locis Cæſar teſtatur.

3 *Fugientes uſque ad flumen.*] Dio refert Vercingetorigem, Cæſare deſpecto ob detrimenta, quæ is acceperat, Allobrogibus bellum inferre ſtatuiſſe, Cæſarem iis auxilio proficiſcentem, in Sequanſis deprehenſum circumdediſſe. Verum Vercingetorigi longi ſecus quam inſtituerat accidiſſe: nam non modo cladem nullam Romanis intuliſſe; verum eos deſperatione ſalutis ad fortitudinem impuliſſe, ipſumque temeritate ſua, quia multitudini ſuorum confidebat, ſuccubuiſſe.

4 *Aleſiam,*] Aleſia, *Aliſe*, ſic melius, quamquam Alexia à pleriſque ſcribatur. Velleius Paterculus, lib. ii. hujus obſidionis meminit his verbis: *Circa Aleſiam tantæ res quantas audere vix hominis, perficere pene nullius, niſi Dei fuerit.*

5 *Cujus collis radices,* &c.] Lutoſa et Oſera fluvii.

6 *Ante oppidum,* &c.] Vel hoc ex loco intelligitur leucam noſtram quatuor millibus paſſuum Cæſarianis conſtitiſſe, modo non ſit

planities circiter millia passuum III in longitudinem patebat. Reliquis ex omnibus partibus colles, mediocri interjecto spatio, pari altitudinis fastigio oppidum cingebant. Sub muro, quae pars collis ad orientem spectabat, hunc omnem locum copiae Gallorum compleverant; fossamque, et maceriam sex in altitudinem pedum praeduxerant. Ejus munitionis, quae ab Romanis instituebatur, circuitus XI millia passuum tenebat. Castra opportunis locis erant posita: ibique castella XXIII facta, in quibus interdiu stationis disponebantur, ne qua subitò irruptio fieret. Haec eadem noctu excubitoribus ac firmis praesidiis tenebantur.

LXX. Opere instituto, fit equestre proelium in eâ planitie, quam intermissam collibus III millium passuum in longitudinem patere suprà demonstravimus. Summâ vi ab utrisque contenditur. Laborantibus nostris Caesar Germanos submittit, legionesque pro castris constituit, ne qua subito irruptio ab hostium peditatu fiat. Praesidio legionum addito, nostris animus augetur: hostes in fugam conjecti, se ipsi multitudine impediunt; [1] atque angustioribus portis [relictis] coarctantur. Germani acriùs usque ad munitiones sequuntur: fit magna caedes: nonnulli, relictis equis, fossam transire, et maceriam transcendere conantur. Paullùm legiones Caesar, quas pro vallo constituerat, promoveri jubet. Non minùs, qui intra munitiones erant, Galli perturbantur. Venire ad se confestim existimantes, ad arma conclamant. Nonnulli perterriti in oppidum irrumpunt. Vercingetorix jubet portas claudi, ne castra nudentur. Multis interfectis, compluribus equis captis, Germani sese recipiunt.

LXXI. Vercingetorix, priusquam munitiones ab Romanis perficiantur, consilium capit, omnem à se equitatum noctu dimittere. Discedentibus mandat, ut suam quisque eorum civitatem adeat, omnesque, qui per aetatem arma ferre possint, ad bellum cogant. Sua in illos merita proponit, obtestaturque, ut suae salutis rationem habeant, neu se de communi libertate optimè meritum, in cruciatum hostibus dedant: qui si indiligentiores fuerint, millia hominum octoginta delecta secum interitura demonstrat: ratione initâ, frumentum se exiguè dierum triginta habere, sed paullo etiam longiùs tolerare posse parcendo. His datis mandatis, quà erat nostrum opus intermissum, secundâ vigiliâ silentio equitatum dimittit; frumentum omnem ad se ferri jubet: capitis poenam iis, qui non paruerint, constituit; pecus, cujus magna erat ab Mandubiis compulsa copia, viritim distribuit: frumentum parcè et paullatim metiri instituit: copias omnes, quas pro oppido collocaverat, in oppidum recipit. His rationibus auxilia Galliae expectare et bellum administrare parat.

LXXII. Quibus rebus cognitis ex perfugis et captivis, Caesar haec

NOTÆ.

error in numeris. Tribus enim hodie in longitudinem leucæ quadrantibus patet, ut loquimur, illa planities.

1 *Atque angustioribus portis* [*relictis*] Vel deleo *relictis*, vel lego *relicti*. Aliter non constat sensus.

genera munitionis instituit. Fossam pedum viginti directis lateribus duxit, ut ejus solum tantundem pateret, quantum summa labra distabant; reliquas omnes munitiones ab eâ fossâ pedibus CD reduxit: id hôc consilio (quoniam tantum esset necessariò spatium complexus, nec facilè totum opus militum coronâ cingeretur;) ne de improviso, aut noctu ad munitiones hostium multitudo advolaret, aut interdiu tela in nostros operi destinatos conjicere possent. Hôc intermisso spatio, duas fossas xv pedes latas, eâdem altitudine perduxit; quarum interiorem, campestribus ac demissis locis, aquâ ex flumine derivatâ complevit. Post eas aggerem, et vallum xii pedum exstruxit. [1] Huic loricam pinnasque adjecit, grandibus [2] cervis eminentibus ad commissuras pluteorum atque aggeris, qui adscensum hostium tardarent: et turres toto opere circumdedit, quae pedes lxxx inter se distarent.

LXXIII. Erat uno tempore et materiari et frumentari, et tantas munitiones fieri necesse, diminutis nostris copiis, quae longiùs ab castris progrediebantur: et nonnunquam opera nostra Galli tentare, atque eruptionem ex oppido pluribus portis facere summâ vi conabantur. Quare ad haec rursus opera addendum Caesar putavit, quò minore numero militum munitiones defendi possent. Itaque truncis arborum, aut admodum firmis ramis abscissis, atque horum dolabratis atque praeacutis cacuminibus, perpetuae fossae quinos pedes altae ducebantur. Huc illi stipites demissi, et ab infimo revincti ne revelli possent, ab ramis eminebant. Quini erant ordines conjuncti inter se atque implicati, quò qui intraverant, [3] se ipsi acutissimis vallis induebant; hos Cippos appellabant. Ante hos, obliquis ordinibus [4] in quincuncem dispositis, scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, [5] paullatim angustiore ad summum fastigio. Huc teretes stipites feminis crassitudine, ab summo praeacuti et praeusti, demittebantur; ita ut non am-

NOTÆ.

1 *Huic loricam*, &c.] Lorica eſt parvus murus poſt quem latent defenſores, pinnas habet, ut per intervalla earum in hoſtes tela mittantur.

2 *Cervis*] Cervi erant ſtipites cornicula habentes eminentia, quibus ad pluteorum et aggeris commiſſuras utebantur, ad impediendum aſcenſum. Erant autem inter aggerem ipſum atque loricam inſerti, Gallice *le Cordon*. Virg. Bucolic.

Atque humiles habitare caſas et figere cervos.

Ad hæc Servius: *Aut furcas dicit quæ figantur ad caſæ ſuſtentationem, quæ dictæ ſunt cervi ad ſimilitudinem eorum cervorum.* Tibullus ad Meſſalam:

Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam caſtris prædecere foſſam,
Qualiter adverſos hoſti defigere cervos.

Hypicus vero: *Cervoli trunci ramoſi. Ad hos decurritur, ſi ſola natura, nimia teneritate, ceſpes frangeretur.* Idem ſic rurſus, nec vallum extrui, nec foſſa fieri poteſt, ut non ripæ decidant, quoties cervoli deſunt.

3 *Se ipſi acutiſſimis vallis induebant.*] Virg.

Quadrifidaſque ſudes et acuto robore vallos,

ad quem verſum Servius: *Bis idem dixit: num valli et ſudes idem.* Cicero Acad. iv. *Philo dum nova quædam conjunxit, in idipſum ſe induit, quod timebat.*

4 *In quincuncem diſpoſitis.*] Quid ſit in quincuncem diſponere, intelligitur vel ex hoc loco Quintiliani: *Quid illo quincunce ſpecioſius, qui in quamcumque partem ſpectaveris rectus eſt.*

5 *Paullatim anguſtiore ad ſummum faſtigio.*] Juſtus Lipſius legit *ad imum*; ſed ſcriptam lectionem retineri poſſe. Ut ſcilicet voluerit ſcrobes illas ad inſtar fovearum, quæ lupis capiendis parantur, à ſumma parte fuiſſe quam ab ima anguſtiores, quo nempe qui in eas deciderent, recta in ſuppoſitos ſtipites delaberentur, ſeque inde difficilius extricarent.

pliùs iv digitis ex terrâ eminerent. Simul confirmandi et stabiliendi caussâ [1] singuli ab infimo solo pedes terrâ exculcabantur: reliqua pars scrobis ad occultandas insidias viminibus ac virgultis integebatur. Hujus generis octoni ordines ducti, ternos inter se pedes distabant. Id, ex similitudine floris, [2] Lilium appellabant. Ante haec taleae pedem longae, ferreis hamis infixis, totae in terram infodiebantur; mediocribusque intermissis spatiis, omnibus locis disserebantur, quos Stimulos nominabant.

LXXIV. His rebus perfectis, regiones secutus, quàm potuit, aequissimas pro loci naturâ, xiv millia passuum complexus, pares ejusdem generis munitiones, diversas ab his, contra exteriorem hostem perfecit; ut ne magnâ quidem multitudine, si ita accidat, ejus discessu, munitionum praesidia circumfundi possent. Neu cum periculo ex castris egredi cogerentur, dierum xxx pabulum frumentumque habere omnes convectum jubet.

LXXV. Dum haec ad Alesiam geruntur, Galli, concilio principum indicto, non omnes qui arma ferre possent, (ut censuit Vercingetorix,) convocandos statuunt; sed certum numerum cuique civitati imperandum: ne, tantâ multitudine confusâ, nec moderari, nec discernere suos, nec frumentandi rationem habere possent. [3] Imperant Aeduis atque eorum clientibus, Segusianis, [4] Ambivaretis, Aulercis, Brannovicibus, [Brannoviis] millia xxxv. Parem numerum Arvernis, adjunctis Eleutheris Cadurcis, Gabalis, [5] Velaunis, qui sub imperio Arvernorum esse consueverunt: Senonibus, Sequanis, Biturigibus, Xantonibus, Ruthenis, Carnutibus, xii millia: Bellovacis x: totidem Lemovicibus; octona Pictonibus, et Turonis, et Parisiis, et Elutheris Suessionibus, Ambianis, Mediomatricis, [6] Petrocoriis, Nerviis, Morinis, Nitiobrigibus, quina millia; Aulercis Cenomanis totidem; Atrebatibus iv millia; [7] Bellocassis, Lexoviis, [8] Aulercis Eburonibus terna; Rauracis et Boiis xxx. Universis civitatibus, quae Oceanum attingunt, quaeque eorum consuetudine Armoricae appellantur, (quo sunt in numero Curiosolites,

NOTÆ.

1 *Singuli ab infimo ſolo pedes*, &c.] Interpres Græcus aliter legit et forte melius: Ἅμα δὲ πρὸς τὸ στερεοῦντε καὶ βεβαιοῦν ταύτας πρὸς τὸ γήπεδον τρεῖς πόδας γῆς ἐπεχώννυε. *Ut firmarentur* [*ſtipites*] *tres pedes terræ inculcabat ſolo.*

2 *Lilium*] Propter expanſam ad hunc modum foveam latiorem ſuperne, inferne vero anguſtiorem. Unde et ſtylus prodibat, ſimilis eorum qui à lilio prodeunt.

3 *Imperant* Æduis, &c.] In toto illo numero, ut fit, vehementer erratum eſt, cumque plurimi eorum populorum ſupra jam commemorati ſint, eos tantum attingemus, qui videntur indicti.

4 *Ambivaretis, Brannovicibus.* [*Brannoviis*] *Eleutheris.*] Ambivareti, Brannovices, Brannovii, Eleutheri ignorantur.

5 *Velaunis.*] Vellauni, vel potius Vellavi, *Ceux de Vellay.*

6 *Petrocoriis.*] Petrocorii, quorum urbem Veſunam Ptolemæus, Petrocoricum Aimoinus vocat, *Perigord.* Item Sarlatenses quorum nempe diœceſis à Petrocoriis deducta.

7 *Bellocaſſis*] Bellocaſſes, qui et Velocaſſes, *Ceux de Vexin.*

8 *Aulercis Eburonibus.*] Legit Ciacconius nec immerito, *Eburovicibus*, *Evreux.* Eburones enim longe diverſi.

Rhedones, [1] Ambibari, [2] Cadetes, [3] Osismii, [[4] Lemovices] Veneti, Unelli, sena. Ex his [5] Bellovaci suum numerum non contulerunt; quòd se suo nomine atque arbitrio cum Romanis bellum gesturos dicerent, neque cujusquam imperio obtemperaturos. Rogati tamen à Comio, pro ejus hospitio 11 millia miserunt.

LXXVI. Hujus operâ Comii, ita ut antea demonstravimus, fideli atque utili superioribus annis erat usus in Britanniâ Caesar: pro quibus meritis civitatem ejus [6] immunem esse jusserat; jura legesque reddiderat; atque ipsi Morinos attribuerat. Tanta tamen universae Galliae consensio fuit libertatis vindicandae, et pristinae belli laudis recuperandae, ut neque beneficiis, neque amicitiae memoriâ moverentur, omnesque et animo et opibus in id bellum incumberent; coactis equitum viii millibus, et [7] peditum circiter ccxl. Haec in Aeduorum finibus recensebantur, numerusque inibatur: praefecti constituebantur: Comio Atrebati, Viridomaro, et Eporedorigi Aeduis, Vergasillauno Arverno, consobrino Vercingetorigis summa imperii transditur. Iis delecti ex civitatibus tribuuntur, quorum consilio bellum administraretur. Omnes alacres et fiduciae pleni ad Alesiam proficiscuntur. Nec erat omnium quisquam, qui adspectum modò tantae multitudinis sustineri posse arbitraretur, praesertim ancipiti proelio; quum ex oppido eruptione pugnaretur, et foris tantae copiae equitatûs peditatûsque cernerentur.

LXXVII. At ii qui Alesiae obsidebantur, praeteritâ die, quâ suorum auxilium exspectaverant, consumpto omni frumento, inscii quid in Aeduis gereretur, consilio coacto, de exitu fortunarum suarum consultabant. Ac variis dictis sententiis, quarum pars deditionem, pars, dum vires suppeterent, eruptionem censebant. Non praetereunda videtur oratio Critognati, propter ejus singularem ac nefariam crudelitatem. Hic summo in Arvernis natus loco, et magnae habitus auctoritatis; Nihil, inquit, de eorum sententiâ dicturus sum, qui turpissimam servitutem deditionis nomine appellant; neque hos habendos civium loco, neque ad consilium adhibendos censeo. Cum iis mihi res sit, qui eruptionem probant: quorum in consilio omnium vestrum consensu pristinae residere virtutis memoria videtur: Animi est ista mollities, non virtus, inopiam paullisper ferre non posse. [8] Qui

NOTÆ.

1 *Ambibari,*] Ignorantur.

2 *Cadetes.*] Reponendum videtur Caletes, *Ceux de Caux.*

3 *Osismii,*] De quibus supra.

4 *Lemovices*] Hi sunt alii à Lemovitibus Aquitanis, quorum oppidum est Ratiâtum, sed sunt potius pars non contemnenda Osismiorum.

5 *Bellovaci suum numerum non contulerunt:*] Bellum seorsim ab aliis administraverunt, ut in sequente libro cognoscetur. Sed illa Gallorum dissensio in bello administrando, multum Romanos adjuvit.

6 *Immunem esse jusserat;*] A stipendio nempe quod victis Cæsar imponere solebat, non à dominatu regio Comii Græcus interpres optime habet, ἀτελῆ.

7 *Peditum circiter* ccxl.] Plutarchus ccc millia habet. Florus verò ccl, vero propius scilicet.

8 *Qui se ultro morti offerat*] Nabarzanes apud Curtium, lib. v *Sæpe tædio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi. At virtus nihil inexpertum relinquit.*

se ultro morti offerant faciliùs reperiuntur, quàm qui dolorem patientèr ferant. Atque ego hanc sententiam probarem, (nam apud me multum dignitas potest) si nullam, praeterquam vitae nostrae, jacturam fieri viderem. Sed in consilio capiendo omnem Galliam respiciamus, quam ad nostrum auxilium concitavimus. Quid, [1] hominum millibus lxxx uno loco interfectis, propinquis consanguineisque nostris, animi fore existimatis, si penè in ipsis cadaveribus proelio decertare cogentur? Nolite hos vestro auxìlio spoliare, qui vestrae salutis caussâ suum perículum neglexerint, nec stultitiâ ac temeritate vestrâ, aut imbecillitate animi, omnem Galliam prosternere, ac perpetuae servituti adducere. An, quòd ad diem non venerint, de eorum fide constantiâque dubitatis? Quid ergo? Romanos in illis ulterioribus munitionibus, animine caussâ, quotidie exerceri putatis? Si illorum nuntiis confirmari non potestis, omni aditu praesepto, iis utimini testibus, appropinquare eorum adventum; cujus rei timore exterriti, diem noctemque in opere versantur: Quid ergo mei consilii est facere? Quod nostri majores nequaquam pari bello Cimbrorum Teutonumque fecerunt; qui in oppida compulsi, ac simili inopiâ subacti, eorum corporibus, qui aetate inutiles ad bellum videbantur, vitam toleraverunt, neque se hostibus transdiderunt. Cujus rei exemplum si non haberemus, tamen libertatis caussâ institui et posteris prodi pulcherrimum judicarem. Nam quid huic simile bello fuit? Depopulatâ Galliâ, magnâque illatâ calamitate, Cimbri finibus nostris aliquando excesserunt, atque alias terras petiêrunt: jura, leges, agros, libertatem nobis reliquerunt. Romani verò quid petunt aliud, aut quid volunt, nisi invidiâ adducti, quos famâ nobiles potentesque bello cognoverunt, horum in agris civitatibusque considere, atque his aeternam injungere servitutem? Neque enim unquam aliâ conditione bella gesserunt. Quòd si ea, quae in longinquis nationibus geruntur, ignoratis, respicite finitimam Galliam, quae in provinciam redacta, jure et legibus commutatis, [2] securibus subjecta, perpetuâ premitur servitute.

LXXVIII. Sententiis dictis, constituunt, ut, qui valetudine, aut aetate inutiles sunt bello, oppido excedant, atque omnia prius experiantur, quàm ad Critognati sententiam descendant: illo tamen potiùs utendum consilio, si res cogat, atque auxilia morentur, quàm deditionis aut pacis subeundam conditionem. Mandubii, qui eos oppido receperant, cum liberis atque uxoribus exire coguntur. Ii, quum ad munitiones Romanorum accessissent, flentes, omnibus precibus orabant, ut se in servitutem receptos cibo juvarent. [3] Hos Caesar, dispositis in vallo custodiis, recipi prohibebat.

NOTÆ.

1 *Hominum millibus* lxxx *uno loco interfectis,*] Suorum numerum Critognato melius sciebat nemo. At Plutarchus omnia auget, et clxx millia hominum in urbe Alesia fuisse prodidit.

2 *Securibus subjecta,*] Secures duodecim prælatæ Consulibus, signum erant imperii Romani.

3 *Hos Cæsar, dispositis in vallo custodiis, recipi prohibebat.*] Dio, quod à neutris recipiebantur, scribit miserrima morte periisse.

LXXIX. Interea Comius, et reliqui duces, quibus summa imperii permissa erat, [1] cum omnibus copiis ad Alesiam perveniunt, et colle exteriore occupato, non longiùs D passibus à nostris munitionibus considunt. Postero die, equitatu ex castris educto, omnem eam planitiem, quam in longitudinem III millia passuum patere demonstravimus, complent; pedestresque copias, paullùm ab eo loco abditas in locis superioribus constituunt. Erat ex oppido Alesiâ despectus in campum. Concurritur his auxiliis visis, fit gratulatio inter eos, atque omnium animi ad laetitiam excitantur. Itaque productis copiis ante oppidum considunt, et proximam fossam cratibus integunt, atque aggere explent, seque ad eruptionem atque omnes casus comparant.

LXXX. Caesar, omni exercitu ad utramque partem munitionem disposito, ut, ut si usus veniat, suum quisque locum teneat et noverit, equitatum ex caftris educi, et proelium committi jubet. Erat ex omnibus castris, quae summum undique jugum tenebant, despectus, atque omnium militum intenti animi pugnae eventum exspectabant. Galli inter equites, raros sagittarios, expeditosque levis armaturae interjecerant, qui suis cedentibus auxilio succurrerent, et nostrorum equitum impetum sustinerent. Ab his complures de improviso vulnerati, proelio excedebant. Quum suos pugnâ superiores esse Galli confiderent, et nostros premi multitudine viderent; ex omnibus partibus, et ii qui munitionibus continebantur, et ii qui ad auxilium convenerant, clamore et ululatu suorum animos confirmabant. Quòd in conspectu omnium res gerebatur, neque rectè aut turpiter factum celari poterat, utrosque et laudis cupiditas et timor ignominiae ad virtutem excitabat. Quum à meridie propè ad solis occasum dubiâ victoriâ pugnaretur, [2] Germani unâ in parte confertis turmis in hostes impetum fecerunt, eosque propulerunt. Quibus in fugam conjectis, sagittarii circumventi, interfectique sunt. Item ex reliquis partibus nostri cedentes usque ad castra insecuti, suî colligendi facultatem non dederunt. At ii, qui ab Alesiâ processerant, moesti, prope victoriâ desperatâ, se in oppidum receperunt.

LXXXI. Uno die intermisso, Galli, atque hoc spatio, magno cratium, scalarum, [3] harpagonum numero effecto, mediâ nocte silentio ex castris egressi, ad campestres munitiones accedunt. Subito clamore sublato, quâ significatione, qui in oppido obsidebantur, de suo adventu cognoscere possent, crates projicere, fundis, sagittis, lapidibus nostros de vallo deturbare, reliquaque, quae ad oppugnationem pertinent, administrare. Eodem tempore, clamore exaudito, dat tubâ signum suis Vercingetorix, atque ex oppido educit. Nostri, ut

NOTÆ.

1 *Cum omnibus copiis ad Alesiam perveniunt*] Polynæus ccv millia Gallorum fuiſſe teſtatur.

2 *Germani*] Hoc in Germanorum laudem eſto ſemel dictum, eos Romanis imperium tradidiſſe Galliæ, eoſdem tandem abſtuliſſe Honorii temporibus; eoſdem bello civili, ut poſtea videbitur, Romanorum quoque imperium ipſi Cæſari dediſſe.

3 *Harpagonum.*] Harpago eſt pertica ferro adunco præpilata.

superioribus diebus suus cuique erat locus attributus, ad munitiones accedunt; [1] fundis librilibus sudibusque, quas in opere disposuerant, ac glandibus Gallos perterrent. Prospectu tenebris adempto, multa utrimque vulnera accipiuntur, complura tormentis tela conjiciuntur. At M. Antonius, et C. Trebonius legati, quibus eae partes ad defendendum obvenerant, quâ ex parte premi nostros intellexerant, iis auxilio ex ulterioribus castellis deductos submittebant.

LXXXII. Dum longiùs ab munitione aberant Galli, plus multitudine telorum proficiebant: postea quàm propiùs successerunt, aut [2] se ipsi stimulis inopinantes induebant, aut in scrobes delapsi transfodiebantur, aut ex vallo, et turribus transjecti pilis muralibus interibant. Multis undique vulneribus acceptis, nullâ munitione perruptâ, quum lux appeteret, veriti ne ab latere aperto ex superioribus castris eruptione circumvenirentur, se ad suos receperunt. [3] At interiores, dum ea, quæa Vercingetorige ad eruptionem praeparata erant, proferunt, priores fossas explent: diutiùs in iis rebus administrandis morati, priùs suos discessisse cognoverunt, quàm munitionibus appropinquarent. Ita, re infectâ, in oppidum reverterunt.

LXXXIII. Bis magno cum detrimento repulsi Galli, quid agant, consulunt. Locorum peritos adhibent. Ab his superiorum castrorum situs munitionesque cognoscunt. Erat à septentrionibus collis, quem quia, propter magnitudinem circuitûs, opere circumplecti non potuerant, nostri necessariò penè iniquo loco, et leniter declivi, castra fecerunt. Haec C. Antistius Rheginus, et C. Caninius Rebilus, legati, cum II legionibus obtinebant. Cognitis per exploratores regionibus, duces hostium lv millia ex omni numero deligunt earum civitatum, quae maximam virtutis opinionem habebant: quid, quoque pacto, agi placeat, occultè inter se constituunt. Adeundi tempus definiunt, quum meridies esse videatur. Iis copiis Vergasillaunum Arvernum, unum ex iv ducibus, propinquum Vercingetorigis, praeficiunt. Ille ex castris primâ vigiliâ egressus, propè confecto sub lucem itinere, post montem se occultavit, militesque ex nocturno labore sese reficere jussit. Quum jam meridies appropinquare videretur, ad ea castra, quae suprà demonstravimus, contendit; eodemque tempore equitatus ad campestres munitiones accedere, et reliquae copiae sese pro castris ostendere cœperunt.

LXXXIV. Vercingetorix ex arce Alesiae suos conspicatus, ex oppido egreditur, è castris longurios, [4] musculos, falces, reliquaque, quae eruptionis caussâ paraverat, profert. Pugnatur uno tempore omnibus locis, atque omnia tentantur. Quae minimè visa pars firma esse, huc concurritur. Romanorum manus tantis munitionibus distinetur, nec

NOTAE.

1 *Fundis librilibus.*] Fundæ libriles vel librales, quibus libralia saxa, id eſt, unius libræ jactabantur.

2 *Se ipsi ſtimulis inopinantes induebant.*] Sic ſupra, ſic et Virgil. lib. Æneid x.

An ſeſe mucrone ob tantum dedecus amens
Induat ——

3 *At interiores.*] Præpoſtera illa rerum administratio Remp. Gallicam evertit.

4 *Muſculos.*] Muſculi ſunt machinæ, quibus tecti milites apportatis lapidibus, lignis et terra foſſas complebant.

facilè pluribus locis occurrit. Multum ad terrendos nostros valuit clamor, qui post tergum pugnantibus exstitit, quòd suum periculum in alienâ vident virtute consistere. [1] Omnia enim plerumque quae absunt, vehementiùs hominum mentes perturbant.

LXXXV. Caesar idoneum locum nactus, quid quâque in parte geratur cognoscit, laborantibus submittit. Utrisque ad animum occurrit, unum illud esse tempus, quo maximè contendi conveniat. Galli nisi perfregerint munitiones, de omni salute desperant. Romani, si rem obtinuerint, finem laborum omnium exspectant. Maximè ad superiores munitiones laboratur, quò Vergasillaunum missum demonstravimus. [a] Exiguum loci ad declivitatem fastigium, magnum habet momentum. Alii tela conjiciunt, [2] alii testudine factâ subeunt, defatigatis invicem integri succedunt. [3] Agger ab universis in munitionem conjectus, et adscensum dat Gallis, [4] et quae in terram occultaverant Romani, contegit. Nec jam arma nostris, nec vires suppetunt.

LXXXVI. His rebus cognitis, Caesar Labienum cum cohortibus vi subsidio laborantibus mittit. Imperat, si sustinere non possit, [5] deductis cohortibus eruptione pugnaret. Id, nisi necessariò, non faciat. Ipse adit reliquos: cohortatur, ne labori succumbant: omnium superiorum dimicationum fructum in eo die atque horâ docet consistere. [6] Interiores, desperatis campestribus locis, propter magnitudinem munitionum, loca praerupta ex adscensu tentant. Huc ea, quae paraverant, conferant: multitudine telorum ex turribus propugnantes deturbant: aggere et cratibus [b] aditus expediunt: falcibus vallum, ac loricam, rescindunt.

LXXXVII. Caesar mittit primò Brutum adolescentem cum cohortibus vi, post cum aliis vii Fabium legatum. Postremò ipse, quum vehementiùs pugnaretur, integros subsidio adducit. Restituto prœlio, ac repulsis hostibus, eò, quo Labienum miserat, contendit. Cohortes iv ex proximo castello educit. Equitum se partem sequi, [7] partem circumire exteriores munitiones, et ab tergo hostes adoriri jubet. Labienus, postquam neque aggeres, neque fossae vim hostium sustinere poterant, [8] coactis una de quadraginta cohortibus, quas ex

INTERPRETATIO.

a *Parva altitudo loci ad* faciendam *declivitatem multum prodest* oppugnantibus.
b *Viam aperiunt sibi.*

NOTAE.

1 *Omnia enim plerumque*, &c.] Idem dicit lib. ii. de bello civili. Item Horat. Epod.

Comes minore sum futurus in metu,
Qui major absentes habet.

2 *Alii testudine facta subeunt.*] De testudine supra dictum.

3 *Agger ab universis in munitionem conjectus,*] Agger constabat ex terra et virgultis; munitiones erant fossæ, vallum, scrobes.

4 *Et quæ in terram occultaverant Romani, contegit.*] Stimulos, cippos, lilia, de quibus supra.

5 *Deductis cohortibus.*] Ex munitionibus.

6 *Interiores,*] Galli qui ab Alesia eruperant.

7 *Partem circumire exteriores munitiones,* &c.] Polyænus hoc nocte superiore provisum esse meminit, et commemorat ut stratagema quod victoriam peperit, cum Galli de fuga desperassent.

8 *Coactis una de quadraginta*, &c.] Suspicio est mendi, propterea quod major ille sit numerus, quam ut forte fuisse possit oblatus.

proximis praesidiis deductas sors obtulit, Caesarem per nuntios facit certiorem, quid faciendum existimet. Accelerat Caesar, ut prœlio intersit.

LXXXVIII. Ejus adventu ex colore vestitûs cognito, quo insigni in prœliis uti consueverat, turmisque equitum et cohortibus visis, quas se sequi jusserat, ut de locis superioribus haec declivia et devexa cernebantur, hostes proelium committunt. Utrimque clamore sublato, excipit rursus ex vallo atque omnibus munitionibus clamor. Nostri, emissis pilis, gladiis rem gerunt. Repentè post tergum equitatus cernitur. Cohortes aliae appropinquant. Hostes terga vertunt: fugientibus equites occurrunt. Fit magna caedes. Sedulius dux et princeps Lemovicum occiditur: Vergasillaunus Arvernus vivus in fugâ comprehenditur. Signa militaria lxxiv ad Caesarem referuntur. Pauci ex tanto numero se incolumes in castra recipiunt. Conspicati ex oppido caedem et fugam suorum, desperatâ salute, copias à munitionibus reducunt. Fit protinùs, hâc re auditâ, ex castris Gallorum fuga. Quod nisi crebris subsidiis ac totius diei labore milites fuissent defessi, omnes hostium copiae deleri potuissent. De mediâ nocte missus equitatus novissimum agmen consequitur. Magnus numerus capitur, atque interficitur: reliqui ex fugâ in civitates discedunt.

LXXXIX. Postero die Vercingetorix, consilio convocato, id se bellum suscepisse non suarum necessitatum, sed communis libertatis caussâ demonstrat; et, quoniàm sit fortunae cedendum, ad utramque rem se illis offerre, seu morte suâ Romanis satifacere, seu vivum transdere velint. Mittuntur de his rebus ad Caesarem legati. Jubet arma transdi, principes produci. Ipse in munitione pro castris consedit. Eo principes producuntur. [1] Vercingetorix deditur. Arma projiciuntur. Reservatis Aeduis, atque Arvernis, [a] si per eos civitates recuperare posset, ex reliquis captivis toto exercitu capita singula, praedae nomine, distribuit.

XC. His rebus confectis in Aeduos proficiscitur; civitatem recipit. Eò legati ab Arvernis missi; quae imperaret, se facturos pollicentur. Imperat magnum numerum obsidum. Legiones in hiberna mittit. Captivorum circiter xx millia Aeduis Arvernisque reddit. T. Labienum cum II legionibus et equitatu in Sequanos proficisci jubet. Huic M. Sempronium Rutilum attribuit. C. Fabium, et L. Minucium Basilum cum II legionibus in Rhemis collocat, ne quam à finiti-

INTERPRETATIO.

a *Ut experiretur an poſſet recipere per eos civitates* alienatas à ſe.

NOTÆ.

1 *Vercingetorix deditur.*] Plutarchus ſcripſit eum ſumptis pulcherrimis armis ad Cæſarem adequitaſſe, deinde equo ſubducto, arma projeciſſe, et ad pedes Cæſaris ſubſediſſe, donec ad triumphum datus eſt cuſtodiendus. Florus enim ait hac uſum oratione Vercingetorigem. *Habes fortem virum, vir fortiſſime, viciſti.* Dion autem de illo Gallorum duce ait, illum ſperaſſe, quia olim amicus Cæſaris fuerat, eum ſibi ignoturum; ſed recordatione amicitiæ exaſperatum Cæſarem, quia major injuria videretur, noluiſſe parcere, et ad triumphum reſervaſſe, poſt quem et necari juſſit. De Aleſia nihil à Cæſare dictum, quam tamen Florus ſolo æquatam ſcripſit.

mis Bellovacis calamitatem accipiant. C. Antistium Rheginum in [1] Ambivaretos, T. Sextium in Bituriges, C. Caninium Rebilum in Ruthenos, cum singulis legionibus mittit; Q. Tullium Ciceronem, et P. Sulpicium, Cabiloni et Matiscone in Aeduis ad Ararim, rei frumentariae caussâ, collocat: ipse Bibracte hiemare constituit. His rebus Caesaris litteris cognitis, [2] Romae dierum xx supplicatio indicitur.

NOTÆ.

1 *Ambivaretos,*] Ambivareti iidem esse videntur qui Ambivareti, de quibus dictum supra.

2 *Romæ dierum* xx *supplicatio indicitur.*] Superius nempe, lib. ii. legitur fuisse decreta supplicatio dierum xv, quod ante id tempus acciderat nulli. Illud quidem non tota Gallia debellata, hic verò dierum numerus multiplicatur tota perdomita. Nec temerè factum, cum tantum periculi semper à Gallis Italiæ impenderit, ut Gallico tumultu nemini à bello vacare liceret, non sacerdotibus, non aliis denique, qui vacationem à bello habere solebant. Scitum enim illud est, quod à Sallustio lib. de bello Jugurth. scriptum, Italiam omnem ab hac gente contremuisse, adeo ut cum Gallis non de gloria, sed de salute certari solitum sit. Cicero vero lib. de Provinciis Consularibus sic habet: *Nemo sapienter de Rep. nostra cogitavit jam inde à principio hujus imperii, quin Galliam maximè timendam huic imperio putaret.*

LIBER VIII.

SCRIPTORE

A. [1] HIRTIO.

ARGUMENTUM.

Hirtius novam Galliæ defectionem describit, ex qua bellum consecutum: primo contra Bituriges: deinde contra Carnutes: tertio contra Bellovacos: quartum quod a Caninio cum Dumnaco Andium duce: deinde cum Lucterio et Drapete gestum est, ubi et oppugnatio Uxelloduni exponitur: tandem ut, exercitu in hiberna dimisso, in Italiam Cæsar profectus sit: qua in profectione docet quæ fuerint belli civilis caussæ et semina.

I. COACTUS assiduis tuis vocibus, [2] Balbe, quum quotidiana mea recusatio non difficultatis excusationem, sed inertiae videretur deprecationem habere, difficillimam rem suscepi. Caesaris nostri commentarios [3] rerum gestarum Galliae [4] non comparandos superioribus atque insequentibus ejus scriptis, contexui: novissimèque imperfecta ab rebus gestis Alexandriae confeci, usque ad exitum non quidem civilis dissensionis, [5] cujus finem nullum videmus, sed vitae Caesaris. Quos utinam qui legent, scire possent, quàm

NOTAE.

1 *Hirtio.*] Libri hujus Autor incertus. Scripſit Suetonius Hirtium eſſe. qui Gallici belli noviſſimum imperfectum librum ſuppleverit, et de hac præfatione verſus aliquot citat tanquam Hirtii. Alii vero Oppio aſcribunt. Fuit autem A. Hirtius amicus Cæſaris et Ciceronis diſcipulus, Conſulque ab ipſo Cæſare deſignatus in annum, qui ſuit ab ejus cæde proximus. Poſtremo contra Antonium cum collega Panſa miſſus à Cicerone, ad Mutinam in ipſo prœlio victor occubuit. Sed mala eſt nonnullis in codicibus hujus octavi libri inſcriptio: *Scriptore A. Hirtio Panſa.* Nec enim Hirtius *Panſa* dictus eſt, ſed cum Panſa collega Conſul fuit.

2 *Balbe.*] Is eſt Cornelius Balbus major, quem Plinius ſcripſit de Garamantibus unúm externorum triumphaſſe. Erat enim Gadibus natus, quem et Dio homines ſuæ ætatis tantum ſuperaſſe magnificentia prodidit, ut moriens vicenos quinos denarios populo Romano legaverit. Erat Cæſaris amiciſſimus, ut Suetonius ſcripſerit retentum Cæſarem ab eo, cum conaretur aſſurgere ſenatui ad ſe advocato.

3 *Rerum geſtarum Galliæ.*] In Gallia; ut dicitur, *militiæ, domi* pro *in bello et in urbe.*

4 *Non comparandos ſuperioribus atque inſequentibus ejus ſcriptis*], Videtur Cæſar illos feciſſe imitatus Syllam, qui rerum ſuarum commentarios reliquerat, quique tempore Plutarchi exſtabant, ſed his uſque adeo minores, ut digni non ſint viſi, qui ab elegantis ingenii viris legerentur. Itaque perierunt.

5 *Cujus finem nullum videmus.*] Nam poſt Cæſaris cædem inter Octavium, Antonium Lepidum, Caſſium et Brutum orta eſt diſſenſio.

invitus suscceperim scribendos, quò faciliùs caream stultitiae atque arrogantiae crimine, [1] qui me mediis interposuerim Caesaris scriptis. Constat enim inter omnes, nihil tam operosè ab aliis esse perfectum, quod non horum elegantiâ commentariorum superetur: qui sunt editi, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset; adeòque probantur omnium judicio, [2] ut praerepta, non praebita facultas scriptoribus videatur. Cujus tamen rei major nostra quàm reliquorum est admiratio. Caeteri enim quàm benè atque emendatè; nos etiam quàm facilè atque celeriter eos confecerit, scimus. [3] Erat autem in Caesare quum facultas atque elegantia summa scribendi, tum verissima suorum scientia consiliorum explicandorum. [4] Mihi ne illud quidem accidit, ut Alexandrino atque Africano bello interessem. Quae bella quanquam ex parte nobis Caesaris sermone sint nota: tamen aliter audīmus ea, quae rerum novitate, aut admiratione, nos capiunt; aliter, [5] quae pro testimonio sumus dicturi. Sed ego nimirum, dum omnes excusationis caussas colligo, ne cum Caesare conferar, hoc ipsum crimen arrogantiae subeo, quòd me judicio cujusquam existimem posse cum Caesare comparari. *Vale.*

I. [6] OMNI Galliâ devictâ, Caesar quum à superiore aestate nullum bellandi tempus intermisisset, militesque hibernorum quiete reficere à tantis laboribus vellet; complures eodem tempore civitates

NOTÆ.

1 *Qui me mediis interpoſuerim Cæſaris ſcriptis.*] Hic enim liber octavus medius eſt inter librum vii. de bello Gallico, et 1. de bello civili à Cæſare ſcriptos, compoſitus ab Hirtio.

2 *Ut prærepta, non præbita facultas,*] Sic Cicero de eodem Cæſare in Bruto: *Ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illa calamiſtris inurere; ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit. Nihil enim eſt in hiſtoria, pura et illuſtri brevitate dulcius.*

3 *Erat autem in Cæſare quum facultas, atque elegantia ſcribendi.*] Nec ſcribendi tantum, ſed et dicendi, de quo hæc habet Suetonius: *Eloquentia militari, qua re aut æquavit præſtantiſſimorum gloriam, aut exceſſit poſt accuſationem Dolabellæ, haud dubie principibus patronis annumeratus eſt. Certe Cicero ad Brutum Oratores enumerans, negat ſe videre cui Cæſar debeat cedere; aitque eum elegantem, ſplendidam quoque, ac etiam magnificam, ac generoſam quodam modo rationem dicendi tenere.* Et ad Cornelium Nepotem de eodem ita ſcripſit; *Quid? Oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis ſententiis aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior aut elegantior?* Quintilianus vero de ipſo: C. vero *Cæſar ſi foro tantum vacaſſet, non alius ex noſtris contra Ciceronem nominaretur; tanta in eo vis eſt, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixiſſe, quo bellavit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira ſermonis, cujus proprie ſtudioſus fuit, elegantia.* Plutarchus in eam ſententiam concedens illi ſecundas eloquentiæ partes tribuit.

4 *Mihi ne illud quidem accidit*, &c.] Bellum Alexandrinum geſtum eſt cum Ptolemæo rege Ægypti; Africanum, cum Pompeianis ducibus, Scipione, Catone, Labieno, et aliis.

5 *Quæ pro teſtimonio ſumus dicturi.*] Qui enim hiſtoriam ſcribit, quaſi pro teſtimonio dicit quæ narrat, atque adeo quaſi viſa. Ἱστορεῖν certe Græce videre eſt. Quid ergo de illis qui quæ auditu acceperunt, ſæpe ab incertis autoribus narrant, et hiſtoricos tamen ſe profitentur?

6 *Omni Gallia devicta*, &c.] Anno urbis conditæ DCCIII Servio Sulpitio, Q. F. Ruſo, et M. Claudio, M. F. Marcello Conſulibus.

renovare belli consilia nuntiabantur, conjurationesque facere. Cujus rei verisimilis caussa afferebatur, quòd Gallis omnibus cognitum esset, neque ullâ multitudine in unum locum coactâ, resisti posse Romanis; nec, si diversa bella complures eodem tempore intulissent civitates, satis auxilii, aut spatii, aut copiarum habiturum exercitum populi R. ad omnia persequenda: non esse autem alicui civitati sortem incommodi recusandam, si tali morâ reliquae possent se vindicare in libertatem.

II. Quae ne opimo Gallorum confirmaretur, [1] Caesar M. Antonium quaestorem suis praefecit hibernis: ipse, equitatûs praesidio, pridie kal. Januarii ab oppido Bibracte proficiscitur ad [2] legionem xii, quam non longè a finibus Aeduorum collocaverat in finibus Biturigum, eique adjungit legionem xi, quae proxima fuerat. Binis cohortibus ad impedimenta tuenda relictis, reliquum exercitum in copiosissimos agros Biturigum inducit: qui quum latos fines, et complura oppida haberent, unius legionis hibernis non potuerunt contineri, quin bellum pararent, conjurationesque facerent.

III. Repentino adventu Caesaris, accidit, quod imparatis disjectisque fuit necesse, ut sine timore ullo rura colentes priùs ab equitatu opprimerentur, [3] quàm confugere in oppida possent. Namque etiam illud vulgare incursionis signum hostium, quod incendiis aedificiorum intelligi consuevit, Caesaris id erat interdicto sublatum: ne aut copia pabuli frumentique, si longiùs progredi vellet, deficeret; aut hostes incendiis terrerentur. Multis hominum millibus captis, perterriti Bituriges, qui primum adventum effugere potuerunt Romanorum, in finitimas civitates, aut privatis hospitiis confisi, aut societate consiliorum, confugerant. Frustra. Nam Caesar magnis itineribus omnibus locis occurrit; nec dat ulli civitati spatium de alienâ potiùs, quàm de domesticâ salute cogitandi. Quâ celeritate, et fideles amicos retinebat, et dubitantes terrore ad conditiones pacis adducebat. Tali conditione propositâ, Bituriges, quum sibi viderent clementiâ Caesaris reditum patere in ejus amicitiam, finitimasque civitates sine ullâ pœnâ, dedisse obsides, atque in fidem receptas esse, idem fecerunt.

IV. Caesar militibus pro tanto labore ac patientiâ, qui brumalibus diebus itineribus difficillimis, frigoribus intolerandis, studiosissimè permanserant in labore, [4] ducenos sestertios; centurioni-

NOTÆ.

1 *Cæsar M. Antonium quæstorem.*] Sic Cicero Philip. 11 *Venisti è Gallia ad Quæsturam petendam.* Quæstor à quærendo nomen habet, quod pecunias publicas conquireret atque reponeret. Initio duo erant, qui publicam pecuniam tractarent et ærario præessent. Tum facti alii, qui consulibus et Imperatoribus ad belli ministeria adjungebantur.

2 *Legionem* xii.] Videtur legendum xiii. Multus error in numerus. Sic certe illam paullo post nominat.

3 *Quam confugere in oppida possent.*] Ergo Galli qui xx Biturigum urbes incendio deleverant, non omnes incenderant. Siquidem adhuc supererant quo confugissent, nisi repentino Cæsaris incursu fuissent intercepti.

4 *Ducenos sestertios.*] Quinque nummos argenteos nostræ monetæ. Quamvis toto illa ratio, nummaria obscurissima et impeditissima est cum multas ob caussas, tum ob errores qui in numerorum notas irrepserunt.

bus, [1] ii millia nummûm praedae nomine condonando pollicetur: legionibusque in hiberna remissis, ipse se recepit die xl Bibracte. Ibi quum jus diceret, Bituriges ad eum legatos mittunt, auxilium petitum contra Carnutes, quos intulisse bellum sibi querebantur. Quâ re cognitâ, quum non amplius x et viii dies in hibernis esset commoratus, [2] legiones xiv et vi ex hibernis ab Arare educit: quas ibi collocatas explicandae rei frumentariae caussâ, superiore commentario demonstratum est. Ita cum ii legionibus ad persequendos Carnutes proficiscitur.

V. Quum fama exercitûs ad hostes esset perlata, calamitate caeterorum ducti, Carnutes, desertis vicis oppidisque, quae tolerandae hiemis caussâ, constitutis repentè exiguis ad necessitatem aedificiis, incolebant, (nuper enim devicti complura oppida dimiserant) dispersi profugiunt. Caesar erumpentes eo maximè tempore acerrimas tempestates quum subire milites nollet, in oppido Carnutum [3] Genabo castra ponit; [4] atque in tecta partim Gallorum, partim quae conjectis celeriter stramentis, tentoriorum integendorum gratiâ erant inaedificata, milites contegit. Equites tamen, et [5] auxiliarios pedites in omnes partes mittit, quascumque petîsse dicebantur hostes; nec frustra. Nam plerumque magnâ praedâ potiti nostri revertuntur. Oppressi Carnutes hiemis difficultate, terrore periculi, quum tectis expulsi nullo loco diutiùs consistere auderent, nec silvarum praesidio tempestatibus durissimis tegi possent; dispersi, magnâ parte amissâ suorum, dissipantur in finitimas civitates.

VI. Caesar, tempore anni difficillimo, quum satis haberet convenientes manus dissipare, ne quod initium belli nasceretur; [a] quantumque in ratione esset, exploratum haberet, sub tempus aestivorum nullum summum bellum posse conflari; C. Trebonium cum II legionibus, quas secum habebat, in hibernis Genabi collocavit: ipse quum crebris legationibus Rhemorum certior fieret, Bellovacos, (qui belli gloriâ Gallos omnes Belgasque praestabant) finitimasque in civitates, duce Correo Bellovaco, et Comio Atrebate, exercitum comparare, atque in unum locum cogere, [6] ut omni multitudine in fines Suessionum, qui Rhemis erant attributi, facerent impressionem; pertinere autem non tantùm ad dignitatem, sed etiam ad salutem suam

INTERPRETATIO.

a *Quantumque potest cognosci ratione, sciret nullum maximum bellum posse oriri circa tempus æstatis* proximæ.

NOTÆ.

1 II *millia nummûm.*] Quinquaginta nummos nostræ monetæ.

2 *Legiones* xiv. *et* vi *ex hibernis ab Arare educit.*] Quas Cabilloni et Mariscone cum Q. Tullio Cicerone, et Publio Sulpitio, ut patet ex fine lib. vii. collocaverat.

3 *Genabo.*] Genabum, *Orleans*, de quo satis multa supra. Carnutum erat, quo in populo, quia major erat, duo postea sunt facti Episcopi.

4 *Atque in tecta partim Gallorum.*] Oppidum enim superiore anno incenderat: atque adeo non erat ubi diversarentur milites.

5 *Auxiliarios pedites.*] Non legionarios milites, sed Gallos ex civitatibus pacatis.

6 *Ut omni multitudine in fines Suessionum*, &c.] Secundo enim in libro Suessiones Rhemorum fratres consanguineique dicuntur, iisdem

judicaret, nullam calamitatem socios optimè de republ. meritos accipere; legionem ex hibernis evocat rursus xi, litteras autem ad C. Fabium mittit, ut in fines Suessionum legiones II, quas habebat, adduceret, alteramque ex duabus à T. Labieno accersit. Ita quantum hibernorum opportunitas bellique ratio postulabat, perpetuo suo labore, invicem legionibus expeditionem onus injungebat.

VII. His copiis coactis, ad Bellovacos proficiscitur: castrisque in eorum finibus positis, equitum turmas dimittit in omnes partes ad aliquos excipiendos, ex quibus hostium consilia cognosceret. Equites officio functi, renuntiant paucos in aedificiis esse inventos; atque hos, non qui agrorum incolendorum caussâ remansissent (namque esse undique diligenter demigratum) sed qui speculandi gratiâ essent remissi. A quibus quum quaereret Caesar, quo loco multitudo esset Bellovacorum, quodque esset consilium eorum; inveniebat Bellovacos omnes, qui arma ferre possent, in unum locum convenisse, itemque Ambianos, [1] Aulercos, Caletes, Vellocasses, Atrebates, locum castris excelsum, impeditâ circumdatum palude, delegisse: omnia impedimenta in ulteriores silvas contulisse; complures esse principes belli auctores, sed multitudinem maximè Correo obtemperare, quod ei summo odio esse nomen populi Rom. intellexissent. Paucis antè diebus ex his castris Comium discessisse ad auxilia Germanorum adducenda, quorum et vicinitas propinqua, et multitudo esset infinita. Constituisse autem Bellovacos, omnium principum consensu, summâ plebis cupiditate, si, ut diceretur, Caesar cum iii legionibus veniret, offerre se ad dimicandum; ne, miseriore ac duriore postea conditione cum toto exercitu decertare cogerentur: sin majores copias adduceret, in eo loco permanere quem delegissent. Pabulatione autem, (quae propter anni tempus quum exigua, tum disjecta esset) et frumentatione, et reliquo commeatu, ex insidiis prohibere Romanos.

VIII. Quae Caesar quum, consentientibus plurimis, cognovisset: atque ea, quae proponerentur, consilia plena prudentiae, longèque à temeritate barbarorum remota esse judicaret; omnibus rebus inserviendum statuit, quo celeriùs hostes, contemptâ suorum paucitate, prodirent in aciem. Singularis enim virtutis veteranas [2] legiones vii, viii, et ix habebat, summae spei, delectaeque juventutis xi: quae octavo jam stipendio functa, tamen collatione reliquarum, [3] nondum eandem vetustatis et virtutis ceperat opinionem. Itaque, concilio advocato, re-

NOTÆ.

legibus uti unum imperium magiſtratumque cum ipſis habere; iiſdem petentibus à Romanis ut conſervarentur Sueſſiones, impetraverant, ex quo tempore fuerant Rhemis Sueſſiones attributi.

1 *Aulercos.*] Etſi cognomen non addat veriſimile tamen esse Eburovices, atque id propter viciniam, *Evereux*.

2 *Legiones* vii, viii, *et* ix *habebat.*] Legiones nomen habebant ab ordine delectuum, ut quæ prima delecta eſſet, prima vocaretur, quæ, ſecunda, ſecunda, et ſic deinceps.

3 *Nondum eandem vetuſtatis*, &c.] Quum autem xx annos militaverant, veteranæ cenſebantur et miſſionem obtinebant. Hæc vero

bus iis, qui ad se essent delatae, omnibus expositis, animos multitudinis confirmat. Si fortè hostes iii legionum numero posset elicere ad dimicandum, agminis ordinem ita constituit: ut legio vii, viii, et ix ante omnia iret impedimenta; deinde omnium impedimentorum agmen (quod tamen erat mediocre, ut in expeditionibus esse consuevit) cogeret xi, ne majoris multitudinis species accidere hostibus posset, quàm ipsi depoposcissent. Hâc ratione penè quadrato agmine instructo, in conspectum hostium, celeriùs opinione eorum, exercitum adducit.

IX. Quum legionis repentè instructas velut in acie certo gradu accedere Galli viderent, quorum erant ad Caesarem plena fiduciae concilia perlata; sive certaminis periculo, sive subito adventu, seu exspectatione nostri consilii, copias instruunt pro castris; nec loco superiore decedunt. Caesar, etsi dimicare optaverat, tamen admiratus tantam multitudinem hostium, valle intermissâ, magis in altitudinem depressâ, quàm latè patente, castra castris hostium confert. Haec [a] imperat vallo pedum xii muniri, coronisque pro ratione ejus altitudinis inaedificari; fossam duplicem, pedum quinûm denûm, lateribus directis, deprimi; turres crebras excitari, in altitudinem iii tabulatorum, pontibus transjectis constratisque conjungi: quorum frontes vimineâ loriculâ munirentur, ut hostis à duplici propugnatorum ordine depelleretur: quorum alter ex pontibus, quò tutior altitudine esset, hôc audaciùs longiùsque tela permitteret: alter, qui propior hostem in ipso vallo collocâtus esset, [1] ponte ab incidentibus telis tegeretur. Portis fores, altioresque turres imposuit.

X. Hujus munitionis duplex erat consilium: namque et operum magnitudinem, et timorem suum sperabat fiduciam barbaris allaturum: et, quum pabulatum, frumentatumque longiùs esset proficiscendum, parvis copiis castra munitione ipsâ videbat posse defendi. Interim, crebro paucis utrimque procurrentibus inter bina castra, palude interjectâ, contendebatur; quam tamen paludem nonnunquam aut nostra auxilia Gallorum Germanorumque transibant, acriûsque hostes insequebantur, aut vicissim hostes eandem transgressi nostros longiùs submovebant. Accidebat autem quotidianis pabulationibus, (id quod accidere erat necesse, quum raris disjectisque ex aedificiis pabulum conquireretur) ut impeditis locis dispersi pabulatores circumvenirentur: quae res etsi mediocre detrimentum jumentorum ac servorum nostris afferebat, tamen stultas cogitationes incitabat barbarorum. Atque eò magis quòd Comius, quem profectum ad auxilia Germanorum accersenda

INTERPRETATIO.

a *Loriculis instrui pro portione ejus altitudinis, excavari item duas fossas pedum decem.*

NOTÆ.

si cum reliquis veteranis legionibus conferatur, non æque exercitata in armis existimabatur.

1 *Ponte ab incidentibus telis tegeretur*] Nempe à sagittis quæ inter tela numerantur, quæ desuper cadebant, imbris more, in caput et humeros, sursum ab hostibus missæ.

dixeram, cum equitibus venerat: qui tametsi numero non ampliùs erant quingentis; tamen Germanorum adventu barbari inflabantur.

XI. Caesar, quum animadverteret hostem complures dies castris, palude et loco naturâ munitis, se tenere; neque oppugnari castra eorum sine dimicatione perniciosâ, nec locum munitionibus claudi, nisi à majore exercitu, posse; litteras ad Trebonium mittit, ut, quàm celerrime posset, legionem xiii, quae cum T. Sextio legato in Biturigibus hiemabat, accerseret, [1] atque ita cum iii legionibus, magnis itineribus, ad se veniret: ipse equites invicem Rhemorum, ac Lingonum, reliquarumque civitatum, quorum magnum numerum evocaverat, praesidio pabulatoribus mittit, qui subitas hostium incursiones sustinerent.

XII. Quod quum quotidie fieret, ac jam consuetudine diligentia minueretur (quod plerumque accidit diuturnitate) Bellovaci delectá manu peditum, cognitis stationibus quotidianis equitum nostrorum, silvestribus locis insidias disponunt; eodemque equites postero die mittunt, qui primùm elicerent nostros in insidias, deinde circumventos aggrederentur. Cujus mali sors incidit Rhemis, quibus illa dies fungendi muneris obvenerat. Namque ii, quum repentè hostium equites animadvertissent, ac numero superiores paucitatem contempsissent, cupidiùs insecuti, à peditibus undique sunt circumdati. Quo facto perturbati celeriùs, quam consuetudo fert equestris proelii, se receperunt, amisso Vertisco, principe civitatis, praefecto equitum: qui quum vix equo propter aetatem posset uti, [2] tamen consuetudine Gallorum, neque aetatis excusatione in suscipiendâ praefecturâ usus erat, neque dimicari sine se voluerat. Inflantur atque incitantur hostium animi secundo proelio, principe et praefecto Rhemorum interfecto. Nostri detrimento admonentur, diligentiùs exploratis locis, stationes disponere, ac moderatiùs cedentem insequi hostem.

XIII. Non intermittuntur interim quotidiana proelia in conspectu utrorumque castrorum, quae ad vada transitusque fiebant paludis. Quâ contentione Germani (quos propterea Caesar transduxerat Rhenum, [3] ut equitibus interpositi proeliarentur) quum constantiùs universi paludem transissent, paucisque resistentibus interfectis, pertinaciùs reliquam multitudinem essent insecuti, perterriti non solùm ii, qui aut cominùs opprimebantur, aut eminùs vulnerabantur, sed etiam qui longiùs subsidiari consueverant, turpiter fugerunt; nec priùs finem fugae

NOTÆ.

1 *Atque ita cum* III *legionibus, &c.*] Quia ipſe apud Carnutes cum duabus legionibus hiemabat.

2 *Tamen conſuetudine Gallorum*] Ammianus Marcellinus, lib. xv. de Gallis; *Ad militandum omnis ætas aptiſſima eſt, et pari pectoris robore ſenex ad procinctum ducitur et adultus, gelu duratis artubus et labore aſſiduo multa contempturus et formidanda. Nec eorum aliquando quiſquam, ut in Italia munus Martium pertimeſcens pollicem ſibi præcidit, quos jocaliter Murcos appellant.* Ita et Camulogenus, ut viſum eſt, lib. vii. quamvis ſenex militabat. Itaque de illis longe juſtius quam de ullis aliis dicere licet, quod Virgilius,

Omnes ævum ferro teritur.——

3 *Ut equitibus interpoſiti prœliarentur.*] Talem Germani conſuetudinem habebant, qui duce Arioviſto contra Cæſarem dimicaverunt. Librum primum vide.

fecerunt, saepe amissis superioribus locis, quàm se aut in castra suorum reciperunt, aut nonnulli pavore coacti longiùs profugerent. Quorum periculo sic omnes copiae sunt perturbatae, ut vix judicari posset, utrùm secundis nimiisque rebus insolentiores, an adversis, mediocribusque timidiores essent.

XIV. Complurimis diebus iisdem in castris consumptis, quum propiùs accessisse legiones, et C. Trebonium legatum, cognovissent; duces Bellovacorum, veriti similem obsessionem Alesiae, noctu dimittunt eos, quos aut aetate aut viribus inferiores, aut inermes habebant, unàque reliqua impedimenta: quorum perturbatum et confusum dum explicant agmen ([1] magna enim multitudo carrorum etiam expeditos sequi Gallos consuevit) oppressi luce copias armatorum pro suis instruunt castris; ne priùs Romani persequi se inciperent, quàm longiùs agmen impedimentorum suorum processisset. At Caesar neque resistentes tanto collis adscensu lacessendos judicabat; neque non usque eò legiones admovendas, ut discedere ex eo loco sine periculo barbari, militibus instantibus, non possent: ita quum paludem impeditam à castris castra dividere (quae transeundi difficultas celeritatem insequendi tardare posset;) atque id jugum, quod trans paludem pene ad hostium castra pertineret, mediocri valle à castris eorum intercisum animadverteret; pontibus palude constratâ, legiones transducit, celeriterque in summam planitiem jugi pervenit; quae declivi fastigio duobus ab lateribus muniebatur. Ibi legionibus instructis ad ultimum jugum pervenit: aciemque eo loco constituit, unde tormento missa tela in hostium cuneos conjici possent.

XV. Barbari confisi loci naturâ, quum dimicare non recusarent, si fortè Romani subire collem conarentur, paullatimque copias distributas dimittere non auderent, ne dispersi perturbarentur, in acie permanserunt. Quorum pertinaciâ cognitâ, Caesar xx cohortibus instructis, castrisque eo loco [a] metatis, muniri jubet castra; absolutis operibus, legiones pro vallo instructas collocat: equites fraenatis equis in stationibus disponit. Bellovaci, quum Romanos ad insequendum paratos viderent, neque pernoctare, neque diutiùs permanere sine cibariis eodem loco possent, tale concilium suî recipiendi inierunt: faces, ubi consederant ([2] nam in acie sedere Gallos consuêsse, superioribus commentariis declaratum est) stramentorum ac virgultorum, quorum summa erat in castris copia, per manus inter se transditos, ante aciem col-

INTERPRETATIO.

a *Castris ibi positis.*

NOTÆ.

1 *Magna enim multitudo carrorum.*] Expediti dicuntur qui levem armaturam habent, et sunt impedimentis vacui.

2 *Nam in acie sedere Gallos consuêsse.*] *In otio* legit Lipsius. Nec certe in acie sedere licet, ubi vel standum, vel ambulandum. Sedere autem Galli, imo et Germani Hispanique solebant, Romani vel ambulare, vel jacere. Strabo, lib. iii. scribit: Vectones (gens est Hispanica) ad Romana castra venisse, ibique quos-

locaverunt: extremoque tempore diei, signo pronuntiato, uno tempore incenderunt. Ita continens flamma copias omnes repentè à conspectu texit Romanorum. Quod ubi accidit, barbari vehementissimo cursu fugerunt.

XVI. Caesar, etsi discessum hostium animadvertere non poterat, incendiis oppositis; tamen id concilium quum fugae caussâ initum suspicaretur, legiones promovet; et turmas mittit ad insequendum: ipse veritus insidias, ne fortè in eodem loco subsisteret hostes, atque elicere nostros in locum conaretur iniquum, tardiùs procedit. Equites, quum intrare fumum et flammam densissimam timerent; ac, si qui cupidiùs intraverant, vix suorum ipsi priores partes animadverterent equorum, insidias veriti, liberam facultatem sui recipiendi Bellovacis dederunt. Ita, fugâ timoris simul calliditatisque plenâ, sine ullo detrimento, millia non ampliùs x progressi hostes, munitissimo loco castra posuerunt. Inde, quum saepè in insidiis equites peditesque disponerent, magna detrimenta Romanis in pabulationibus inferebant.

XVII. Quod quum crebriùs accideret, ex captivo quodam comperit Caesar, Correum Bellovacorum ducem, fortissimorum millia vi peditum delegisse, equitesque ex omni numero mille; quos in insidiis eo loco collocaret, quem in locum, propter copiam frumenti ac pabuli, Romanos pabulatum missuros suspicaretur. Quo cognito concilio, Caesar legiones plures, quàm solebat, educit; [1] equitatumque, quâ consuetudine pabulatoribus mittere praesidio consueverat, praemittit. Huic interponit praesidia levis armaturae; ipse cum legionibus, quàm potest maximè, appropinquat.

XVIII. Hostes in insidiis dispositi, quum sibi delegissent campum ad rem gerendam non ampliùs patentem in omnes partes passibus M. silvis undique impeditissimis, aut altissimo flumine, [2] velut indagine munitum, hunc insidiis circumdederunt. Nostri, explorato hostium concilio, ad proeliandum animo atque armis parati, quum subsequentibus legionibus, nullam dimicationem recusarent, turmatim in eum locum devenerunt. Quorum adventu, quum sibi Correus oblatam occasionem rei gerendae existimaret, primùm cum paucis se ostendit; atque in proximas turmas impetum facit. Nostri constanter impetum sustinent insidiatorum; neque plures in unum locum conveniunt: quod plerumque equestribus proeliis, quum propter aliquem timorem accidit, tum multitudine ipsorum detrimentum accipitur.

XIX. Quum dispositis turmis invicem rari proeliarentur; neque ab lateribus circumveniri suos paterentur; erumpunt caeteri, Correo proe-

NOTÆ.

dam centuriones et tribunos v[illegible] per ſpatia ambulantes, ſeſque ide[illegible]tentes, quos inſanire arbitrati a[illegible] et manibus nutibuſque ad eo[illegible]duxerunt, quaſi aut otioſè ſedendum eſt [illegible] pugnandum. Idem habet [illegible] ii. cap. v. Quod autem ſuperioribus [illegible]ratum id eſſe commentariis commemoratur, argumento eſt et hanc partem commentariorum, ut et alias temporum injuria intercidiſſe.

1 *Equitatumque, qua conſuetudine*, &c.] Nota conſuetudinem Cæſaris.

2 *Velut indagine.*] Quemadmodum feræ à venatoribus in ſilvis ſolent.

liante, ex silvis. Fit magnâ contentione diversum proelium: quod quum diutiùs pari Marte iniretur: paullatim ex silvis instructa multitudo procedit peditum, quae nostros cogit cedere equites: quibus celeriter subveniunt [1] levis armaturae pedites, quos ante legiones missos docui; turmisque nostrorum interpositi, constanter proeliantur. Pugnatur aliquandiu pari contentione: deindè, ut ratio postulabat proelii, qui sustinuerant primos impetus insidiarum, hôc ipso fiunt superiores, quod nullum ab insidiantibus imprudentes acceperant detrimentum. Accedunt propiùs interim legiones; crebrique eodem tempore et nostris et hostibus nuntii afferuntur, Imperatorem instructis copiis adesse. Quâ re cognitâ, praesidio cohortium confisi nostri, acerrimè proeliantur: ne, si tardiùs rem gessissent, victoriae gloriam communicâsse cum legionibus viderentur. Hostes concidunt animis, atque itineribus diversis fugam quaerunt. Nequidquam: nam quibus difficultatibus locorum Romanos claudere voluerant, iis ipsi tenebantur. Victi tamen propulsique, majore parte amissâ, consternati, quò sors tulerat, confugiunt: partim silvis petitis, partim flumine; qui tamen in fugâ à nostris acriter insequentibus conficiuntur. Quum interim nullâ calamitate victus Correus excedere proelio, silvasque petere, aut invitantibus nostris ad deditionem, potuit adduci, quin fortissimè proeliando, compluresque vulnerando, cogeret elatos iracundiâ victores in se tela conjicere.

XX. Tali modo re gestâ, recentibus proelii vestigiis ingressus Caesar, quum victos tantâ calamitate existimaret hostes, nuntio accepto, locum castrorum relicturos, quae non longiùs ab eâ caede abesse plus minùs viii millibus passuum dicebantur, tametsi flumine impeditum transitum videbat; tamen, exercitu transducto, progreditur. At Bellovaci, reliquaeque civitates, repentè ex fugâ paucis, atque his vulneratis, receptis, qui silvarum beneficio casum evitaverant, omnibus adversis, cognitâ calamitate, interfecto Correo, amisso equitatu, et fortissimis peditibus, quum adventare Romanos existimarent, concilio repentè [2] cantu tubarum convocato, conclamant, ut legati obsidesque ad Caesarem mittantur.

XXI. Hôc omnibus probato consilio, Comius Atrebas ad eos profugit Germanos, à quibus ad id bellum auxilia mutuatus erat. Caeteri è vestigio mittunt ad Caesarem legatos; petuntque, [3] ut eâ poenâ sit contentus [hostium] quam si sine dimicatione inferre integris posset, pro suâ clementiâ atque humanitate nunquam profectò esset illaturus: afflictas opes equestri proelio Bellovacorum esse: delectorum peditum multa millia interisse: vix refugisse nuntios caedis. Tamen magnum, ut in tantâ calamitate, Bellovacos eo proelio commodum,

NOTÆ.

1 *Levis armaturæ pedites*, &c.] Erat levis armatura funditorum et ſagittariorum, qui tantum habebant gladios, haſtas et gæſa, ut Livius oſtendit, lib. viii.

2 *Contu tubarum.*] *Tuba*, ut ait Vegetius, *directa eſt buccina in ſemet æreocirculo flectitur.*

3 *Ut ea pœna ſit contentus* [*hoſtium*] Ultima vox abundare videtur.

esse consecutos; quòd Correus auctor belli, concitator multitudinis, esset interfectus. Nunquam enim senatum tantum in civitate, illo vivo, quantum imperitam plebem, potuisse.

XXII. Haec orantibus legatis commemorat Caesar, eodem tempore superiore anno Bellovacos caeterasque Galliae civitates suscepisse bellum: pertinacissimè hos ex omnibus in sententiâ permansisse, neque ad sanitatem reliquorum deditione esse perductos: scire atque intelligere se, [a] caussam peccati facillimè mortuis delegari: neminem verò tantum pollere, ut invitis principibus, resistente senatu, omnibus bonis repugnantibus, infirmâ manu plebis bellum concitare et gerere posset, sed tamen se contentum fore eâ poenâ, quam sibi ipsi contraxissent.

XXIII. Nocte insequenti legati responsa ad suos referunt, obsides conficiunt. Concurrunt reliquarum civitatum legati, quae Bellovacorum speculabantur eventum: obsides dant, imperata faciunt: excepto Comio, quem timor cohibebat, cujusquam fidei suam committere salutem. Nam superiore anno T. Labienus, Caesare in Galliâ citeriore jus dicente, quum Comium comperisset sollicitare civitates, et conjurationem contra Caesarem facere, [1] infidelitatem ejus sine ullâ perfidiâ judicavit comprimi posse: quem quia non arbitrabatur vocatum in castra venturum, ne tentando cautiorem faceret, [2] C. Volusenum Quadratum misit, qui eum, per simulationem colloquii, curaret interficiendum. Ad eam rem delectos transdidit centuriones. Quum in colloquium ventum esset, et ut convenerat, manum Comii Volusenus arripuisset, centurio, velut insuetâ re permotus, vellet hominem conficere; celeriter à familiaribus prohibitus Comii non potuit. Graviter tamen primo ictu gladio caput percussit. Quum utrimque gladii districti essent, non tam pugnandi quàm diffugiendi fuit utrorumque consilium: nostrorum, quòd mortifero vulnere Comium credebant, affectum: Gallorum, quòd insidiis cognitis, plura, quàm videbant, extimescebant. Quo facto, statuisse Comius dicebatur, nunquam in conspectum cujusquam Romani venire.

XXIV. Bellicosissimis gentibus devictis, Caesar, quum videret nullam jam esse civitatem, quae bellum pararet, quo sibi resisteret: sed nonnullos ex oppidis demigrare, ex agris effugere, ad praesens imperium evitandum; plures in partes exercitum dimittere constituit. M. Antonium quaestorem, cum legione xi sibi conjungit: C. Fabium legatum cum cohortibus xxv mittit [3] in diversissimam partem Gal-

INTERPRETATIO.

a *Facillimum esse caussam delicti transferre in mortuos.*

NOTÆ.

1 *Infidelitatem ejus*, &c.] Labienus vehementer erravit. Perfidia enim fuit et infra perfidiam Voluseni appellat ipse Comius.

2 *C. Volusenum Quadratum*.] C. Volusenus Quadratus ille est qui in lib. iv. de bello Gallico, in Britanniam missus legitur, ut portus aditusque insulæ cognosceret, de quo etiam mentio fit lib. iii. de bello civili.

3 *In diversissimam partem Galliæ.*] In Aquitaniam quæ Belgio est omnino diversa.

liae, quòd ibi quasdam civitates in armis esse audiebat; neque C. Caninium Rebilum legatum, qui illis regionibus præerat, satis firmas ii legiones habere existimabat. T. Labienum ad se evocat: legionemque xii, quae cum eo fuerat in hibernis, [2] in Togatam Galliam mittit, ad [3] colonias civium Romanorum tuendas; [4] ne quod simile incommodum accideret decursione barbarorum, ac superiore aestate [5] Tergistinis accidisset: qui repentino latrocinio, atque impetu eorum erant oppressi. Ipse ad devastandos depopulandosque fines Ambiorigis proficiscitur; quem perterritum atque fugientem quum redigi posse in fuam protestatem desperâsset: proximum [suae dignitati] esse ducebat, adeò fines ejus vastare civibus, aedificiis, pecore, ut odio suorum Ambiorix, si quos fortuna fecisset reliquos, nullum reditum propter tantas calamitates haberet in civitatem.

XXV. Quum in omnes partes finium Ambiorigis aut legiones aut auxilia dimisisset, atque omnia caedibus, incendiis, rapinis vastâsset: magno numero hominum interfecto aut capto; Labienum cum 11 legionibus in Treviros mittit; quorum civitas, propter Germaniae vicinitatem, quotidianis exercitata bellis, cultu et feritate non multùm à Germanis differebat; neque imperata unquam, nisi exercitu coacta, faciebat.

XXVI. Interim C. Caninius legatus, quum, magnam multitudinem convenisse hostium in fines Pictonum, literis nuntiisque Duracii cognovisset, qui perpetuò in amicitiâ Romanorum permanserat; quum pars quaedam civitatis ejus defecisset, ad oppidum [6] Limonum contendit. Quò quum adventaret, atque ex captivis certiùs cognosceret, multis hominum millibus, Dumnaco duce Andium, Duracium clausum, Limonum oppugnari; neque infirmas legiones hostibus committere auderet; castra munito loco posuit: Dumnacus, quum appropinquare Caninium cognovisset, copiis omnibus, ad legiones conversis, castra Romanorum oppugnare instituit. Quum complures dies in oppugnatione consumsisset; et, magno suorum detrimento, nullam partem munitionum convellere potuisset, rursus ad obsidendum Limonum redit.

NOTÆ.

1 *Quæ cum eo fuerat in hibernis.*] Apud Sequanos.

2 *In togatam Galliam.*] Quæ alio nomine Citerior dicitur, quia cis Alpes eſt. Propterea autem Togata dicitur, quia togis more Italorum utebantur in Italia ipſa Galli conſtituti.

3 *Colonias.*] Coloniæ erant urbes agrique in quos ſuos cives populos Rom. miſerat, ſcilicet ut colerent, jureque civitatis Romanæ uterentur. Ii vocabantur coloni, et annuam penſionem populo Rom. pendebant, qui ob eam cauſam eos tuebatur.

4 *Ne quod ſimile incommodum*, &c.] Appianus eos barbaros Dalmatas appellat Bellum civile impunitatem illis attulit. Sed victori tandem Cæſari pacis conditiones obtulerunt, vectigalesque facti ſunt. Rurſus interfecto Cæſare, impoſitum jugum excuſſerunt. Sed Vibio perdomandos Auguſtus tradidit.

5 *Tergeſtinis.*] Tergeſtum oppidum xxiii. millibus paſſuum abeſt ab Aquileia. Strabo, lib. vii. Carnicorum pagum dicit. Mela in intimo Adriæ ſinu ponit, ac Illyriam finire tradit. *Trieſte* hodie dicitur.

6 *Limonum.*] Ignoratur. Ex itinerario Antonini eſt in Pictonibus, apud quos ſunt duo oppida, Auguſtoritum et Limonum. Si Auguſtoritum eſt, ut quibuſdam videtur, *Poitiers*, erit igitur totum Limonum.

XXVII. Eodem tempore C. Fabius legatus complures civitates in fidem recipit, obsidibus firmat, litterisque C. Canini certior fit, quae in Pictonibus gerantur. Quibus rebus cognitis, proficiscitur ad auxilium Duracio ferendum. At Dumnacus, adventu Fabii cognito, desperatâ salute, si tempore eodem coactus esset, et Romanum externum sustinere hostem, et respicere ac timere oppidanos, repentè eo ex loco cum copiis recedit: nec se satis tutum fore arbitratur, nisi flumen Ligerim, quod erat ponte propter magnitudinem transeundum, copias transduxisset. Fabius, etsi nondum in conspectum venerat hostibus, neque se cum Caninio conjunxerat, tamen doctus ab iis, qui locorum noverant naturam, potissimum credidit, hostes perterritos eum locum, quem petebant, petituros. Itaque cum copiis ad eundem pontem contendit, equitatumque tantum procedere ante agmen imperat legionum, quantum quum processisset, sine defatigatione equorum in eadem se reciperet castra. Consequuntur equites nostri, ut erat praeceptum, invaduntque Dumnaci agmen: et fugientes perterritosque [1] sub sarcinis in itinere aggressi, magnâ predâ, multis interfectis, potiuntur. Itaque re bene gestâ, se recipiunt in castra.

XXVIII. Insequenti nocte Fabius equites praemittit, sic paratos, ut confligerent, atque omne agmen morarentur, dum consequeretur ipse. Cujus praeceptis, ut res gereretur, Q. Atius Varus, praefectus equitum, singularis et animi et prudentiae vir, suos hortatur, agmenque hostium consecutus, turmas partim idoneis locis disponit, partim equitum proelium committit. Consistit audaciùs equitatus hostium succedentibus sibi peditibus, qui toto agmine subsistentes, equitibus suis contra nostros ferunt auxilium. Fit proelium acri certamine. Namque nostri, contemptis pridie superatis hostibus, quum subsequi legiones meminissent, et pudore cedendi, et cupiditate celeriùs per se conficiendi proelii, fortissimè contra pedites proeliantur: hostesque nihil amplius copiarum accessurum credentes, ut pridie cognoverant, delendi equitatûs nostri nacti occasionem videbantur.

XXIX. Quum aliquandiu summâ contentione dimicaretur, Dumnacus instruit aciem, quae suis esset equitibus invicem praesidio. Tum repentè confertae legiones in conspectum hostium veniunt. Quibus visis perculsae barbarorum turmae, ac perterritae acies hostium, perturbato impedimentorum agmine, magno clamore discursuque passim fugae se mandant. At nostri equites, qui paullò antè cum resistentibus fortissimè conflixerant, laetitiâ victoriae elati, magno undique clamore sublato, cedentibus circumfusi, quantum equorum vires ad persequendum, dextraeque ad caedendum valent, tantum eo proelio interficiunt. Itaque amplius millibus xii aut armatorum, aut eorum qui timore arma projecerant, interfectis, omnis multitudo capitur impedimentorum.

NOTAE.

1 *Sub sarcinis.*] Sub sarcinis dicuntur esse milites et impediti, cum præter arma adhuc portant onera: expediti autem, qui non vallum, non cibum, nihil denique præter arma ferunt.

XXX. Quâ ex fugâ, quum constaret Drapetem Senonem (qui, ut primùm defecerat Gallia, collectis undique perditis hominibus, servis ad libertatem vocatis, exulibus omnium civitatum accitis, receptis latronibus, impedimenta et commeatus Romanorum interceperat) non amplius hominum V millibus ex fugâ collectis, provinciam petere; unàque consilium cum eo Luterium Cadurcum cepisse, [1] quem in superiore commentario, primâ defectione Galliae, facere in provinciam impetum voluisse cognitum est; Caninius legatus cum legionibus II ad eos persequendos contendit, [a] ne de timore aut detrimento Provinciae magna infamia, perditorum hominum latrociniis, caperetur.

XXXI. C. Fabius cum reliquo exercitu in Carnutes, reliquasque proficiscitur civitates, quarum eo proelio, quod cum Dumnaco fecerat, copias esse accitas sciebat. Non enim dubitabat, quin recenti calamitate submissiores essent futurae: dato verò spatio ac tempore, eodem instante Dumnaco, possent concitari. Quâ in re summa felicitas celeritasque in recipiendis civitatibus Fabium consequitur. Nam Carnutes, qui, saepe vexati, nunquam pacis fecerant mentionem, datis obsidibus, veniunt in deditionem; caeteraeque civitates positae in ultimis Galliae finibus, Oceano conjunctae, [2] quae Armoricae appellantur, auctoritate adductae Carnutum, adventu Fabii legionumque, imperata sine morâ faciunt. Dumnacus suis finibus expulsus, errans, latitansque, solus extremas Galliae regiones petere coactus est.

XXXII. At Drapes, unaque Luterius, quum legiones Caniniumque adesse cognoscerent, nec se sine certâ pernicie, persequente exercitu, putarent Provinciae fines intrare posse: nec jam liberam vagandi latrocinandique facultatem haberent, consistunt in agris Cadurcorum. Ibi quum Luterius apud suos cives quondam, integris rebus, multum potuisset, semperque auctor novorum consiliorum, magnam apud barbaros auctoritatem haberet; [3] oppidum Uxellodunum, quod in clientelâ fuerat ejus, naturâ loci egregiè munitum, occupat suis et Drapetis copiis, oppidanosque sibi conjungit.

XXXIII. Quò quum confestim C. Caninius venisset, animadverteretque omnes oppidi partes praeruptissimis saxis esse munitas, quò, defendente nullo, tamen armatis adscendere esset difficile; magna autem impedimenta oppidanorum videret, quae si clandestinâ fugâ subtrahere conarentur, effugere non modò equitatum, sed ne legiones quidem possent: tripartitò cohortibus divisis, trina excelcissima

INTERPRETATIO.

a *Ne magnum dedecus redundaret ex metu et damno Provinciae grassationibus sceleratorum hominum.*

NOTÆ.

1 *Quem in superiore commentario.*] Nempe in lib. vii.

2 *Quæ Armoricæ appellantur.*] Quod nomen non ejus tantum peninsulæ, quæ Britannia hodie dicitur, sed Bajocensis etiam agri, ut ex Ausonio patere supra ostendimus.

3 *Oppidum Uxellodunum,*] Uxellodunum aiunt esse *Lo puech d' Ussolou*, aut *Ussoldun*, apud quod oppidum multa antiquitatis vesti-

loco castra fecit, à quibus paullatim, quantum copiae patiebantur, vallum in oppidi circuitu ducere instituit.

XXXIV. Quod quum animadverterent oppidani, miserrimâque Alesiae memoriâ solliciti, similem casum obsessionis vererentur, maximèque ex omnibus Luterius, qui fortunae illius periculum fecerat, moneret rationem frumenti esse habendam: constituunt omnium consensu, parte ibi relictâ copiarum, ipse cum expeditis ad importandum frumentum proficisci. Eo consilio probato, proximâ nocte, ii millibus armatorum relictis, reliquos ex oppido Drapes et Luterius educunt: ii, paucos dies morati, ex finibus Cadurcorum, (qui partim re frumentariâ sublevare eos cupiebant, partim prohibere, quò minùs sumerent, non poterant;) magnum numerum frumenti comparant. Nonnunquam autem expeditionibus nocturnis castella nostrorum adoriuntur. Quam ob caussam C. Caninius toto oppido munitiones circumdare moratur; ne aut opus effectum tueri non possit, aut plurimis in locis infirma disponat praesidia.

XXXV. Magnâ copiâ frumenti comparatâ, considunt Drapes et Luterius non longiùs ab oppido x millibus passuum, unde paullatim frumentum in oppidum supportarent. [a] Ipsi inter se provincias partiuntur. Drapes castris praesidio cum parte copiarum restitit: Luterius agmen jumentorum ad oppidum adducit. Dispositis ibi praesidiis, [1] horâ noctis circiter x silvestribus angustisque itineribus frumentum importare in oppidum instituit. Quorum strepitum vigiles castrorum quum sensissent; exploratoresque missi, quae agerentur renuntiâssent; Caninius celeriter cum cohortibus armatis ex proximis castellis, in frumentarios sub ipsam lucem impetum fecit. Ii, repentino malo perterriti, diffugiunt ad sua praesidia: quae nostri ut viderunt, acriùs contra armatos incitati, neminem ex eo numero vivum capi patiuntur. Effugit inde cum paucis Luterius, nec se recipit in castra.

XXXVI. Re bene gestâ, Caninius ex captivis comperit, partem copiarum cum Drapete esse in castris millibus non ampliùs x. Quâ re ex compluribus cognitâ, quum intelligeret, fugato duce altero, perterritos reliquos facilè opprimi posse; magnae felicitatis esse arbitrabatur, neminem ex caede refugisse in castra, qui de acceptâ calamitate nuntium Drapeti perferret. Sed, quum in experiundo periculum nullum videret, equitatum omnem, Germanosque pedites summae velocitatis omnes ad castra hostium praemittit. Ipse legionem unam in

INTERPRETATIO.

a *Ipsi dividunt inter se administrationem* rerum.

NOTÆ.

gia; quin ibidem et numismata Romana effodiuntur. Nec latet rusticos ipsos indigenas hoc oppidum fuisse à Cæsare expugnatum. Alii putant esse *Cahors*, Cadurcorum metropolim. Sed Deuona sive Divona recensetur sola urbs Cadurcorum à Ptolemæo, quæ debuit esse metropolis. Non enim minorem aliquam, indictâ metropoli, nominavisset. Præterea non videtur suam metropolim in clientela habiturus fuisse Luterius.

1 *Hora noctis circiter* x.] Duabus circiter horis ante ortum solis.

trina castra distribuit; alteram secum expeditam ducit. Quum propiùs hostem accessisset, ab exploratoribus, quos præmiserat, cognoscit castra eorum, ut barbarorum fert consuetudo, relictis locis superioribus, ad ripas fluminis esse demissa; at Germanos equites imprudentibus omnibus de improviso advolâsse, et prœlium commisisse. Quâ re cognitâ, legionem armatam instructamque adducit. Ita, repentè omnibus ex partibus signo dato, loca superiora capiuntur. Quod ubi accidit, Germani equites, signis legionis visis, vehementissimè prœliantur. Confestim omnes cohortes undique impetum faciunt: omnibus aut interfectis, aut captis, magnâ praedâ potiuntur. Capitur ipse eo prœlio Drapes.

XXXVII. Caninius, felicissimè re gestâ, sine ullo penè militis vulnere, ad obsidendos oppidanos revertitur. Externoque hoste deleto, cujus timore augere præsidia, et munitione oppidanos circumdare prohibitus erat, opera undique imperat administrari. Venit eòdem cum suis copiis postero die C. Fabius, partemque oppidi sumit ad obsidendum.

XXXVIII. Caesar interim M. Antonium quaestorem cum cohortibus xv in Bellovacis reliquit; ne qua rursus novorum consiliorum capiendorum Belgis facultas daretur. Ipse reliquas civitates adit: obsides plures imperat: timentes omnium animos consolatione sanat. Quum in Carnutes venisset, quorum consilio in civitate, superiore commentario, Cæsar exposuit initium belli esse ortum, quòd praecipuè eos, propter conscientiam facti timere animadvertebat; quo celeriùs civitatem metu liberaret, principem sceleris ipsius, et concitatorem belli [1] Guturvatum ad supplicium deposcit. Qui etsi ne civibus quidem suis se committebat; tamen celeriter, omnium curâ quaesitus, in castra perducitur. Cogitur in ejus supplicium Caesar contra naturam suam, maximo militum concursu; qui omnia pericula et detrimenta belli à Guturvato accepta referebant; [2] adeò ut verberibus exanimatum corpus securi feriretur.

XXXIX. Ibi crebris litteris Caninii fit certior, quae de Drapete et Luterio gesta essent, quoque in consilio permanerent oppidani: quorum etsi paucitatem contemnebat tamen pertinaciam magnâ pœnâ esse afficiendam judicabat; ne universa Gallia non vires sibi defuisse ad resistendum Romanis, sed constantiam, putaret; neve hoc exemplo caeterae civitates, locorum opportunitate fretae, se vindicarent in libertatem; quum omnibus Gallis notum esse sciret, [3] reliquam esse unam aestatem suae provinciae; quam si sustinere potuissent, nullum

NOTÆ.

1 *Guturvatum.*] Guturvatus Cotuatus nominatur initio libri vii. Ciacconius hoc loco in veteri codice legi dicit *Gutuatum*. Ergo aut hic *Cotuatum*, aut illic *Gutuato* legendum fuerit.

2 *Adeo ut verberibus exanimatum corpus securi feriretur.*] Caesar suam sævitiam multo cautius tegit. Nam de Accone Senone, quem eadem fortasse pœna affecit, solum dicit: *Graviore pronuntiata sententia, more majorum supplicium sumpsit.*

3 *Reliquam esse unam æstatem.*] Quum enim iv annis cum dimidio jam præfuisset: una æstas erat reliqua. Imperium enim illi per quinquennium, ut ex Eutropio cognoscitur, fuerat prorogatum.

ultra periculum vererentur. Itaque [1] Q. Calenum legatum cum legionibus ii relinquit, qui justis itineribus se subsequeretur: ipse cum omni equitatu, quàm potest celerrimè, ad Caninium contendit.

XL. Quum contra exspectationem omnium, Caesar Uxellodunum venisset, oppidumque operibus clausum animadverteret, neque ab oppugnatione recedi videret ullâ conditione posse; magnâ autem copiâ frumenti abundare oppidanos, ex perfugis cognovisset: aquâ prohibere hostem tentare cœpit. [2] Flumen infimam vallem dividebat, quae pene totum montem cingebat, in quo positum erat praeruptum undique oppidum Uxellodunum. Hoc avertere, loci natura prohibebat. Sic enim imis radicibus montis ferebatur, ut nullam in partem, depressis fossis, derivari posset. Erat autem oppidanis difficilis et praeruptus eò descensus, ut prohibentibus nostris, sine vulneribus ac periculo vitae, neque adire flumen, neque arduo se recipere possent adscensu. Quâ difficultate eorum cognitâ, Caesar, sagittariis funditoribusque dispositis, tormentis etiam quibusdam locis contra facillimos descensus collocatis, aquâ fluminis prohibebat oppidanos: quorum omnis postea multitudo aquatum unum in locum conveniebat.

XLI. Sub ipsius oppidi murum [3] magnus fons prorumpebat ab eâ parte, quae ferè pedum ccc intervallo fluminis circuitu vacabat. Hoc fonte prohiberi posse oppidanos, quum optarent reliqui, Caesar unus videret, non sine magno periculo; è regione ejus vineas agere adversus montem, et aggeres struere cœpit, magno cum labore, et continuâ dimicatione. Oppidani enim loco superiore decurrentes sine periculo prœliabantur, multosque pertinaciter succedentes vulnerabant, ut tamen non deterrerentur milites nostri vineas proferre, et labore atque operibus locorum vincere difficultates. Eodem tempore tectos cuniculos, crates et vineas agunt [4] ad caput fontis. Quod genus operis sine ullo periculo, et sine suspicione hostium facere licebat. Extruitur agger in altitudinem pedum ix. Collocatur in eo turris x tabulatorum, non quidem quae mœnibus aequaretur, (id enim nullis operibus effici poterat) sed quae superaret fontis fastigium. Ex eâ quum tela tormentis jacerentur ad fontis aditus; nec sine periculo possent adaquari oppidani; non tantum pecora atque jumenta, sed etiam magna hominum multitudo siti consumebatur.

XLII. Quo malo perterriti oppidani, cupas sevo, pice, [5] scandulis complent: eas ardentes in opera provolvunt. Eodem tempore acerrimè prœliantur, ut ab incendio restinguendo dimicatione et periculo deterreant Romanos. Magna repentè in ipsis operibus flamma

NOTÆ.

1 *Q. Calenum.*] Calenus ille Athenas cepit; confulque fuit anno prœlii Pharfalici.

2 *Flumen infimam vallem dividebat.*] Dordona.

3 *Magnus fons prorumpebat.*] Hunc fontem etiamnum oftendunt incolæ.

4 *Ad caput fontis.*] Sic dicitur fcaturigo, *la fource*, Virgil. iv. Georgic.

Triftis ad extremi facrum caput aftitit amnis.

5 *Scandulis.*] Scandulæ funt tabellæ è ligno roboreo vel abiegno in parvas laminas affulatim fiffæ.

exsistit. Quaecumque enim per locum praecipitem missa erant, ea vineis et aggere suppressa, comprehendebant id ipsum, quod morabatur. Milites contrà nostri, quanquam periculoso genere prœlii locoque iniquo premebantur, tamen omnia paratissimo sustinebant animo. Res enim gerebatur et excelso loco, et in conspectu exercitûs nostri: magnusque utrinque clamor oriebatur: ita, quàm quisque poterat, maximè insignis, quò notior testatiorque virtus ejus esset, telis hostium flammaeque se offerebat.

XLIII. Caesar, quum complures suos vulnerari videret, ex omnibus oppidi partibus cohortes montem adscendere, et simulatione mœnium occupandorum, clamorem undique jubet tollere. Quo facto perterriti oppidani, quum quid ageretur in locis reliquis, essent ignari, revocant ab impugnandis operibus armatos, murisque disponunt. Ita nostri, fine prœlii facto, celeriter opera flammâ comprehensa partim restinguunt, partim interscindunt. Quum pertinaciter resisterent oppidani, et jam magnâ parte suorum siti amissâ, in sententiâ permanerent: ad postremum [1] cuniculis venae fontis intercisae sunt, atque aversae. Quo facto repentè fons perennis exhaustus, tantam attulit oppidanis salutis desperationem, ut id non hominum consilio, sed Deorum voluntate factum putarent. Itaque necessitate coacti, se transdiderunt.

XLIV. Caesar, quum suam lenitatem cognitam omnibus sciret, neque vereretur, ne quid crudelitate naturae videretur asperiùs fecisse; neque exitum consiliorum suorum animadverteret, si tali ratione diversis in locis plures rebellare cœpissent; exemplo supplicii deterrendos reliquos existimavit. Itaque omnibus, qui arma tulerant, [2] manus praecidit. Vitam concessit, quò testatior esset pœna improborum. Drapes, quem captum esse à Caninio docui, sive indignatione et dolore vinculorum, sive timore gravioris supplicii, paucis diebus sese cibo abstinuit, atque ita interiit. Eodem tempore Luterius, quem profugisse ex prœlio scripsi, quum in potestatem venisset Epasnacti Arverni (crebrò enim mutandis locis, multorum fidei se committebat, quòd nusquam diutiùs sine periculo commoratus videbatur, quum sibi conscius esset, quàm inimicum deberet Caesarem

NOTAE.

1 *Cuniculis.*] De quibus ſupra.

2 *Manus pracidit.*] Exemplum crudelitatis Cæſaris, qui in omnes ſævit, neminem pœnæ eximit. Sic ante in Venetos ab illo animadverſum, ubi omni ſenatu necato reliquos ſub coronâ vendidit. Ille tamen affectare paſſim clementiæ famam videtur. Sic de ſe ad Ciceronem ſcribit: *Recte de me auguraris, bene enim tibi cognitus ſum: nihil à me abeſſe longius crudelitate.* Velleius, lib. ii. *Regreſſus, quod humanam excedit fidem, omnibus qui contra ſe arma tulerant, ignovit.* Sed illud conſiderandum eſt, Cæſarem barbarorum opinionem parvi feciſſe, à quibus metui voluit, ſolam, quam apud cives habiturus erat vel gloriam vel infamiam, reſpicientem; cujus quidem naturam optime Dio deſcribit, dum prodit eum nihil iracundiæ tribuiſſe, ſed temporibus ferviiſſe, nec ipſi, quæ ante fuiſſent geſta, curæ fuiſſe; ſed id unum ſpectaſſe ut ſe metu expediret. Quocirca multis de ſe peſſime meritis ignoviſſe, quod nihil amplius nocituros credebat: alios vero plus juſto puniviſſe, ut ſecurus vel tutus fieret. Ita factum eſt, ut adverſus Uxellodunenſes gravius conſuluerit. Curio Cæſaris naturam verò deſcribebat Ciceroni, cum illi dicebat: *Ipſum non voluntate aut natura non eſſe crudelem, ſed quod putaret popularem eſſe clementiam.*

habere) hunc Epasnactus Arvernus, amicissimus populi R. sine dubitatione ullâ vinctum ad Caesarem duxit.

XLV. Labienus interim in treviris equestre prœlium secundum facit; compluribusque Treviris interfectis, et Germanis, qui nulli adversùs Romanos auxilia denegabant, principes eorum vivos in suam redegit potestatem, atque in iis Surum Æduum, qui et virtutis et generis summam nobilitatem habebat, solusque ex Æduis ad id tempus permanserat in armis.

XLVI. Eâ re cognitâ, Caesar, quum in omnibus partibus Galliae bene res gestas videret, judicaretque superioribus aestivis Galliam devictam et subactam esse, [1] Aquitaniam nunquam ipse adîsset, sed per P. Crassum quâdam ex parte devicisset; cum II legionibus in eam partem est profectus, ubi extremum tempus consumeret aestivorum. Quam rem, sicut caetera, celeriter feliciterque confecit. Namque omnes Aquitaniae civitates legatos ad eum miserunt, obsidesque ei dederunt. Quibus rebus gestis, ipse cum equitum praesidio Narbonem profectus est: exercitum per legatos in hiberna deduxit: IV legiones in Belgio collocavit cum M. Antonio, et C. Trebonio, et P. Vatinio, et Q. Tullio legatis: II in Æduos misit, quorum in omni Galliâ summam esse auctoritatem sciebat: II in Turonis ad fines Carnutum posuit, quae omnem regionem conjunctam Oceano continerent: II reliquas in Lemovicum fines non longè ab Arvernis, ne qua pars Galliae vacua ab exercitu esset. Paucos dios ipse in Provinciâ moratus, quum celeriter omnes conventus percucurrisset; publicas controversias cognovisset; bene meritis praemia tribuisset; (cognoscendi enim maximam facultatem habebat, quali quisque animo in Rempublicam fuisset totius Galliae defectione, quam sustinuerat fidelitate atque auxiliis provinciae illius.)

XLVII. His rebus confectis, ad legiones in Belgium se recipit, hibernavitque [2] Nemetocennae. Ibi cognoscit Comium Atrebatem prœlio cum equitatu suo contendisse. Nam quum Antonius in hiberna venisset, civitasque Atrebatum in officio maneret; Comius, qui post illam vulnerationem, quam supra commemoravimus, semper ad omnes motus paratus suis civibus esse consuêsset, ne consilia belli quaerentibus auctor armorum duxque deesset, parente Romanis civitate, cum suis equitibus se suosque latrociniis alebat, infestisque itineribus commeatus complures, qui comportabantur in hiberna Romanorum, intercipiebat.

XLVIII. Erat attributus Antonio praefectus equitum C. Voluse-

NOTÆ.

1 *Aquitaniam nunquam ipſe adiiſſet.*] Argumentum eſt nunquam vacâſſe Cæſari ſuos commentarios relegere. Aliter enim emendâſſet, quæ de Aquitania ſuperius ſcripſerat, et quæ Auguſtus ipſe poſtea emendavit, prolatis Aquitaniæ finibus, cum novam Galliæ diviſionem inſtituit.

Nemetocennæ.] Nemetocenna nunc eſt locus ſine nomine, in quem tempore in præteritum futuro mutato convenit Virgilianum illud,

Hæc tum nomina erant, nunc ſunt ſine nomine terræ.

nus Quadratus, qui cum eo hiemaret. Hunc Antonius ad persequendum equitatum hostium mittit. Volusenus autem ad eam virtutem, quae singularis in eo erat, magnum odium Comii adjungebat, quò libentiùs id faceret, quod imperabatur. Itaque dispositis insidiis, sæpius ejus equites aggressus, secunda prœlia faciebat. Novissimè, quum vehementiùs contenderetur, ac Volusenus ipsius intercipiendi Comii cupiditate pertinaciùs eum cum paucis insecutus esse; ille autem fugâ vehementi Volusenum longiùs produxisset; repentè omnium suorum invocat fidem atque auxilium, ne sua vulnera, perfidiâ interpositâ, paterentur inulta; conversoque equo, se à caeteris incautiùs permittit in praefectum. Faciunt idem omnes ejus equites, paucosque nostros convertunt atque insequuntur. Comius incensum calcaribus equum jungit equo Quadrati, lanceâque infestâ medium femur ejus magnis viribus transjicit. Praefecto vulnerato, non dubitant nostri resistere, et conversi hostem pellere. Quod ubi accidit, complures hostium, magno nostrorum impetu pulsi, vulnerantur, et partim in fugâ proteruntur, partim intercipiuntur. Quod ubi malum dux, equi velocitate, evitavit: graviter vulneratus praefectus, ut vitae periculum aditurus videretur, refertur in castra. Comius autem, sive expiato suo dolore, sive magnâ parte amissâ suorum, legatos ad Antonium mittit, seque ibi futurum ubi praescripserit, et ea facturum quae imperaverit, obsidibus datis firmat: unum illud orat, ut timori suo concedatur, ne in conspectum veniat cujusquam Romani. Quam postulationem Antonius quum judicaret ab justo nasci timore, veniam petenti dedit: obsides accepit.

[1] Scio Caesarem singulorum annorum singulos commentarios confecisse: quod ego non existimavi mihi esse faciendum: propterea quòd insequens annus L. Paullo, C. Marcello consulibus, nullas habet Galliæ magnoperè res gestas. Ne quis tamen ignoraret, quibus in locis Caesar exercitusque eo tempore fuissent, pauca scribenda conjungendaque huic commentario statui.

XLIX. Caesar, quum in Belgio hiemaret, unum illud propositum habebat, continere in amicitiâ civitates, nulli spem aut caussam dare armorum. Nihil enim minùs volebat, quàm sub discessum suum necessitatem sibi aliquam imponi belli gerendi: ne, quum exercitum deducturus esset, bellum aliquod relinqueretur, quod omnis Gallia libenter sine praesenti periculo susciperet. Itaque, [2] honorificè civitates ap-

NOTÆ.

1 *Scio Cæsarem.*] Veluti epilogus libri eſt, ubi nempe nonus annus incipit, vel potius hiems noni anni.

2 *Honorificè civitates appellando.*] Egregium documentum tradit Cæſar, quibus artibus partæ bello provinciæ retineantur, quæ certe adeo illi ſucceſſerunt, ut ingreſſus bellum civile, copias omnes ex Gallia cum eduxiſſet, nihilominus pacatam retinuerit jam libertatis velut immemorem, quaſi non victa, ſed ſua ſponte ſubdita eſſet. Sic Agrippa apud Joſephum, lib. ii. de bello Judaico, cap. 16. Καὶ τοῦτο ὑπομένουσιν, οὐ διὰ φρονημάτων μαλακίαν, οὐδὲ δ' ἀγένειαν, οἵγε διήνεγκαν ὀγδοήκοντα ἔτη πόλεμον ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας, ἀλλὰ μετὰ τῆς δυνάμεως Ῥωμαίων καὶ τὴν τύχην καταπλαγέντες, ἥτις αὐτοῖς κατορθοῖ πλείονα τῶν ὅπλων. Τοιγαροῦν ὑπὸ χιλίοις καὶ

pellando, [1] principes maximis praemiis officiendo, [2] nulla onera nova imponendo, defessam tot adversis proeliis Galliam, conditione parendi meliore, facilè in pace continuit.

L. Ipse hibernis peractis, [3] contra consuetudinem in Italiam quàm maximis itineribus est profectus, ut [4] municipia et colonias appellaret, quibus M. Antonii quaestoris sui commendaret [5] sacerdotii petitionem. Contendebat enim gratiâ quum libenter pro homine sibi conjunctissimo, quem paullò ante praemiserat ad petitionem; tum acriter [6] contra factionem et potentiam paucorum, qui, M. Antonii repulsâ, Caesaris decedentis convellere gratiam cupiebant. [7] Hunc etsi augurem priùs factum, quàm Italiam attingeret, in itinere audierat, tamen non minus justam sibi caussam municipia et colonias adeundi existimavit, ut iis gratias ageret, quòd frequentiam atque officium suum Antonio praestitissent: simulque se et honorem suum in sequentis anni commendaret petitione: propterea quod insolenter adversarii sui gloriarentur, L. Lentulum et C. Marcellum [8] consules creatos, qui omni

NOTÆ.

διακοσίοις στρατιώταις δουλεύουσιν, ὧν ὀλίγου δεῖν πλείους ἔχουσι πόλεις. *Et hoc sustinent* [*Galli*] *non propter animorum mollitiem, nec propter ignaviam, qui octoginta annos pro libertate bellum gesserunt, sed potentiam Romanorum et fortunam una admirati, qua fortuna illi plura quam armis obtinent. Quapropter sub mille et ducentis militibus serviunt, quibus pene plures urbes habent.* Deinde subdit Galliam Romanos exercitus delere nullo negotio potuisse, quippe cccxv gentibus numerosam. Sic de eadem re Florus: *Difficilius est provincias obtinere quam facere; viribus parantur, jure retinentur.* Livius vero lib. xxxviii. *Facilius parari singula, quam teneri universa.*

1 *Principes maximis præmiis afficiendo.*] Non enim vulgus facile concitatur, nisi ducum auctoritas præeat. Præterea, si quid opus est, quibus bellum geritur, penes principes esse solet.

2 *Nulla onera nova imponendo.*] Ita autore Tacito, Cappadoces: cum in provinciæ formam essent redacti, à Tiberio quædam ex regis tributis diminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur. Vespasianus vero gravi laboravit infamia, quod non contentus omissa sub Galba vectigalia revocasse, nova et gravia addiderit et auxerit tributa.

3 *Contra consuetudinem.*] Non quia non solitus ire; sed quia maturius ire consueverat. Ante enim ineunte hieme, tunc autem exeunte profectus est in Italiam, in Gallia plusculum moratus, ut extremam veluti manum toti operi imponerent.

4 *Municipia et colonias.*] Municipia à muneribus capiendis dicta, erant oppida jure civium Romanorum donata: coloniæ vero oppida quo populus Rom. cives suos ad incolendum deduxit. Quia vero alia sunt teste A. Gellio, quæ jus civitatis sine suffragio habebant, alia vero, quæ jus habebant suffragii, hæc erant, quæ cum studeret Cæsar M. Antonium fieri sacerdotem, ipsi circumeunda erant, ut municipum gratiam illi conciliaret. Sed non ea contentus prensatione, in urbem non desinebat milites mittere, multosque è magistratibus pecunia redimere, in iis Paullum consulem, qui talentis mille et quingentis corruptus, ad ejus partes descivit, teste Plutarcho.

5 *Sacerdotii petitionem.*] Multa erant sacerdotiorum genera, sed quod petebat Antonius erat sacerdotium auguratûs.

6 *Contra factionem et potentiam paucorum.*] Nempe Pompeii, Catonis, Marcelli, Scipionis, Lentuli.

7 *Hunc etsi augurem.*] Augures ab avibus dicti, quorum scientia antiquitus in captanda ex avibus futuri cognitione fuit; si enim opportune volassent aves, aut idoneas aves accepissent, aut rite edissent, inde futura prædicere solebant augures, qui postea magno sunt in honore habiti.

8 *Consules creatos.*] Designatos.

honore et dignitate Caesarem expoliarent: ereptum [1] Ser. Galbae consulatum, quum is multo plus gratiâ suffragiisque valuisset, quòd sibi conjunctus et familiaritate et necessitudine legationis esset.

LI. Exceptus est Caesaris adventus ab omnibus municipiis et coloniis incredibili honore atque amore. Tum primùm enim veniebat ab illo universæ Galliae bello. Nihil relinquebatur, quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque omnium, quà Caesar iturus erat, excogitari posset. Cum liberis omnis multitudo obviam procedebat. Hostiae omnibus locis immolabantur. [2] Tricliniis stratis fora templaque occupabantur, ut vel expectatissimi triumphi laetitia præcipi posset. Tanta erat magnificentia apud opulentiores, cupiditas apud humiliores.

LII. Quum omnes regiones [3] Galliae Togatae Caesar percurrisset, summâ celeritate ad exercitum [4] Nemetocennam rediit; legionibusque ex omnibus hybernis ad fines Trevirorum evocatis, eò profectus est, ibique [5] exercitum lustravit. [6] T. Labienum Galliae Togatae praefecit, quò majore commendatione conciliaretur ad consulatûs petitionem. Ipse tantum itinerum faciebat, quantum satis esse ad mutationem locorum propter salubritatem existimabat. Ibi quanquam crebrò audiebat, Labienum ab inimicis suis sollicitari; certiorque fiebat, id agi paucorum consiliis, ut, interposita senatûs auctoritate, aliquâ parte exercitus spoliaretur; tamen neque de Labieno credidit quidquam, neque contra senatûs auctoritatem ut aliquid faceret, potuit adduci. Judicabat enim liberis sententiis patrum conscriptorum caussam suam facilè obtineri. Nam C. Curio,

NOTAE.

1 *Ser. Galba*] Ser. Galba hic eſt qui, ut eſt in lib. III. à Caeſare in Nantuates. Veragros, Sedunoſque miſſus, quique ob conſulatûs repulſam, quam Caeſari rerum potienti tribuebat, cum Caſſio et Bruto conjuravit.

2 *Tricliniis.*] Triclinium autore Iſidoro, eſt cœnaculum à tribus lectulis diſcumbentium dictus. Apud veteres enim in loco, ubi convivii apparatus exponebantur, tres erant lectuli ſtrati, in quibus diſcumbentes epulabantur. Κλίνη enim Græci *lectus* dicitur, unde factum ut triclinium diceretur. Horat. Sat. iv. lib. i. tres lectos pro triclinio dixit.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

3 *Galliæ Togatæ.*] De Gallia Togata ſupra.

4 *Nemetocennam.*] Ignorari dictum ſupra.

5 *Exercitum luſtravit.*] Exercitum luſtrare eſt expiare ſolemnibus ſacrificiis. Quod fiebat ab Imperatoribus, vel cum ad novum exercitum veniebant, vel cum de provincia decedebant, vel re bene geſta, vel ante prælium. Luſtrationis ejuſmodi exemplum habemus apud lib. x. Decades 4. T. Livii; *Prior hoſtiae pars dextra, poſterior ad laevam viae ponitur. Inter hanc diviſam hoſtiam copiae armaturae traducuntur* Mos denique erat luſtrationis, ſacrificio peracto, decurrere exercitum, et diviſas bifariam acies concurrere ad ſimulachrum pugnae.

6 *T. Labienum Galliae Togatae praefecit, quo, &c.*] Qui Labienus tamen a Caeſare poſtea ad Pompeium defecit.

7 *Patrum conſcriptorum.*] Senatores fuêre creati centum à Romulo, qui honoris causâ patres dicti ſunt, eorumque ſoboles, patricii. Poſt exactos vero reges, quos aetate graves et pietate cognoverant, elegerunt, quorum in decedentium locum cum litteris alii ſcriberentur, vocaverunt conſcriptos.

8 *C. Curio.*] Curionem, teſte Appiano, laudabat populus tanquam unum omnium, qui contra utrumque Pompeium et Cæſarem inimicitias cepiſſet, floribuſque deducens aſpergebat, ut athletam magni difficiliſque certaminis. Nihil enim terribilius illo diſſidio videbatur poſſe fieri. De quo Curione vide plura in ſequentis libri principio.

[1] tribunus plebis, quum Caesaris caussam dignitatemque defendendam suscepisset, saepe erat senatui pollicitus; si quem timor armorum Caesaris laederet, et quoniam Pompeii dominatio atque arma non minimum terrorem foro inferrent, discederet uterque ab armis, exercitusque dimitteret. Foro eo pacto liberam, et sui juris, civitatem. Neque hoc tantùm pollicitus est; sed etiam per se senatus [2] discessionem facere cœpit. Quod ne fieret, consules amicique Pompeii intercesserunt, atque ita rem moderando, discesserunt.

LIII. [3] Magnum hoc testimonium senatûs erat universi, conveniensque superiori facto. Nam Marcellus proximo anno, quum impugnaret Cæsaris dignitatem, [4] contra legem Pompeii et Crassi, [5] retulerat ante tempus ad senatum de Caesaris provinciis; sententiisque dictis, discessionem faciente Marcello, qui sibi omnem dignitatem ex Cæsaris invidiâ querebat, [6] senatus frequens in alia omnia transiit. Quibus non frangebantur animi inimicorum Caesaris, sed admonebantur, quo majores pararent necessitudines, quibus cogi posset senatus id probare, quod ipsi constituissent.

LIV. Fit deinde S. C. ut [7] ad bellum Parthicum legio una à Cn. Pompeio, altera à C. Caesare mitterentur. Neque obscurè hae duae legiones uni Caesari detrahuntur. Nam [8] Cn. Pompeius legionem primam, quam ad Caesarem miserat, confectam ex delectu provinciæ,

NOTÆ.

1 *Tribunis plebis.*] Tribuni plebis magistratus erant decem, quorum erant partes plebem tueri, cui si quis noceret, jus habebant intercessionis, quorum creatio facta est ann. V. C. cclx paullo post exactos reges. Quâ de re vide T. Livium.

2 *Discessionem facere cœpit.*] Discessio erat his verbis concepta: Qui hæc sentitis, in hanc partem; qui alia omnia, in illam partem ite qua sentitis: pedibusque ibatur in sententiam, singulis sententiam non dicentibus. Hoc porrò cum obscurum sit, mirificè illustratur à Plutarcho in vitâ Pompeii. Sed aliquantum hic scriptor à Plutarcho dissentit. Discessionem enim esse factum Plutarchus et Appianus scribunt. Hic verò per Consules stetisse, quo minus facta sit. Quod ex eventu fit credibilius.

3 *Magnum hoc testimonium senatus erat universi.*] Placere ut Pompeius et Cæsar ab armis discederent, cum in hanc sententiam omnes fere discesserunt.

4 *Contra legem Pompeii et Crassi.*] Quæ lex ab ipsis fuerat in gratiam Cæsaris condita. De quâ lege vide infrà.

5 *Retulerat ante tempus.*] Ut Consul. Quia lege latâ à Pompeio et Crasso Coss. in alterum quinquennium Galliæ provinciæ prorogatæ fuerant et restabant adhuc duo anni de illo quinquennio, quod fieri recusabat Pompeius dicens: Clarum virum et in multis patriæ utilem non esse injuria afficiendum, tantulo spatio temporis erepto. Quo tamen innuebat post illud tempus imperium tollendum. Causæ autem, quibus nitebatur Consul, hæ erant, teste Suetonio: *Quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus. Nec contentus Marcellus provincias Cæsari et privilegium eripere, retulit etiam, ut colonis, quos rogatione Vatinia Novumcomum deduxisset, civitas adimiretur, quod per ambitionem et ultra præscriptum data esset.* Cumque ex eorum colonorum numero unum nactus esset, qui magistratum apud eos superioribus annis gesserat, virgis cæsum, quod Romanis civibus fieri non licebat, ire, atque vibices suas peregrinitatis notas Cæsari ostendere jussit.

6 *Senatus frequens in alia omnia transiit.*] Negavit se velle. Idem certe scribit Cœlius ad Ciceronem, lib. viii. epist. famil.

7 *Ad bellum Parthicum.*] Supple, quod Crasso interfecto simulabatur restaurari. Non enim contra Parthos bellatum est.

8 *Cneius Pompeius ad legionem primam.*] Pompeius commodaverat antehac Cæsari legionem, quam ab ipso repetivit, quasi eam ad

Caesari eam tanquam ex suo numero dedit. Caesar tamen, quum de voluntate adversariorum nemini dubium esset, Cn. Pompeio legionem remisit, et ex suo numero xv, quam in Galliâ citeriore habuerat, ex senatusconsulto jubet transdi. In ejus locum xiii legionem [1] in Italiam mittit, quae praesidia tueretur, ex quibus praesidiis xv deducebatur: ipse exercitum distribuit per hiberna; C. Trebonium cum legionibus iv in Belgio collocat: C. Fabium cum totidem in Æduos deducit. Sic enim existimabat tutissimam fore Galliam, si Belgae, quorum maxima virtus, et Ædui, quorum auctoritas summa esset, exercitibus continerentur.

LV. Ipse in Italiam profectus est: quò cum venisset, cognoscit per C. Marcellum consulem legiones II ab se remissas, quae ex senatusconsulto deberent ad Parthicum bellum duci, Cn. Pompeio transditas, atque in Italiâ retentas esse. Hoc facto, quamquam nulli erat dubium, quin arma contra Caesarem pararentur; tamen Caesar omnia patienda esse statuit, [2] quoad sibi spes aliqua relinqueretur jure potiùs disceptandi, quam belli gerendi.

NOTAE.

Parthicum bellum ſuo nomine miſſurus. Cæſar porrò xv. tradidit. Ita cum unam videretur dare, duas tamen tradidit. Succeſſit huic incommodo injuria: nam ambæ ſunt retentæ. De quibus Cicero ipſe Pompeianus lib. vii. ep. 13. ad Attic. *Spes omnis in duabus invidiosè retentis, pene alienis legionibus.*

1 *In Italiam mittit.*] In togatam nempe Galliam, quæ provincia erat Cæſaris. Interim quæ hic legio xv dicitur ea III appellatur in III. lib. de bello civili: et à Lucano IV. quod magis credibile, quia verſus ratio errorem numerorum non patitur, quem paſſus eſt textus Cæſaris.

——*Cornus tibi cura ſiniſtri,*
Lentule, cum primæ, quæ tum fuit optima bello:
Et quarta legione datur.——

2 *Quod ſibi ſpes aliqua*, &c.] Cicero lib. I. de Officiis: *Explicanda magis eſt decernendi ratio, quam decertandi fortitudo.* Et oratione pro A. Cæcinna: *Conſiderati hominis eſſe, quâ de re jure decertari oportet, armis non contendere.*

C. JULII CÆSARIS

COMMENTARIORUM

DE BELLO CIVILI

LIBER I.

ARGUMENTUM.

Belli civilis caussae exponuntur, tum conditiones pacis proponuntur, quibus cum nihil esset profectum, Caesar trajecto Rubicone fluvio, primum Ariminum, deinde alias Italiae urbes occupat. Pompeius, urbe relictâ, fugit Brundusium. Caesar Romam intrat, omissoque Pompeio redit in Galliam, et per Trebonium legatum Massiliam, quae Pompeianas partes susceperat, oppugnat. Ipse interim in Hispaniam contra Afranium Petreiumque Pompeii legatos proficiscitur, bellumque, ibi ex animi sententiâ conficit.

[1] LITTERIS [â [2] Fabio] C. Caesaris consulibus redditis, ægrè

NOTÆ.

1 *LITTERIS.*] Hunc librum, ut Suetonii, ut Velleii Paterculi, ut alios multos acephalum puto, id eſt, initii ſui expertum. Nihil enim facilius quam injuriam, ſi quæ ſit, in primas libri paginas invadere, ut et in extremas. Propterea et multi libri ſine defecti lectitantur. Facile tamen eſt ex Appiano illud principium ſupplere hoc modo: Cum ſenatus in Curionis ſententiam diſceſſiſſet, ut Plutarchus et Appianus teſtantur, aut ut ſupra legimus apud Hirtium, nihil propiùs factum eſſet quam ut diſcederet, conſul ſenatum dimittens, exclamavit: Vincite, ut Cæſarem dominum habeatis. His dictis ad Pompeium cum collega extra urbem proceſſit, porrectoque ipſi gladio, Jubemus te, inquit, ambo ire contra Cæſarem, et pro patriâ pugnare, et ad hoc tibi damus exercitum, qui hic eſt aut omnino in Italiâ, ſimulque delectus arbitrio tuo habendi poteſtatem. Obtemperavit Pompeius, modeſtiæ tamen cauſſa et ſpecie tenus ſubjecit; niſi quid melius. Curio deſperans ſe poſſe amplius Cæſarem juvare, exienſque ſenatu et ſibi metuens; ſe ad Cæſarem contulit, qui ſuperatis jam Alpibus cum quinque millibus peditum, trecentiſque equitibus Ravennam petebat, quæ Italiæ confinis, extrema erat ejus provinciæ. Ibi comiter excepit Cæſar Curionem, cumque eo et reliquis amicis de præſentibus rebus deliberabat. Cenſebat Curio educendas eſſe è Gallia copias univerſas et in urbem propere deducendas. Cæſari viſum eſt iterum de pace agere, amiciſque mandavit ut pro ſe paciſcerentur, ut liceret ſibi duas legiones cum ciſalpina Gallia et Illyrio retinere dum conſul fieret, nec videbatur diſplicere Pompeio. Verum obſtantibus conſulibus, Cæſar per Curionem ad ſenatum ſcripſit litteras, quarum hæc erat ſumma, ut ſibi abſenti alter conſulatus mandaretur. Nam lege Pompeia Licinia latum erat ut ejus abſentis ratio haberetur, id eſt, ut ipſi abſenti liceret petere conſulatum, quod Romanorum legibus non licebat. Suetonius addit, petiiſſe ut ne ſibi beneficium pop. R. adimeretur, aut ut cæteri quoque Imperatores ab exercitu diſcederent, confiſus, ut putant, facilius ſe, ad quæ voluiſſet, veteranos convocaturum, quam Pompeium novos milites: alioquin ſe venturum, illataſque injurias tam ſibi quam patriæ ulturum.

2 *Fabio.*] Quem hic Cæſar Fabium videtur appellare, à Dione Curio dicitur. Sed

ab iis impetratum est, [1] summâ tribunorum plebis contentione, ut in senatu recitarentur. [2] Ut verò ex litteris ad senatum referretur, impetrari non potuit. [3] Referunt consules de rep. [[4] in civitate]. [5] L. Lentulus consul senatui reique publicae se non defuturum pollicetur, si audacter ac fortiter sententias dicere velint: sin Caesarem respiciant, atque ejus gratiam sequantur, ut superioribus fecerint temporibus, se sibi consilium capturum, neque senatûs auctoritati obtemperaturum: habere se quoque ad Cæsaris gratiam atque amicitiam receptum. In eandem sententiam loquitur [6] Scipio: Pompeio esse in animo, reip. non deesse, si senatus sequatur: sin cunctetur, atque agat leniùs, nequidquam ejus auxilium, si postea velit, imploraturum.

NOTÆ.

si liber fuit acephalus, ut conjecimus, potuit et facillime trunco et mutilo loco error irrepere in vocem *Fabio.* Is Curio superiore anno tribunus plebis fuerat. Appianus quoque lib. ii. de bello civili, Curionem litterarum latorem nominat, et triduo MCCC ftadia ab exercitu Cæfaris Romam confeciffe fcribit. Hic à Velleio lib. ii. defcribitur, tanquam fax belli civilis: *Non alius majorem flagrantioremque quam C. Curio trib. plebis fubjecit facem, vir nobilis, eloquens, audax, fuæ, alienæque et fortunæ et pudicitiæ prodigus, homo ingeniofiffime nequam, et facundus malo publico.* Plinius lib. xxxvi. fcribit nihil illum in cenfu habuiffe præter difcordiam principum, et profufiffimum tamen fuiffe, miraturque fummam ejus gentis felicitatem. *Una*, inquit, *familia Curionum, in quâ tres Oratores continua ferie extiterunt.* Ejus funt litteræ ad M. Tullium Ciceronem, et Ciceronis ad illum. Priùs inimiciffimus fuit Cæfaris, fed delinivit eum M. Antonius fuis deliciis, et Cæfar folvit pro ipfo ingens æs alienum: is capto Corfinio in Ciliciam primum, deinde in Africam tranfit contra Varum et Jubam, ibique cum fuo exercitu ab eo cæfus eft, Lucanus lib. I. *Hos* [tribunos] ait, *audax venali comitatur Curio lingua:*

Vox quondam populi libertatemque tueri
Aufus, et armatos plebi mifcere potentes.

1 *Summa tribunorum pl. contentione*, &c.] Plutarchus in Pompeio, item in Cæfare fcripfit M. Antonium tribunitia poteftate ufum, invito fenatu, Cæfaris litteras ad populum recitaffe. Hæc autem tribunorum erat poteftas, ut fenatufconfultis plebifcitifque, fi minus grata ipfis effent, intercederent.

2 *Ut vero ex litteris*, &c.] Non potuit quidem impetrare ut res fenatui proponeretur deliberanda propter pertinax fcilicet Cæfaris odium. Hæc tamen litterarum recitatio fecit, ut inftituente Pompeio delectum, alii non refponderent ad nomina, alii fegniter et male animati convenirent, alii pacem clamitarent. Itaque Cicero lib. i. ep. 13. ad Attic. *Delectus adhuc quidem invitorum eft et à pugnando abhorrentium.*

3 *Referunt consules de rep.*] L. Lentulus et C. Marcellus, qui illo anno erant confules, iidemque Cæfaris inimici. Id autem confules, anni principio facere folebant, finite aut infinite; finite, id eft, de fingulis rebus, fi quæ graviores incidiffent; infinitè verò, fi nullum effet negotium in præfentiâ, quod fingularem patrum curam defideraret, tefte Varrone apud Gellium, lib. xiv. cap. 7.

4 *In civitate.*] Abundat, et ex interpretamento aliquo in textum irrepfit.

5 *L. Lentulus.*] Is porrò Lentulus eft de quo in fuperiore libro fcriptum eft, L. Lentulum et C. Marcellum confules creatos, qui omnem honorem et dignitatem Cæfaris expoliaverunt, qui tandem in Egypto poft Pompeii mortem, à Ptolemæo comprehenfus, in cuftodiâ necatus eft.

6 *Scipio.*] Fuit ille Metellus Scipio, qui triennio ante conful cum Pompeio fuerat, cujus filiam lectiffimam fæminam Corneliam morte P. Craffi viduam, uxorem duxerat Pompeius, qui adeo gener ejus exinde fuit. Ideo Metellus eft dictus, quia à Metello Pio, qui Sertorium in Hifpaniâ debellaverat, adoptatus fuerat, cum effet ipfe filius Scipionis Nafica. Is tandem dux partium factus poft Pompeii exitum, bellum cum Cæfare in Africâ renovavit, quo et periit, cujus mortem vide in libro fequente de bello Africano.

II. Haec Scipionis oratio, [1] quòd senatus in urbe habebatur, Pompeiusque aderat, ex ipsius ore Pompeii mitti videbatur. Dixerat aliquis leniorem sententiam: ut primo [2] M Marcellus, ingressus in eam orationem, [3] non oportere antè de rep. ad senatum referri, quàm delectus totâ Italiâ habiti, et exercitus conscripti essent; quo praesidio tutò, et liberè senatus, quae vellet, decernere auderet; ut [4] M. Calidius, [5] qui censebat, ut Pompeius in suas provincias proficisceretur, ne qua esset armorum caussa: timere Caesarem, abreptis ab eo II legionibus, ne ad ejus periculum reservare et retinere eas ad urbem Pompeius videretur: [6] ut M. Rufus, qui sententiam Calidii, paucis ferè mutatis verbis, sequebatur. Ii omnes convitio L. Lentuli consulis correpti exagitabantur. Lentulus sententiam Calidii, pronunciaturum se omnino negavit: Marcellus perterritus convitiis, à suâ sententiâ discessit. Sic vocibus consulis, [7] terrore praesentis exercitûs, minis amicorum Pompeii, plerique compulsi, inviti et coacti, Scipionis sententiam sequuntur: Uti ante certam diem Caesar exercitum

NOTÆ.

1 *Quòd ſenatus in urbe habebatur.*] Pompeio non licebat, ut Hiſpaniæ proconſuli, in urbe adeſſe. Sed ei, ſi neceſſe fuiſſet in ſuburbio in æde Bellonæ ſenatus eſſet datus. Sed quia ſenatus in urbe habebatur, Pompeiuſque, ut ſcripſit Dio. lib. xli. in ſuburbio cum exercitu erat, quicquid ejus ſocer Scipio dixerat, ab ipſo Pompeio, qui in proximo ſuburbio erat, profectum exiſtimabatur. *Pompeius ad urbem erat* legitur à Mureto. Sic enim in veteri lib. ſcribebatur, *AV.* pro *ad urbem.* Unde factum A V erat quod oberat poſtea ſcriptum. Pedianus lib. ii. in Verrem: *Ad urbem in urbe eſſe dici ſolet de iis, qui cum poteſtate proconſulari aut nuper è provincia reverſi eſſent, aut nondum in provinciam profecti eſſent.*

2 *M. Marcellus*] Is eſt, cui poſt Pompeianum bellum Cæſar ignovit, quem Romam redeuntem, P. Magius Chilo pugione interfecit, vetus Pompeianæ militiæ comes apud Piræea portum Athenienſium; quod ſibi quidam amicorum fuiſſet prælatus. Erat hic Marcellus de veteri Claudiorum gente.

3 *Non oportere ante de rep. ad ſenatum referri,* &c.] Plena prudentiæ ſententia, cui ſi eſſet obtemperatum, non cecidiſſet reſpublica; nec enim quicquam magis nocuit, quam quod imperatus Pompeius bellum indixit Cæſari, ut cognitum eſt. In eamque rem optime Cicero lib. vii. epiſt. 13. ad Attic. *Commiſſum quidem à nobis certe est ſive à noſtro duce, ut è portu ſine gubernaculis egreſſi, tempeſtati nos tradcremus.*

4 *M. Calidius,*] Hujus mentionem facit Cicero in Bruto, ut præſtantis Oratoris, et eodem teste, obiit in illo bello civili. Is forte eſt qui à Dione M. Cæcilius dicitur, dum ſic ſcribit lib. xli. Τὸν μὲν Πομπήϊον οὐδεὶς ἀπαλλαγῆναι ἐκ τῶν ὅπλων ἐψηφίσατο (ἐν γὰρ τῷ προαστείῳ τὰς δυνάμεις εἶχε) τὸν δὲ δὴ Καίσαρα πάντες πλὴν Μάρκου τε τινὸς Καικιλίου καὶ τοῦ Κουρίωνος τοῦ τά γράμματα αὐτοῦ κομίσαντος. *Pompeium nemo cenſuit ab armis diſcedere (nam in ſuburbio copias habebat) Cæſarem autem omnes præter Marcum quendam Cæcilium et Curionem, eum qui litteras ejus attulerat.* Sed corruptus locus eſt, ut pro Cæcilio Calidius reponendus.

5 *Qui cenſebat.*] Hæc vox ab iis qui ſententiam dicebant, uſurpabatur, qui verò ſententiam alterius ſequebantur, dicebant, *aſſentior.* Pompeii porro provinciæ erant Africa et Hiſpania.

6 *Ut M. Rufus.*] Is eſt M. Cœlius Rufus cujus ſunt epiſt. in viii. lib. Ciceronianorum ad familiares, ex quibus quidem ſtuduiſſe partibus Cæſaris cognoſcitur, pro quo etiam Cicero inſignem orationem habuit quæ extat, de quo multa ſcribit in Bruto, cujus denique extrema geſta fatumque legitur in lib. iii. hujus commentarii de bello civili.

7 *Terrore præſentis exercitus.*] Dio et Appianus exercitum quendam Pompeii in ſuburbio ſenatui aſſediſſe narrant.

dimittat. [1] Si non faciat, eum adversùs remp. facturum videri. [2] Intercedit [3] M. Antonius, [4] Q. Cassius, tribuni plebis. Refertur confestim de intercessione tribunorum: Dicuntur sententiae graves: ut quisque acerbissimè crudelissimèque dixit, ita quàm maximè ab inimicis Caesaris collaudatur.

III. Misso ad vesperum senatu; omnes, qui sunt ejus ordinis, à Pompeio evocantur. Laudat promptos, atque in posterum confirmat; segniores castigat, atque incitat. Multi undique ex veteribus Pompeii exercitibus, spe praemiorum atque ordinum, evocantur. Multi ex duabus legionibus, quae sunt traditae à Caesare, accersuntur. [5] Completur urbs. Ad jus comitiorum tribunos pl. C. Curio evocat. Omnes amici consulum, necessarii Pompeii, atque eorum qui veteres inimicitias cum Caesare gerebant, coguntur in senatum; quorum vocibus et concursu terrentur infirmiores, dubii confirmantur, plerisque verò liberè potestas decernendi eripitur. Pollicetur [6] L. Piso Censor, sese iturum ad Caesarem; item [7] L. Roscius praetor, qui de his rebus eum doceant. Sex dies ad eam rem conficien-

NOTÆ.

1 *Si non faciat, cum adverſus remp. facturum videri.*] Eſſe declarandum reip. hoſtem. Atque hæc quidem fuit vis allata ſenatui à Scipione. Poſtulante enim M. Antonio ut diſceſſio fieret, an deponendæ ambobus eſſent provinciæ, in eam omnes pariter conſeſſerant. Autor Plutarchus. Eſt autem obſervanda hæc Romanorum vox conſideratiſſima ſimul et modeſtiſſima loquendi formula, adverſus remp. facturum videri, qua utebantur in iis etiam quæ comperta habebant. Unde et ſenatuſconſulta à Græcis dicuntur, δόγματα ἀπὸ τοῦ δοκεῖν, quod eſt videri. Quare ipſi teſtes adhibebant verbum *arbitror;* teſte Cicerone Acad. quæſt. lib. iv.

2 *Intercedit.*] Tribuni plebis habebant jus interceſſionis, ſi qua lex vel ſenatuſconſultum ferretur, quod adverſus plebem eſſe videretur, quæ interceſſio erat inviolabilis, *voye d' oppoſition*, tantæque autoritatis, ut docet Feneſtella, ut quicquid ſenatus ſtatuiſſet, ita demum firmum haberetur, ſi tribuni approbaſſent.

3 *M. Antonius.*] Is eſt de quo in omnibus his libris tamen crebra fit mentio, in quem Cicero Philippicas orationes ſcripſit et pronuntiavit, qui tandem remp. invaſit, et Romanum imperium cum Cæſare Octaviano partitus, ad extremum ab eo victus navali prœlio apud Actium, necem ſibi conſcivit.

4 *Q. Caſſius.*] Caſſiorum gens, quam in familias duas diviſa eſſet, quarum altera Patricia Viteilianorum erat, altera Plebeia Longinorum. Ipſe Q. Caſſius de Longinorum familia erat, cujus mortem lege in libris ſequentibus.

5 *Completur urbs.*] Evocatis ſcilicet et iis quos accerſebat Pompeius, deinde puncto inſerto. Ad jus comitiorum tribunos pl. Curio evocat. Sed hæc verba, *Completur urbs*, mihi videntur è margine in textum tranſiſſe. Ad jus autem comitiorum evocat defendendum, quibus comitiis populos juſſerat, ut abſentis Cæſaris ratio haberetur, et in quinquennium illi imperium prorogaretur.

6 *L. Piſo Cenſor.*] L. Piſo ſocer erat Cæſaris conſulque octo ante annos fuerat cum A. Gabinio, ut teſtatur ipſe Cæſar lib. 1. de bello Gallico. Tunc autem cenſuram cum Appio Claudio gerebat. Cenſores enim erant duo ſic dicti, quod cenſui præeſſent, hoc eſt, æſtimationi bonorum civium Romanorum, reip. Romanæ propter diſciplinæ obſervationem perutiles, cujus diſciplinæ ſevera cura illis inter cætera, ſine provocatione erat tradita. Ille ipſe eſt contra quem extat Ciceronis oratio, cujus filiam uxorem duxerat Cæſar ſucceſſuri ſibi in conſulatu, ut conſulis opibus convaleſceret. Videtur tamen Cæſaris generi conſilium improbaſſe, ad quem ſe iturum pollicebatur. Sic enim de ipſo Cicero lib. ad Attic. epiſt. 15. *Amo Piſonem, cujus judicium de genero ſuſpicor viſum iri grave.*

7 *L. Roſcius prætor.*] Roſcius is eſt qui anno V. C. DCLXXXVII tribunus plebis fuit, ſeque Aulo Gabinio oppoſuit. Is

dam spatii postulant. Dicuntur etiam à nonnullis sententiæ, ut legati ad Cæsarem mittantur, qui voluntatem senatus ei proponant. Omnibus his resistitur, omnibusque oratio consulis, Scipionis, Catonis opponitur.

IV. [1] Catonem veteres inimicitiæ Cæsaris incitant, et dolor repulsæ. Lentulus æris alieni magnitudine, et spe exercitûs ac provinciarum, et [2] regum appellandorum largitionibus movetur: [3] seque alterum fore Syllam, inter suos gloriatur, ad quem summa imperii redeat. Scipionem eadem spes provinciæ atque exercituum impellit, quos se pro [4] necessitudine partiturum cum Pompeio arbitratur: simul [5] judiciorum metus, adulatio atque ostentatio suî potentium, qui in republ. judiciisque tum plurimum pollebant. Ipse Pompeius ab inimicis Cæsaris incitatus, et quòd [6] neminem dignitate secum exæquari

NOTÆ.

dem esse videtur, qui lib. v. de bello Gallico Cæsaris erat legatus, qui in Essuos tertiam legionem ducendam dedit. Ejus etiam nominis, sed alius ab hoc fuit insignis Comœdus, pro quo extat Ciceronis oratio, quem Valer. Maximus appellat, *Scenicæ industriæ notissimum exemplum, qui nullum unquam spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est.*

1 *Catonem veteres inimicitiæ Cæsaris incitant.*] Erant illæ quidem gravissimæ veteres inimicitiæ, quas Cato jam cum Cæsare exercuerat, et quas ipse Cæsar cum illo gesserat: quarum quidem initium fuisse videtur, cum in senatu de Lentuli et Cethegi sociorum Catilinæ supplicio deliberaretur, mitioreque de illis à Cæsare dicta sententia, Cato graviorem ipse dixit, Cæsaremque verbis in suspicionem vocavit, quasi conjurationis illius clam particeps fuisset. Auctæ sunt inimicitiæ, cum à Cæsare consule Cato ductus est in carcerem, sed non perductus, et deinde à Trebonio Cæsaris amico. Gravem item repulsam, sed æquissimo animo et negligenter tulit, cum Cæsaris Pompeiique opera consulatu dejectus est, ut refert Dio: item cum suffragiis pecunia corruptis, prætor est creatus pro ipso Vatinius. Sed solo reipubl. amore actum est quicquid à Catone actum est, quo sanctior nullus in rep. fuit. Qua de caussa etiam nec sine jurejurando denunciarat delaturum se nomen Cæsaris, simul ac primum exercitum dimisisset, autore Suet.

2 *Regum appellandorum largitionibus movetur.*] Ut Cæsare consule Ariovistus Germanorum rex, amicus pop. Rom. appellatus fuerat. Magnam enim vim pecuniæ illi reges civibus Romanis primariis dabant, ut amicitiam populi Rom. adipiscerentur.

3 *Seque alterum fore Syllam.*] L. Cornelius Sylla Dictator rerum potitus fuerat Romæ, Cæsare adhuc adolescente. Plutarchus in vita Syllæ, et Appianus lib ii. de bellis civilibus narrant juxta versus Sibyllinos magnâ religione Romæ servatos, tres rerum dominos fore de gente Cornelia, primum fuisse Cinnam, secundum Syllam, tertium se fore sperabat, qui à Cicerone in carcere interfectus est, conjurationis Catilinariæ convictus: quo mortuo is se eum fore dicebat.

4 *Necessitudine partiturum.*] Huc pertinet quod lib. iii. de bello civili scriptum est, (Pompeius) *suum cum Scipione honorem partitur, classicumque apud eum cani, et alterum illi jubet prætorium tendi.*

5 *Judiciorum metus.*] Scipioni ambitus criminis dies dicta fuerat à Memmio lege Pompeia de ambitu damnato, quia lex indicanti alterum impunitatem concesserat. Testis Appianus lib. ii. de bello civili, nec solus ipse metuebat judicia, sed et Cæsar, quem Cato significabat se accusaturum simul ubi exercitum dimisisset. Unde coactus fuisset adulari Scipioni et potentibus aliis qui suam ei potentiam et operam ostentassent feroces et jactabundi. Sic Cicero in Pisonem dicit se vidisse illum *judiciorum metu horrentem, trementem, adulantem omnibus.*

6 *Neminem dignitate secum exæquari volebat.*] Lucanus lib. i.

> *Nec quemquam jam ferre potest, Cæsarve priorem*
> *Pompeiusve parem.*——

volebat, totum se ab ejus amicitiâ averterat, et cum communibus inimicis in gratiam redierat; quorum ipse maximam partem [1] illo affinitatis tempore adjunxerat Cæsari. [2] Simul infamiâ 11 legionum permotus, quas ab itinere Asiæ Syriæque ad suam potentiam dominatumque converterat, rem ad arma deduci studebat.

V. His de caussis aguntur omnia ruptim, atque turbatè; [3] neque docendi Cæsaris propinquis ejus spatium datur; [4] nec tribunis pl. sui periculi deprecandi, [5] neque etiam extremi juris intercessione retinendi, quod L. Sylla reliquerat, facultas tribuitur; [6] sed de suâ salute die vii cogitare coguntur, quod illi turbulentissimi superioribus temporibus trib. pl. octavo denique mense suarum actionum respicere ac timere consueverant. [7] Decurritur ad illud extremum atque ultimum SC. quo, nisi penè in ipso urbis incendio, atque desperatione omnium salutis, [8] latorum audaciâ, nunquam antè discessum est; [9] dent operam consules, prætores, trib. pl. quique pro consulibus sunt ad urbem,

NOTÆ.

De Pompeio sic Vell. habet lib. ii. *Pompeius in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat, neque eo viro quicquam aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupiit.*

1 *Illo affinitatis tempore*, &c.] Affines enim fuerant Cæsar et Pompeius. Sed affinitas erat dirempta nupera Juliæ morte Cæsaris filiæ, quam Pompeius in suo matrimonio habebat.

2 *Simul infamia 11 legionum permotus.*] Incitatus mala fama, quam collegerat abductis legionibus ab expeditione Parthorum ad quos per Asiam et Syriam erat profecturi.

3 *Neque docendi Cæsaris.*] Hi erant Roscius et Piso, de quibus supra.

4 *Nec tribunis pl. sui periculi deprecandi,*] Erant ii M. Antonius et Q. Cassius. Tantum quidem fuit periculum, ut Antonius, sumpta servili veste, meritorio latens vehiculo ad Cæsarem evaserit. Testis Plutarchus, in Antonio.

5 *Neque etiam extremi juris*, &c.] L. Sylla cum tribunis jus ferendarum legum ademisset, et ad alios magistratus viam præclusisset, tribunitiam potestatem pene deleverat, jus tamen intercessionis reliquerat. Autores, Livius lib. lxxxix. et Appianus lib. i.

6 *Sed de sua salute die* vii.] Locus obscurus. Tribuni magistratum inibant Nonis Decembribus. Octavo post mense comitia consularia habebantur. Tum novis consulibus designatis, de suis superiorum octo mensium actionibus cogitare consueverant, quomodo nempe actionem insequentis anni effugerent, et an æqui an iniqui sibi futuri consules essent. Hic vero pericula tribunorum non in octavum mensem eruperunt, sed in septimum diem. Fortasse ad pericula Gracchorum alludit, qui non nisi post menses octo perierunt, idque ex historia pendet illius temporis quæ nunc perierit, tunc extabat.

7 *Decurritur ad illud extremum atque ultimum SC.*] Ut in conjuratione Catilinæ, qui urbis incendium meditatus fuerat.

8 *Latorum audacia.*] Ut ostendatur nunquam carere audacia qui talem legem ferunt, et tam cruentum senatusconsultum faciunt.

9 *Dent operam.*] Solennis erat formula illius senatusconsulti, qua et usi fuerant adversus Catilinam. Quanquam enim summa reip. penes consules domi bellique esset, erant tamen quæ nisi senatusconsulto aut plebiscito non audebant attentare; ut cogere exercitum, bellare, coërcere cives et socios, de ærario sumere pecuniam. Quod ex v. Philippica Cic. videtur: *Consulibus totam rempubl. commendandam censeo, iisque permittendum ut rempubl. defendant, provideantque ne quid detrimenti respubl. accipiat.* Idem patet ex Sallustio: *Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque cives, domi militiæque imperium atque judicium summum habere*, &c. Quod ideo fiebat, quia longe melius ab uno aut duobus res geritur quam a multis.

ne quid respubl. detrimenti capiat. [1] Hæc SC. perscribuntur a. d. vii Id. Januarii. [2] Itaque v primis diebus, quibus haberi senatus potuit, quâ ex die consulatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali, [3] et de imperio Cæsaris, et [4] de amplissimis viris tribunis pleb. gravissimè acerbissimèque decernitur. [5] Profugiunt statim ex urbe tribuni pleb. seseque ad Cæsarem conferunt. [6] Is eo tempore erat Ravennæ, exspectabatque [7] suis lenissimis postulatis responsa: [8] si qua hominum æquitate res ad otium deduci posset.

VI. [9] Proximis diebus habetur senatus extra urbem. Pompeius eadem illa, quæ per Scipionem ostenderat, agit; senatûs virtutem con-

NOTÆ.

1 *Haec SC. perscribuntur a. d.* vii. *Id. Januarii.*] Erat septimus dies mensis Januarii. Inter quæ SC. Pompeii milites et copiæ, Cæsari successores decreti sunt, item ut dimitteret exercitum, aut contra remp. fecisse videretur, teste Dione, lib. xli.

2 *Itaque* v *primis diebus.*] Quatuor diebus non quinque, senatus haberi potuit, à Kal. Januariis ad vii Idus. Reliqui tres comitiales sunt, quibus comitialibus non indicebatur senatus lege Pupia, ne senatores à suffragio ferendo avocarentur. Ad comitia enim senatores ire necesse erat, in quibus creabantur magistratus, quo negotio apud Romanos nullum fere erat prius. Consulendi sunt in eam rem fasti Romani. Sed fortasse, ut facilis est in numeris lapsus, ante v erat I. hoc modo iv.

3 *Et de imperio Cæsaris*, &c. *gravissimè acerbissimèque decernitur.*] Veram causam tacet Cæsar, quæ optimum quemque civem, ut Catonem, Ciceronem, imo verò et M. Brutum, *etc.* ad Pompeium patris sui interfectorem appulit, quod scilicet tyrannidem semper Cæsarem affectâsse cognoscerent: Pompeius verò quam ab ea suscipienda alienus esset, documentum dederat maximum, cum mari terraque potentissimus, magna ex captivorum infinita multitudine collecta pecunia, Dynastarum omnium regumque amicitia nixus, populorum quibus imperabat benevolentiam adeptus esset, Italiam occupare, viresque Romanorum ad suas utilitates adjungere posset volentibus omnibus, aut, si qui nollent, resistere non ausis, ipse noluit tamen id facere, sed ubi à bello Mithridatico victor regressus Brundusium appulit, omnes exercitus dimisit, idque sponte sua, neque senatu, neque populo id constituente, metui scilicet occurrens, quem de tota ea potentia sui cives concepissent.

4 *De amplissimis viris tribunis pl.*] Ideo non habebatur tribunitiæ intercessionis ratio quia Philippus unus de tribunis plebis cæterorum rogationibus refragabatur. Quod si vel unus de decem illis tribunis plebis fecisset, impedire poterat omnia quæ collegæ facere contendebant. Nominat autem Cicero alios tribunos plebis Pompeianos C. Cassium, M. Lepidum et L. Torquatum, lib vii. epistolarum ad Atticum epist. 21.

5 *Profugiunt statim ex urbe tribuni pleb.*] Veste servili et rheda meritoria propter periculum. Autor Plutarchus, quo cultu illos exercitui Cæsar ostendit.

6 *Is eo tempore erat Ravennae.*] Urbs Sabinorum, juxta Plinium, in ora maris Adriatici posita. Umbrorum alii esse volunt coloniam olim Piceni caput.

7 *Suis lenissimis postulatis responsa*] Tam æqua plerisque visa sunt, ut discessionem faciente Curione, omnes in eam pedibus iverint. Quid enim æquius, quam ut metus tollendi gratia uterque ab exercitu discederet? Unde, teste Plutarcho, floribus coronis et plausu à populo fuit exceptus simul ac in publicum prodiit. Sed aliter visum Ciceroni, qui lib. xvii. epist. ad famil. epist. 10. sic habet: *Omnino et ipse Caesar amicus noster minaces ad senatum et acerbas literas miserat.* Usque adeo variæ sunt diversorum, prout ipsis varia expediunt, sententiæ.

8 *Si qua hominum aequitate res ad otium.* Otium negotio bellico opponitur: Donatus in Terentium: *Otium pro tranquillitate et quiete, negotium enim sollicitudo est.* Proptereaque otium pro pace sumitur.

9 *Proximis diebus habetur senatus extra urbem*] Quia Pompeio non licebat esse in urbe, propterea quod obtinebat provinciam Hispaniam.

stantiamque collaudat. Copias suas exponit: [1] legiones habere sese paratas x. [2] Præterea cognitum compertumque sibi, alieno esse animo in Cæsarem milites, neque iis posse persuaderi, ut eum defendant, aut sequantur. De reliquis rebus ad senatum refertur, totâ ut Italiâ delectus habeatur; [3] Faustus Sylla pro præt. in [4] Mauritaniam mittatur; [5] pecunia uti ex ærario Pompeio detur. Refertur etiam de rege [6] Jubâ, ut socius sit atque amicus. Marcellus verò passurum se in præsentia negat. De Fausto impedit Philippus trib. pleb. De reliquis rebus SC. perscribuntur. Provinciæ privatis decernuntur; [7] duæ consulares, reliquæ prætoriæ. [8] Scipioni obvenit Syria: L. Domitio Gallia: Philippus et Marcellus privato

NOTÆ.

1. *Legiones habere sese paratas*, x.] Atque hæc sunt fallacia verba, quibus Pompeius in errorem senatores induxit. Bellum enim imparatus capessivit. Habebat autem, si qua numerorum notis fides, xlv cohortes, id est, legiones iv cum media, sed novas omnes præter xiv, quas ex duabus legionibus à Cæsare per fraudem abductis, contraxerat.

2 *Praeterea cognitum compertumque sibi*, &c.] In hoc deceptus Pompeius ab Appio, qui duas legiones à Cæsare ad Pompeium adduxit alios decepit.

3 *Faustus Sylla*] Hic erat filius L. Cornelii Syllæ, generque Pompeii, qui postea in Mauritania captus, jussu Cæsaris, indicta caussa, fuit interfectus, ut legitur in comment. de bel. Afric. Ea de causa Cæsar ad ejus cædem videtur incitatus, quod ipse et Afranius priores rebellârunt; et libertis servisque ejus ferro et igni crudelem in modum enecatis, bestias quoque ad munus populi comparatas, ipse trucidaverat. Proprætorum autem erant quatuor genera. Vel enim erant qui prætura functi, in urbe, sub finem ejus in provincias profecti, iis præerant; vel qui primo in provincias profecti, atque ibi prætura functi, ibidem prorogato imperio, ultra legitimum tempus remanebant; vel qui privati mittebantur in provinciam, non recturi, sed bellum administraturi; vel qui Imperatorum Romanorum tempore ab iis in provincias mittebantur, quas sibi reservabant.

4 *Mauritaniam.*] Mauritania duplex est in Africa, vel Cæsariensis, quæ nunc regnum Tremissenum, vel Tingitana, nunc regnum Maroci. Utramque appellamus Barbariam. Prior mare Mediterraneum, posterior Oceanum attingit.

5 *Pecunia uti ex aerario Pompeio detur.*] Neque enim proferri pecunia ex ærario absque senatûs autoritate poterat.

6 *Juba.*] Juba erat rex Numidiæ, qui postea Curionem vicit, deinde cum Pompeianis reliquiis in Africa ad Thapsum à Cæsare victus, sibi violentas manus attulit.

7 *Duae consulares, reliquae praetoriae*] Consulares provinciæ dicebantur, quæ decerni solebant futuris consulibus, ut finito magistratu in eas irent. Atque eæ erant Asia et Africa. Prætoriæ erant reliquæ, quæ prætura Romana abeuntibus dabantur. Hic autem privatis, et non ex prætura et consulatu dabantur, ut fieri solebat, provinciæ regendæ. Ita Catoni data est Sicilia, Tuberoni Africa, M. Cottæ Sardinia, L. Domitio Gallia cisalpina, Scipioni Syria.

8 *Scipione obvenit Syria.*] Plutarchus scripsit à Pompeio missum esse socerum Scipionem in Syriam, et Cneium filium, qui classem pararent.

9. *Philippus et Marcellus privato consilio prætereuntur.*] Philippus, quia cum Cornelio Lentulo Marcellino fuerat consul anno U. C. DCXCVII secundum Fastos, Marcellus verò cum Paulo consul fuerat, erant eis tradendæ provinciæ consulares, sed ideo prætermittuntur, quia Philippus Atiam Julia sorore Cæsaris natam, et Marcellus Octaviam Atiæ filiam habebant in matrimonio affines Cæsaris. In quibusdam legitur, *Pauli*, triennio toto Marcelli fuerant consules, anno U. C. DCCIII M. Marcellus, anno DCCIV. C. Marcellus, anno DCCV. Hic C. Marcellus, qui Marci frater erat, Caii verò qui anno superiore consul fuerat, patruelis. Priores infensi Cæsari, hic verò amicus.

consilio praetereuntur, [1] neque eorum sortes dejiciuntur. In reliquas provincias praetores mittuntur; [2] neque exspectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum referatur, [3] paludatique, [4] votis nuncupatis, exeant [5] consules. Quod ante id tempus acciderat nunquam. Ex urbe proficiscuntur: [6] lictoresque habent in urbe et Capitolio privati, contra omnia vetustatis exempla. [7] Totâ Italiâ delectus habetur, arma imperantur, [8] pecuniae à municipiis exi-

NOTÆ.

1 *Neque eorum sortes dejiciuntur.*] Sortes dejici dicuntur, quia illi consulares, ut controversiarum tolleretur occasio, aut sortiebantur inter se provincias, aut inter ipsos conveniebat utra utrius esset, quod dicebant comparare provincias, ut ex hoc loco T. Livii cognoscitur: *Principio insequentis anni cum consules novi de provinciis retulissent, primo quoque tempore aut comparare inter eos Italiam et Macedoniam, aut sortiri placuit. Quod si nec sortiri, nec comparare voluissent, populus Rom. suam autoritatem interponebat.*

2 *Neque exspectant,* &c.] Quia populus universus favebat Cæsari, atque adeo totam factionem istam dissipasset. Imperium autem erat jus administrandi, ac suis auspiciis belli gerendi, quod dari solebat lege curiata, quæ comitiis curiatis ferri consueverat: Sic Cicero in orat. de lege agraria: *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Sic Camillus apud Livium in oratione, qua Vejentanam commigrationem dissuadat. *Comitia centuriata, quibus consules tribunosque militum consulari potestate creatis; comitia curiata, quæ militarem rem continent, ubi auspicato, nisi ubi assolet, fieri possunt?* Et Festus ait eum esse cum imperio, cui nominatim est à populo mandatum imperium. Hæc autem vox *Imperium* seorsim usurpata, semper pro imperio bellico sumitur; si enim pro civili, adjungi solet consulare, aut prætoris imperium, aut aliquid simile.

3 *Paludatique.*] Paludati dicuntur vestiti paludamento, quæ militaris vestis erat, qua induti faciebant vota publice Imperatores. Quæ vestis non tantum erat Imperatorum, sed centurionum et militum atque etiam lictorum. Sed imperatorum paludamentum ad prœlium proficiscentium esse solebat album aut purpureum, ut testatur Val. Max. lib. 1. cap. 6.

4 *Votis nuncupatis.*] Nuncupari, suscipi, concipi dicebantur vota ab Imperatoribus, quia ante discessum, sacrificia et vota faciebant, se, vel ludos vel ædes sacras facturos, si res successisset, tuncque, ut ait Macrobius, dicebantur voti rei, et cum res successerat, damnati voti. Ejusmodi voti formulam habemus apud Livium lib. xxxvi. *Si duellum,* &c. *id ex sententia S. P. Q. R. confectum erit, tum tibi Jupiter P. R. ludos magnos dies* x *continuos faciet.* Solennis illius votorum nuncupationis et profectionis illustre habetur exemplum apud T. Livium in bello contra Perseum: *Per eos dies P. Licinius consul votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab urbe est profectus. Semper ea quidem res magna cum dignitate ac majestate geritur. Præcipue convertit oculos, cum ad magnum nobilemque aut virtute aut fortuna hostem euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim non officii modo cura, sed etiam studium spectaculi, ut videant ducem suum, cujus imperio consilioque summam reipubl. tuendam permiserunt.*

5 *Consules. Quod ante id tempus acciderat nunquam.*] Id verum non est. Imo Cicero in epist. sic scribit: *Consulibus more majorum concessum omnes adire provincias.* Itaque in hoc loco, qui haud dubie corruptus est, punctum quod est ante *Consules,* postponam ipsi voci *Consules,* ut sensus sit, consules antequam exissent in provincias, paludati, prætores esse missos in provincias, quod factum erat nunquam, qui prætores etiam ex urbe proficiscuntur, antequam consules profecti sint.

6 *Lictoresque habent in urbe et Capitolio privati.*] Non consularibus aut prætoriis more recepto datæ fuerant provinciæ, sed privatis, qui lictoribus stipati prodierunt è Capitolio.

8 *Totâ Italiâ delectus habetur.*] Formam delectus habendi lege apud Polybium, lib. vi. quæ tamen non fuit semper eadem.

8 *Pecuniæ à municipiis exiguntur.*] A. Gellius lib. xvi. cap. 13. sic explicat qui sint municipes: *Municipes sunt cives Romani ex*

guntur, [1] et è fanis tolluntur: omnia divina et humana jura permiscentur.

VII. Quibus rebus cognitis, [2] Caesar apud milites concionatur: omnium temporum injurias inimicorum in se commemorat, a quibus diductum et depravatum Pompeium queritur, invidiâ atque obtrectatione laudis suae, cujus ipse honori et dignitati semper faverit, adjutorque fuerit. Novum in rep. introductum exemplum queritur, ut tribunitia intercessio [3] armis notaretur atque opprimeretur, quae superioribus annis esset restituta. Syllam, nudatâ omnibus rebus tribunitiâ potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse: [4] Pompeium, qui amissam restituisse videatur, dona etiam, quae antè habuerat, ademisse: quotiescumque sit decretum, Darent magistratus operam, ne quid respublica detrimenti caperet; (quâ voce, et quo Senatusconsulto pop. R. ad arma sit vocatus;) [5] factum in perniciosis

NOTÆ.

municipiis suo jure et suis legibus utentes, muneribus tamen cum pop. Rom. honorarii participes, à quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla pop. Rom. lege astricti. Primos autem municipes sine suffragii jure, Cærites factos esse accepimus.

1 *Et è fanis tolluntur.*] Fecit religionis amor, ut non tantum pecudes Deo offerentur, sed et quæ hominum judicio pretiosissima putantur, inter quæ primum est aurum. Quod passim in templis ea causa consecratum vel commendatum condebatur, quod qui violavit, videtur pœnis se magnis fecisse obnoxium, ut Cambyses, qui spoliato Jovis Ammonis templo, exercitum Libycis obrutum arenis rediens amisit. Ipse vix casu eo vitato, in Ægyptum reversus, semetipsum imprudens occidit; ut Brennus Gallorum rex, qui, expilato templo Delphico, sacrilegum exercitum ibidem fulminibus obtritum amisit, seipsumque, eo casu amens, confodit; ut Q. Cæpio, quem Tolosa expugnata, templisque ibidem auro spoliatis, tantæ calamitates incesserunt, et omnes auri illius participes, ut proverbio locum dederit, *aurum Tolosanum*, de re noxia: tantaque reverentia religionis apud Romanos, ut Q. Pleminii legati Scipionis in Thesauro Proserpinæ Locrensis spoliando, sceleratam avaritiam hac animadversione vindicaverit: Eum enim vinctum Romam protrahi jusserunt, cumque is ante causæ dictionem in carcere deterrimo genere morbi consumptus esset, pecuniam Dea senatus imperio, et quidem summam duplicando recuperavit, teste Val. Max. lib. I. cap. II. Atque hæc quidem primis temporibus. Hic enim neglecta est religio, ipseque Cæsar, qui Pompeianorum factum vituperat, in Gallia, teste Suetonio, fana templaque Deûm donis referta expilavit, in primoque consulatu tria millia pondo auri furatus è Capitolio, tantundem inaurati æris reposuit.

2 *Cæsar apud milites concionatur.*] Quod, teste Suetonio, fecit, flens et veste a pectore discissa.

3 *Armis notaretur.*] Ut nota inuratur per vim juri intercedendi, quod habebant tribuni.

4 *Pompeium qui amissam restituisse videatur.*] Plutarchus testator in Pompeio, eum, reddito plebi tribunatu, x anno postquam fuerat à Sylla infirmatus, magnam apud populum autoritatem collegisse.

5 *Factum in perniciosis legibus.*] Quales fuerunt multæ, prima quidem Cassii, qui, quòd hac arte regnum affectaret, interfectus est. Erat hæc agraria, seu de agris dividendis. Anno vero ccclxxxv Cassianam legem, sed alio modo rogavit Licinius trib. pl. nempe ut nemini liceret plus D jugeribus possidere, quicquid superesset divideretur non habentibus, ut à Lycurgo factum fuerat. Verum ea causa decem millibus æris damnatus est, quod emancipâsset filium, ut millia posset possidere. Eam legem cum moderatione quadam iterum proposuit Tib. Gracchus. De iis enim quæ supererant ccl. voluit dari liberis, quicquid verò superesset dari non habentibus. Sed Tiberius Gracchus item occisus est. Caius frater tribunus plebis de tri-

legibus, [1] in vi tribunitiâ, in secessione populi, templis locisque editioribus occupatis (atque haec superioris aetatis exempla expiata [2] Saturnini atque Gracchorum casibus docet :) [3] quarum rerum illo tempore nihil factum, ne cogitatum quidem : nulla lex promulgata, non cum populo agi cœptum, nulla secessio facta. Hortatur, cujus Imperatoris ductu ix annis remp. felicissimè gesserint, plurimaque prœlia secunda fecerint, omnem Galliam Germaniamque pacaverint, ut ejus existimationem dignitatemque ab inimicis defendant. Conclamant legionis xiii, quae aderat, milites, ([4] hanc enim initio tumultûs evocaverat : reliquae nondum convenerant) sese paratos esse Imperatoris sui tribunorumque pleb. injurias defendere.

NOTÆ.

tico vili pretio popul. Rom. dividendo, de agris dividendis desertarum urbium populo, qui eo mittebatur, legem promulgans, de vestiendis militibus sumptu publico, præter stipendium, de jure suffragii in eligendis magistratibus dando Italis omnibus, item occisus est. Tandem L. Apuleius Saturninus trib. pleb. Mario tertium consule anno urbis conditæ DCL Gracchanas leges renovare, ad eas sacramento senatum adigere conatus est, et ab eo in Capitolio oppressus fuit, cum prætore Glaucia, et Saufeio quæstore. Nonnihil simile tentatum est à P. Clodio, sed morte præventus est. Hæc omnia plebis captandæ gratia facta sunt. Quin et Cæsar, teste Suetonio: *Campum stellatum majoribus consecratum, agrumque campanum ad subsidia Reipublicæ vectigalem redditum divisit extra sortem, ac* XX *millibus civium quibus terni pluresque liberi essent.*

1 *In vi tribunitia, in secessione populi.*] Cujus passim sunt exempla apud T. Livium. Bis autem omnino secessit populus à senatoribus, primum ann. U. C. cclix. in sacrum montem, ut se à senatorum injurias vindicaret, nec prius inde potuit revocari, quam debitorum levatio, nexorum solutio et tribunatus pl. ad sui defensionem oblatus est. Secundo, cum esset Appii Claudii decemviri stupro permota, itaque coëgit omnes decemviros se magistratu abdicare.

4 *Saturnini.*] Præponit Cæsar Saturninum Gracchis, qui tamen ipsum præcesserunt. Tiberius Gracchus triumvir agris plebi dividendis à concitato per Scipionem Nasicam populo, interfectus est. Ejus frater Caius ob eandem causam eodem casu per L. Opimium fuit extinctus. Saturninus vero tribunus pl. cum Gracchorum leges assereret, compulsus in Capitolium et obsessus, atque inde in curiam receptus, à populo saxis fustibusque est occisus.

3 *Quarum rerum illo tempore,* &c.] Vel subaudiendum *facturum*, aliter enim scribendum fuit, *hoc tempore*, cum de suo Cæsar intelligat : vel dicendum, narrari quod jam est gestum.

4 *Hanc enim initio tumultus evocaverat.*] Non majorem, Plutarcho et Appiano autoribus, tunc manum militarem habebat in Italia, quam v millia peditum, et ccc equites aliæ copiæ trans Alpes relictæ. Hinc scire licet legiones Cæsaris tempore fuisse v millium peditum, et ccc equitum. Habuit enim unam duntaxat legionem, quæ transierat per Alpes Graias, ut testatur Petronius Arbiter.

——— *exuit omnes.*
Quippe moras Cæsar, vindictæque Actus amore
Galli a projecit, civilia sustulit arma
Alpibus aëriis. ubi Graio numine pulsæ
Descendunt rupes, et se patiuntur adiri.

Et evocaverat ut lib. viii. belli Gallici legitur, quasi quæ præsidia tueretur, ex quibus xv legio deducebatur ad Parthos profectura. Quis porro fuerit tumultus, satis indicat Cicero Philippica viii. *Quid est enim tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? Unde etiam nomen ductum est tumultus. Itaque majores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant. Gravius autem tumultum esse quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello Gallico vocationes valent, tumultum non valent.* Idem fere habet Quintilianus lib. vii. cap. 4. Tunc omnia tumultuarie administrabantur. Servius ad hunc locum Virgil. viii. Æneid.

VIII. [1] Cognitâ militum voluntate, Ariminum cum eâ legione proficiscitur, ibique tribunos pleb. qui ad eum confugerant, convenit: reliquas legiones ex hibernis evocat, et subsequi jubet. Eò [2] L. Caesar adolescens venit, cujus pater Caesaris erat legatus. Is, reliquo sermone confecto, cujus rei caussâ venerat, habere se à Pompeio ad eum privati officii mandata demonstrat: velle Pompeium se Caesari purgatum, ne ea, quæ reipub. caussâ egerit, in suam contumeliam: vertat semper se reip. commoda privatis necessitatibus habuisse potiora: Caesarem quoque pro suâ dignitate debere et studium et iracundiam suam reip. dimittere, neque adeò graviter irasci inimicis, ne, quum illis nocere se speret, reip. noceat. Pauca ejusdem generis addit, cum excusatione Pompeii conjuncta. Eadem ferè, atque eisdem de rebus praetor Roscius agit cum Caesare sibique Pompeium commemorâsse demonstrat.

IX. Quae res etsi nihil ad levandas injurias pertinere videbantur: tamen idoneos nactus homines, per quos ea, quae vellet, ad eum perferrentur, petit ab utroque, quoniam Pompeii mandata ad se detulerint, ne graventur sua quoque ad eum postulata deferre: si parvo labore magnas controversias tollere, atque omnem Italiam metu liberare possent. Sibi semper reip. primam fuisse dignitatem, vitâque potiorem; [3] doluisse se, quòd populi Rom. beneficium sibi per contu-

NOTÆ.

——— simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium———

Tria militiæ genera fuerunt; sacramentum, quæ legitima erat militia: quum singuli milites jurabant: tumultus, bellum Italicum vel Gallicum, in quo eâ periculi vicinitate erat timor multus, &c.

1 *Cognita militum voluntate, Ariminum cum ea legione proficiscitur.*] Celans omnes suum consilium, cum gladiatores toto die exerceri vidisset, seque è cœna quasi adversæ valetudini caussa proripuisset, jam provecta nocte, cumque in itinere ad Rubiconem amnem pervenisset, qui terminus erat suæ provinciæ, paullum substitit. deinde illam notam omnibus vocem proferens: *Jacta sit alea.* flumen superavit. Quo in facto senatus deceptus est, arbitratus ipsum cum tantulis copiis tantam rem non aggressurum, sed Gallicum exercitum expectaturum. Quare multa confidenter in Cæsarem statuerat. Sed in celeritate Cæsar omnia posita ratus, omnes fefellit, et prima luce Ariminum extra provinciam suam occupavit. Quod sic scribit Lucanus lib. vi.

Vicinumque minax invadit Ariminum.

Est Flaminiæ oppidum, quod Umbrorum colonia primum inquilinos Romanos accepit: deinde celebre habuit et famosum istud Concilium, quo fides Catholicorum fraude Arianorum fuit elusa. Tandem ann. MDXV Ludovicus xii. Galliarum rex, Venetos cum prœlio superasset, id Romano Pontifici restituit. Itaque nunc est ditionis Pontificiæ.

2 *L. Cæsar adolescens.*] Hunc Cicero lib. vii. epist. ad Atticum, non hominem, sed scopas dissolutas appellat, id est, levem, minime gravem, nec sibi constantem, ubi sic Cæsaris factum interpretatur, quasi id ipsum videatur irridendi caussa fecisse, qui tantis de rebus huic mandata dederit. Quia vero Cæsares plures commemorantur, de illis nonnihil dicere operæ pretium est. Patritii erant majorum gentium ab Iulo Æneæ filio oriundi. Hos Tullius Hostilius ex Alba, quam diruit, Romam transportavit. Sero ad magistratus emerserunt, nempe anno ab urbe condita uno et ccc, Cn. Julio decemviro lecto legibus scribendis. Gens illa in aliquot familias divisa Cæsarum, Mentonum et Libonum, quorum omnium fuerunt consules. Sed clarissima fuit Cæsarum familia.

3 *Doluisse se, quod populi Rom. beneficium.*] Hoc fuerat populi beneficium, ut absenti, et quandocunque imperii templis expleri cœpisset

meliam ab inimicis extorqueretur, ereptoque semestri imperio, in urbem retraheretur, [1] cujus absentis rationem haberi proximis comitiis populus jussisset; tamen hanc honoris jacturam sui, reip. caussâ, æquo animo tulisse. Quum litteras ad senatum miserit, ut omnes ab exercitibus discederent, ne id quidem impetravisse. Totâ Italiâ delectus haberi, [2] retineri legiones II, quæ ab se simulatione Parthici belli sint abductæ: civitatem esse in armis. Quònam hæc omnia, nisi ad suam perniciem, pertinere? Sed tamen ad omnia se descendere paratum, atque omnia pati reip. caussâ. [3] Proficiscatur Pompeius in suas provincias; ipsi exercitus dimittant: discedant in Italiâ omnes ab armis: metus è civitate tollatur; libera comitia, atque omnis resp. senatui populoque R. permittatur. Hæc quò faciliùs, certisque conditionibus fiant, et jurejurando sanciantur, aut ipse propiùs accedat, aut se patiatur accedere. Fore, uti per colloquia omnes controversiæ componantur.

X. Acceptis mandatis, Roscius cum L. Cæsare [4] Capuam pervenit, ibique consules Pompeiumque invenit. Postulata Cæsaris renuntiat. [5] Illi re deliberatâ respondent, scriptaque ad eum mandata per

NOTÆ.

petitio secundi consulatus daretur, ne ea causa maturius et imperfecto bello decederet. Quod plebiscitum postea Pompeius imprudens sustulit, lata lege de jure magistratuum, qua à petitione honorum absentes summovebat, ne Cæsare quidem socero suo per oblivionem excepto, qua lege fretus consul Marcellus, omnia Cæsari illa ornamenta, nequicquam refragantibus tribunis plebis, plerisque eripuit.

1 *Cujus absentis rationem, &c.*] Tanti hoc fecerat, ut obligaret annuos magistratus et è competitoribus non alios adjuvaret, aut ad honorem pateretur pervenire, quam qui sibi pepigissent propugnaturos absentiam suam.

2 *Retineri legiones* II.] Cicero lib. vii. ad Atticum ep. II. *Spes omnis in duabus invidiose retentis pene alienis legionibus.*

3 *Proficiscatur Pompeius in suas provincias.*] Cum inter Crassum et Pompeium reconciliata pace per Cæsarem, ipsi inter se maximas provincias partiti fuerant, Cæsar quidem duas Gallias cum Illyrico, Crassus Syriam et bellum Parthicum, Pompeius utramque Hispaniam et Africam sibi sumpserant. Sed iverant et Crassus et Cæsar in suas provincias, Pompeius ad urbem erat, hasque provincias per legatos suos administrabat, quod terribile videbatur Cæsari, si Pompeius et maximas provincias absens teneret, et Italiam ipsam Romamque præsenti imperio regeret.

4 *Capuam.*] Campaniæ metropolis est Capua in Italia, quam Florus caput urbium nominat. Strabo vero juxta etymologiam nominis dictam contendit. Eo Cæsar primum coloniam deduxit, anno ab urbe condita DCXCV. Ejus ruinæ, quam olim magna fuerit, indicant. Fuit urbs deliciis omnibus affluens, quibus, cum ibi plusculum consedisset, fractus est Hannibal atque ejus exercitus. Non ibidem est, ubi erat ante, sed duobus infra millibus passuum ad Vulturnum amnem in regno Neapolitano. De illa Suetonius lib. i. cap. 8c. *Paucos ante menses* (quam occideretur Cæsar) *cum in colonia Capua deducti lege Julia coloni, ad extruendas villas sepulchra vetustissima disjicerent, ideoque eo studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuæ sepultus, inventa est, conscripta litteris verbisque Græcis, hæc sententia: Quandoque ossa Capyis detecta essent, fore ut Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur: cujus rei, ne quis fabulosam aut commentitiam putet, autor est Cornelius Balbus familiarissimus Cæsaris.*

5 *Illi re deliberatas respondent.*] Si utrinque præstituta dies esset, facta pax esset. Sed dum quisque sibi nimium, alteri parum cavet, res est infecta. Tunc Cicero ad Atticum scripsit, epist. 14. lib. vii. *Spero etiam in præsentia pacem nos habere. Nam et illum furoris, et hunc nostrum copiarum suppænitet.*

eos remittunt: quorum hæc erat summa: Cæsar in Galliam reverteretur, Arimino excederet, exercitus dimitteret. Quæ si fecisset, Pompeium in Hispanias iturum. Interea, quoad fides esset data, Cæsarem facturum quæ polliceretur, non intermissuros consules Pompeiumque delectus.

XI. Erat iniqua conditio, postulare, ut Cæsar Arimino excederet, atque in provinciam reverteretur, [1] ipsum et provincias et legiones alienas tenere: exercitum Cæsaris velle dimitti; delectus habere: polliceri, se in provinciam iturum; neque ante quem diem iturus sit, definire; ut si, [2] peracto Cæsaris consulatu, Pompeius profectus non esset, nullâ tamen mendacii religione obstrictus videretur. Tempus verò colloquio non dare, neque accessurum polliceri, magnam pacis desperationem afferebat. Itaque ab Arimino M. Antonium cum cohortibus v [3] Arretium mittit: Ipse Arimini cum II legionibus subsistit, ibique delectum habere instituit. [4] Pisaurum, [5] Fanum, [6] Anconam singulis cohortibus occupat.

NOTÆ.

1 *Ipſum et provincias et legiones alienas tenere.*] Tradiderat quidem Cæſar legiones duas, primam et xv, ſed unam tantum tenebat Pompeius alienam nempe xv. Nam prima erat Pompeiana, à Pompeio tempore amicitiæ ad Cæſarem in ſubſidium belli Gallici miſſa, cum ipſe in Hiſpania et Africa, ſuis pacatis provinciis, non indigeret; quam repetiit ex vi ſenatuſconſulti ad bellum Parthicum mittendam. Factum enim erat SC. ut ad bellum Parthicum legio una à Cneio Pompeio, altera à Cæſare mitterentur: ſed remiſſas à Cæſare duas legiones, primam et xv, non ad Parthos miſit, ſed retinuit Pompeius, quod hic Cæſar expoſtulat.

2 *Peracto Cæſaris conſulatu.*] Proconſulatu, ut putat Rhellicanus, qui in hos commentarios annotationes ſcripſit: Jam pridem enim Cæſaris conſulatus erat expletus. Eſt autem hic proconſulatus, cum à conſulatu aliquis provinciam aliquam obtinebat et regebat. Ego vero de II conſulatu, quem petebat, intellexiſſe puto. Cicero enim lib. vii. epiſt. 15. ſic habet: *In diſputationibus noſtris ſumma varietas eſt. Plerique negant Cæſarem in conditione manſurum: poſtulataque hæc ab eo interpoſita eſſe, quo minus, quod opus eſſet ad bellum, à nobis pararetur. Ego autem eum puto facturum, ut præſidia deducat. Vicerit enim, ſi conſul factus erit, et minore ſcelere vicerit, quam quo eſt ingreſſus. Sed accipienda plaga eſt. Sumus enim flagitioſe imparati cum à militibus, tum à pecunia, quam quidem omnem non modo privatam, quæ in urbe eſt, ſed etiam publicam, quae in aerario, illi relinquimus.* Alibi vero, nempe in epiſtola ad ipſum Pompeium, quæ eſt in lib. viii. 15. *Memineram me eſſe unum, qui, ſi offendiſſem ejus animum, cui tum cum jam in armis eſſemus, conſulatus tamen alter, et triumphus ampliſſimus deferebatur, ſubjicerer eiſdem præliis.* Item epiſtola ſequente: *Neque cum poſt conditiones pacis per L. Caeſarem et Fabium allatas, cavi, ne animum ejus offenderem, cui Pompeius jam armatus armato conſulatum deferret.*

3 *Arretium.*] Arretium Tuſciæ urbs Romanorum colonia, hodie *Arezzo*, colonia ab Auguſto facta, ut ait Frontinus: *Colonia Aretino lege Auguſta cenſita.*

4 *Piſaurum.*] Semnonum urbs, Plinio eſt in Umbris. Plutarchus inter prodigia, quæ Actiacam pugnam præceſſerunt, memorat Piſaurum, quo Antonius coloniam miſerat, hiatibus terræ fuiſſe hauſtam. Eſt hodie in ducatu Urbinenſi, *Pezaro.*

5 *Fanum.*] Fanum Fortunæ, Semnonum urbs in Italia. Illius Fani Fortunæ dicuntur adhuc reſtare veſtigia prope Metaurum flumen, hodie *Metro.* Eſt epiſcopatus titulo inſignis prope Piſaurum ad mare Hadriaticum, *Fano.*

6. *Anconam.*] Ancona urbs Piceni, prius Picena dicta, ut habet Cato, Ancon Ptolemæo. Quod nomen habet à cubiti forma, quam ibi oræ flexus efficit; nam ἄγκον Græce *cubitus* eſt. Antiquis illic fuit Gallis et Italis limes, teſte Pomponio Mela. Galli Senones reliqua Alpes verſus tenebant. Hanc Plinius, Strabo-

3

XII. Interea certior factus, [1] Iguvium Thermum prætorem cohortibus v tenere, oppidum munire, omniumque esse Iguvinorum optimum erga se voluntatem; Curionem cum III cohortibus, quas Pisauri et Arimini habebat, mittit. Cujus adventu cognito, diffisus municipii voluntati Thermus cohortes ex urbe educit, et profugit: milites in itinere ab eo discedunt, ac domum revertuntur: Curio, omnium summâ voluntate, Iguvium recipit. Quibus rebus cognitis, confisus municipiorum voluntatibus, Cæsar cohortes legionis xiii ex praesidiis deducit. [2] Auximumque proficiscitur: quod oppidum Attius, cohortibus introductis tenebat, delectumque toto [3] Piceno, circummissis senatoribus, habebat.

XIII. Adventu Cæsaris cognito [4] decuriones Auximi ad [5] Attium Varium frequentes conveniunt: docent sui judicii rem non esse; neque se, neque reliquos municipes pati posse, C. Caesarem imperatorem bene de rep. meritum, tantis rebus gestis, oppido mœnibusque prohiberi: proinde habeat rationem posteritatis, et periculi sui. Quorum oratione permotus Attius Varus, praesidium, quod introduxerat, ex oppido educit, et profugit. Hunc ex primo ordine pauci Caesaris consecuti milites, consistere cogunt: commissoque proelio deseritur à suis Varus: nonnulla pars militum domum discedit: reliqui ad Caesarem perveniunt: atque una cum iis deprehensus L. Pupius primipili centurio adducitur, qui hunc eundem ordinem in exercitu Cn. Pompeii antea duxerat. At Caesar milites Attianos collaudat, Pupium dimittit, Auximatibus agit gratias, seque eorum facti memorem fore pollicetur

XIV. Quibus rebus Romam nuntiatis, tantus repentè terror invasit, ut cùm Lentulus consul ad aperiendum aerarium venisset, ad pecu-

NOTÆ.

que dicunt eſſe Syracuſanis conditam Dionyſii tyrannidem fugientibus; cui videtur aſtipulari Juvenal, qui Doricam nominat. Nunc eſt ditionis Pontificiæ, ex quo, anno Chriſti MDXXXII Clemens vii. Papa ejus arcem per Lucovicum Gonzagam, ſuarum copiarum præfectum, occupavit.

1 *Iguvium Thermum.*] Iguvium variè ſcribitur. Ad Appennini radices poſitum eſt oppidum. Interea Libo Pompeianus, qui Hetruriam tenebat, eum reliquit. Sed quia res ſine ſanguine geſta fuit, eam reticet Caeſar, commemorat Lucanus lib ii.

Gens Hetruſca fuga trepidi nudata Libonis.
Juſque ſui pulſo jam non habet Umbria Thermo.

2 *Auximumque proficiſcitur.*] Auximum antiqua urbs monti impoſita decem millibus ab Ionio mari, proxime Anconum, hodie *Oſmo.*

3 *Piceno.*] Picenum à Longobardis dictum Marca Anconitada, quinta Italiæ regia Plinio, *Marche d' Ancone*, habet ab oriente Truentum flumen, à meridie montem Appenninum, ad occaſum Flaminiam, à ſeptentrione mare Hadriaticum.

4 *Decuriones*] Coloniarum et municipiorum ſenatores erant ideo dicti, quia cum in coloniam mittebantur cives Romani, eorum decima pars honoratiorum eligebatur, ex quibus fieret ſenatus. Autor Pomponius Juriſconſultus.

5 *Attium Varum.*] Is Attius Varus de quo hic agitur, hic eſt qui in Africa curionem ſuperavit. Quari hoc modo animati Auximates ex epiſt. Ciceronis ad Attic. 20. lib. vii. perſpici poteſt. *Hæc, dum Capuæ fui, cognovi: nihil in Coſſ. nullam uſquam delectum. Nec enim conquiſitores φαινοπροσωπεῖ audent, cum ille* (Caeſar) *adsit contra; cum noſter dux nuſquam sit, nihil agat, nec nomina dat. Deficit enim non voluntas, ſed ſpes.*

niam Pompeio ex SC. proferendam, [1] protinus, aperto sanctiore aerario, ex urbe profugeret. Caesar enim adventare, jamjamque adesse ejus equites, falsò nuntiabantur. Hunc Marcellus collega, et plerique magistratus consecuti sunt. [2] Cn. Pompeius pridie ejus diei ex urbe profectus, iter ad legiones habebat, quas à Cæsare acceptas in [3] Apuliâ hibernorum caussâ disposuerat. Delectus intra urbem intermittuntur. [4] Nihil citra Capuam tutum esse omnibus videtur. Capuæ primùm sese confirmant et colligunt, [5] delectumque colonorum, qui lege Juliâ Capuam deducti erant, habere instituunt, [6] gladiatoresque, quos ibi Caesar in ludo habebat, in forum obductos Lentulus libertati confirmat, atque iis equos attribuit, et se sequi jussit: quos postea, monitus à suis, [7] quod ea res omnium judicio repre-

NOTÆ.

1 *Protinus aperto ſanctiore ærario, ex urbe profugeret.*] De qua re ſic Cicero lib. vi. epiſt. ad Attic. 7. *Id Feb. Capuam C. Caſſius trib. pl. venit, attulit mandata ad conſules ut Romam venirent, pecuniam de ſanctiore ærario proferrent, ſtatim exirent urbe relicta. Redeunt, quo præſidio? Deinde exeant, quis ſinat?* Ærarium porro ab ære dictum eſt. Theſaurus publicus eſt. Aere enim primum mercati ſunt Romani, ſed ſecto et ad certum pondus exanimato, uſque ad Servii Tullii regis tempora, qui ut ponderum et bilancium onere populum levaret, laminas æreas rotundas cudi juſſit, ejuſdem ponderis, nempe libræ unciarum xii, ut habet Dionyſius Halicarnaſſ. lib. i. Unde æra militum, tribuni ærarii, avarus, quaſi avidus æris, et alia id genus. Aerarium porro populus Romanus in Aede Saturni habuit, ut ſcripſit Feſtus, idque à Valerio Publicola poſt exactos reges conſtitutum, ut ſcripſit Plutarchus in ejus vita; in quo non pecunia tantum, ſed tabulæ publicæ et acta ſenatus relata, imo nec ſenatusconſulta rata erant, antequam eſſent in ærarium relata. Sanctaque adeo hæc erat ſanctioris ærarii pecunia ut capitale eſſet attingi niſi in tumultu, de quo ſupra dictum eſt, ut videtur ex hoc loco T. Livii lib. xxvii. *Expedientibus quæ ad bellum erant opus conſulibus, aurum vicesimarium, quod in ſanctiore ærario ad ultimos caſus ſervaretur, promi placuit.* Duplex autem erat; unum quo ordinarii tributa reip. condebantur, alterum quod ſacrum et ſanctius, quod ad ultimos reip. laborantis caſus munitiore loco reſervabatur.

2 *Cn. Pompeius pridie ejus diei.*] Docti viri aliquot hic mendum ſuſpicantur, ducti epiſtolarum Ciceronis lectione; ſed omnes conjecturæ, quæ numerorum notis apud libros nituntur, fluxæ ſunt et caducæ. Mirum enim, quantum in illis librariis fuit peccatum.

3 *Apulia.*] Apulia à Frentone fluvio, vulgo nunc *Fortore*, ad fauces uſque maris Hadriatici excurrit. Diffuſa eſt in partes tres. Daunia dicebatur a Frentone uſque ad Aufidium flumen, vulgo Lofanto, inde ad Brundiſium Peucetia: reliquum quicquid erat ſub forma peninſulæ, habebant Meſſapii.

4 *Nihil citra Capuam,* &c.] Illa ora Ciceroni à Pompeianis, utpote proconſuli fuerat attributa, quam adverſus Cæſarem tueretur.

5 *Delectumque colonorum.*] Coloni illi erant Romani qui ex urbe Romana Capuam deducti erant ea lege, quam Julius Caeſar rogaſſet, et Capuam incolebant: Coloni autem illi in alias regiones mittebantur, ut ſtirps Romana ubique propagaretur, plebſque urbana, cujus laborabatur multitudine, imminueretur, aliquando vero ab alias cauſas. De hac lege Julia porro ſupra dictum eſt.

6 *Gladiatoreſque*] Servi erant qui à nobilibus viris emebantur, ut munera gladiatoria poſtea populo exhiberent, qui illis ſpectaculis mirifice delectabatur: tradebanturque illi ſervi magiſtris gladiatoriam artem docendi, qui magiſtri Laniſtæ dicebantur. Locus porro in quo erudiebantur, ludis dicebatur. His, ut videbatur, promiſſa libertas erat, quam certam fecit Lentulus, e ludis emittendo ubi erant concluſi. Forte *libertate* legendum.

7 *Quod ea res omnium judicio reprehendebatur.*] Ideo Lentulus reprehendatur, quod ſervos armaverat, quibus militare non licebat. Ne igitur in legionibus Romanis ſervi viderentur, maluit circa familias diſtribuere.

hendebatur, circum familiares conventus [1] Campaniae, custodiae causâ, distribuit.

XV. Auximo Caesar progressus omnem agrum [2] Picenum percurrit. Cunctae earum regionum praefecturae libentissimis animis eum recipiunt, exercitumque ejus omnibus rebus juvant. Etiam [3] Cingulo, quod oppidum Labienus constituerat, suâque pecuniâ exaedificaverat, ad eum legati veniunt; quaeque imperaverit, sese cupidissimè facturos pollicentur. Milites imperat; mittunt. Interea legio xii Caesarem consequitur. Cum his II [4] Asculum Picenum proficiscitur. Id oppidum Lentulus Spinther x cohortibus tenebat: qui, Caesaris adventu cognito, profugit ex oppido. Cohortesque secum abducere conatus, à magnâ parte militum deseritur. Relictus in itinere cum paucis incidit in Vibullium Rufum, missum à Pompeio in agrum

NOTÆ.

Familiæ porro erant servorum, qui tumultu civili potuissent magno dominorum damno ergastula refringere, nisi custoditi fuissent. Cicero lib. vii. epist. ad Attic. epist 13. *Gladiatore Cæsaris qui Capuæ sunt, sane commode Pompeius distribuit binos singulis patribus familias, secutorum in ludo 600 fuerant, eruptionem facturi fuisse videbantur.*

1 *Campaniae.*] Campania dicta vel à metropoli Capua, vel quod sit campestris, de qua tot habentur apud Ciceronem in oratione de Lege agraria; nunc *Terra di Lavore.*

2 *Picenum.*] Italiæ regio ad mare Hadriaticum, de qua supra dictum, ubi et notantur limites quibus omni ex parte circumscribitur, *Marche d' Ancone.*

3 *Cingulo.*] Cingulum Picenorum oppidum, nunc nomen retinet *Cingulo.* Quod magis mirum fuit, quod à Labieno fuissent conditi, estque ad radices montis Appennini oppidum positum, non procul ab Ancona; sed metus Cæsaris prævaluit. Magna quidem Labienus gesserat Cæsaris auspiciis, ut superioribus libris de bello Gallico demonstratum est, atque inde tantas divitias paraverat, ut et oppida conderet et Cæsari suo Imperatori magnam invidiam faceret; postquam vero ad Pompeium transivit, non item clarus fuit, Unde Lucanus:

——— Vir fortis in armis
Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga vilis
Cum duce praelato terras atque oppidu lustrat.

Nam omnibus bellis contra Cæsarem interfuit; tandem apud Mundam fortissime pugnans cecidit. Ille ipse est, qui inductus à Cæsare C. Rabirium Posthumum perduellionis reum fecit, qui Posthumus fuit à Cicerone defensus, ejusque extat præclara oratio. Labieni filius Q. Labienus post mortem Cæsaris ad Brutum et Cassium se applicuit, ab illisque est ad Orodem Parthorum regem missus, ubi, audita clade, quam apud Philippos passi fuerant, mansit, diffisus rebus suis, cum quibus et Pacoro regis filio in Syriam excurrit, multaque ibi vastavit. Parthicus enim inde nominatus; tandem cum illis à L. Ventidio M. Antonio Legato cæsus fuit.

4 *Asculum.*] Piceni caput. Plinius nobilissimam Piceni coloniam dicit. Picenum dicitur, ut distinguatur ab Asculo in Apulia, nomen retinet *Ascoli.*

5 *Lentulus Spinther.*] Hoc cognomen adeptus est quod cum consul ludis præsideret, inventus sit Comœdus quidem hoc nomine, ei tam vultu consimilis, ut omnium ora in se, converteret, ipseque ob eam similitudinem dictus sit Spinther, teste Val. Max. Item Plinio, qui ejus opum magnificentiæque magna dat testimonia, dum lib. ix, cap. 39. dicit, dibapha purpura Tyria primum usum in ædilitate anno U. C. DCC. Cicerone consule, atque eo nomine improbatum, dum carbasina vela primum in theatro duxisse Appollinaribus ludis, dum amphoras ex onyche et urceos magnitudine cadorum ostendisse scribit, lib. xxxv. cap. 7. Hic est ad quem librum primum epist. ad famil. scribit Cic. Interfecto Cæsare, quanquam cædis non fuisset particeps, se addidit interfectoribus gloriatus se fuisse participem, quod magno ille stetit. Ea enim de caussa postea fuit occisus, teste Plutarcho.

6 *Vibullium Rufum.*] Is est quem postea Cæsar ad Pompeium de pace misit, sed frustra.

Picenum, confirmandorum hominum caussâ. A quo factus Vibullius certior, quae res in Piceno gererentur, milites ab eo accipit, ipsum dimittit. Item ex finitimis regionibus, quas potest, contrahit cohortes ex delectibus Pompeianis. In iis [1] Camerino fugientem * Ulcillem Hirum cum vi cohortibus, quas ibi in praesidio habuerat, excipit. Quibus coactis, xiii efficit. Cum iis ad Domitium Ahenobarbum [2] Corfinium magnis itineribus pervenit; Caesaremque adesse cum legionibus II nuntiat. Domitius per se circiter xx cohortes Albâ ex Marsis, et Pelignis, et finitimis ab regionibus coegerat.

XVI. Recepto Asculo, expulsoque Lentulo, Caesar conquiri milites, qui ab eo discesserant, delectumque institui jubet. Ipse, unum diem ibi, rei frumentariæ caussâ, moratus, Corfinium contendit. Eo quum venisset, cohortes v praemissæ a Domitio ex oppido pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido millia passuum circiter III. Ibi cum antecursoribus Caesaris prœlio commisso, celeriter Domitiani à ponte repulsi se in oppidum receperunt. Caesar, legionibus transductis, ad oppidum constitit, juxtaque murum castra posuit.

XVII. Re cognitâ, Domitius ad Pompeium in Apuliam peritos regionum, magno proposito prœmio, cum litteris mittit; qui petant atque orent, ut sibi subveniat: Caesarem duobus exercitibus, et locorum angustis facilè intercludi posse, frumentoque prohiberi. Quod nisi fecerit, se, cohortesque amplius xxx, magnumque numerum senatorum atque equitum Romanorum in periculum esse venturum. Interim suos cohortatus, tormenta in muris disponit: certasque cuique partes ad custodiam urbis attribuit: militibus in concione agros ex suis possessionibus pollicetur, [5] quaterna in singulos jugera, et pro ratâ parte centurionibus, [6] evocatisque.

NOTAE.

1 *Camerino.*] Camerinum Latii oppidum, quod Festuspulchrum esse scribit, in Appennini jugo situm, sub duce Parmæ: hodie nomen adhuc retinet *Camerino.* Ibi est asteriscus, qui cum mendo aliquot versuum defectum notat, sed qui facile supplentur à Lucano. Eodem enim tempore Scipio reliquit Nuceriam, tametsi firmata esset illa legione, quæ fuerat paulo ante à Cæsare Pompeio reddita, causanti bellum Parthicum.

Tu quoque commissæ nudatam deseris arcem,
Scipio, Nuceriæ, quanquam fortissima pubes
His sedeat castris, jampridem Cæsaris armis
Parthorum subducta metu.——

Cur autem abducta sit legio, intelligitur ex epistola Pompeii ad Domitium, quæ Ciceronis inest epistolis ad Atticum, quod nempe militum illorum voluntati non confidat, quia Cæsare fuerant abducti.

2 *Corfinium.*] Pelignorum caput, à Sulmone distans vii millibus passuum, nunc, ut aiunt, in vicum redactum, *Sancto Perino.* Bello sociali arx contra Romanos, quo Itali convenerunt conjuraturi.

3 *Alba.*] Alba ad Fucinum lacum via Valeria, circa Anienis fontes, est in Marsis, qui Italiæ populi circa Apuliam, quorum opera Bello sociali magni fuit. Iis Peligni sunt adjuncti. Alia est Alba in Latio longa dicta, ab Ascanio Æneæ filio condita.

4 *Tormenta in muris disponit.*] *Artillerie,* nec melior vox occurrit.

5 *Quaterna in singulos jugera.*] Censetur esse jugeris longitudo pedum cclx, latitudo cxx.

6 *Evocatisque.*] Evocatorum duo erant genera. Primum eorum, qui tumultuarie cogebantur, de quibus Servius: *Evocationem vocabant,*

XVIII. Interim Caesari nuntiatur, [1] Sulmonenses (quod oppidum à Corfinio vii millium intervallo abest,) cupere ea facere quae vellet, sed à [2] Q. Lucretio senatore, et Attio Peligno prohiberi, qui id oppidum vii cohortium praesidio tenebant. Mittit eò M. Antonium cum legionis viii cohortibus v. Sulmonenses, simul atque nostra signa viderunt, portas aperuerunt; universique et oppidani, et milites, obviam gratulantes Antonio exierunt, Lucretius et Attius de muro se dejecerunt. Attius ad Antonium deductus petit, ut ad Caesarem mitteretur. Antonius cum cohortibus, et Attio, eodem die, quo profectus erat, revertitur. Caesar eas cohortes cum exercitu suo conjunxit, Attiumque incolumem dimisit. Caesar tribus primis diebus castra magnis operibus munire, et ex finitimis municipiis frumentum comportare, reliquasque copias exspectare, instituit. Eo triduo legio viii ad eum venit, cohortesque ex novis Galliae delectibus xxii, equitesque à rege [3] Norico circiter ccc. quorum adventu altera castra ad alteram oppidi partem ponit. Iis castris Curionem praefecit: reliquis diebus oppidum vallo castellisque circummunire instituit. Cujus operis maximâ parte effectâ, eodem ferè tempore missi ad Pompeium revertuntur.

XIX. [4] Litteris perlectis, Domitius dissimulans, in concilio pronuntiat Pompeium celeriter subsidio venturum; hortaturque eos, ne animo deficiant, quaeque usui ad defendendum oppidum sint, parent. Ipse arcanò cum paucis familiaribus suis colloquitur, consiliumque fugae capere constituit. Quum vultus Domitii cum oratione non consentiret, atque omnia trepidantiùs timidiùsque ageret, quàm superioribus diebus consuêsset, multumque cum suis consiliandi caussâ secretò, praeter consuetudinem, colloqueretur; concilia conventusque hominum fugeret: res diutiùs tegi dissimularique non potuit. Pompeius enim rescripserat sese rem in summum periculum deducturum non esse; neque suo consilio aut voluntate

NOTÆ.

eum ad adversa loca diversa propter cogendos mittebantur exercitus. Alterum veteranorum qui confectis stipendiis honoris causa voluntarii ab Imperatore quondam suo, aut alio evocabantur. Atque ii spe rei faciendæ aut militarium munerum, arma resumebant, de quibus multa in his libris. Porro ex Polybio lib. vi. item ex Livio multis in locis cognitum est stipendium centurionis duplo majus fuisse stipendio militis, equitis autem triplo. In donativis eadem servabatur proportio.

1 *Sulmonenses.*] Sulmo Pelignorum Ovidii Poëtæ patria fuit, nunc urbs est populi frequentia et aquarum copia nobilis nomenque retinet.

2 *Q. Lucretio.*] Q. Lucretii senatoris sæpe meminit Cicero in epistolis ad Atticum.

3 *Norico.*] Norici regis Vocionis primo lib. de bello Gallico facit Cæsar mentionem, cujus et sororem ductam esse uxorem ab Ariovisto. An is fuerit, propterea quod ix anni intersunt, nescio.

4 *Litteris perlectis.*] Habetur illa epistola lib. viii, epist. Ciceronis ad Attic. ex qua præter alias causas alia, quædam cognoscitur, quod eorum militum, quos habebat, voluntati non satis confidat. Fuerant enim legiones à Cæsare abductæ. Patet hoc idem ex aliis epistolis, quæ ibidem sunt, oratum ab ipso Domitium, ut ad se veniret ante adventum Cæsaris. Itaque à Cicerone nemo esse dicitur L. Domitio stultior. In consilium porro pauci primarii, ut quæstor, legati, tribuni, primipili, centuriones vocabantur; in concionem omnes.

Domitium se in oppidum Corfinium contulisse. Proindè, si qua facultas fuisset, ad se cum omnibus copiis veniret. Id ne fieri posset, obsidione, atque oppidi circummunitione fiebat.

XX. Divulgato Domitii consilio, milites, qui erant Corfinii, primâ vesperâ secessionem faciunt: atque ita inter se per tribunos mil. centurionesque, atque honestissimos sui generis colloquuntur; obsideri se à Cæsare; opera, munitionesque propè esse perfectas: ducem suum Domitium, cujus spe atque fiduciâ permanserint, projectis omnibus, fugæ consilium capere: debere se suæ salutis rationem habere. Ab his primo [1] Marsi dissentire incipiunt, eamque oppidi partem, quæ munitissima videretur, occupant. Tantaque inter eos dissensio extitit, ut manum conserere, atque armis dimicare conarentur. Post paullò tamen, internuntiis ultro citroque missis, quæ ignorabant, de L. Domitii fugâ cognoscunt. Itaque omnes uno consilio Domitium, productum in publicum circumsistunt et custôdiunt; legatosque ex suo numero ad Cæsarem mittunt: sese paratos esse portas aperire, quæque imperaverit facere, et L. Domitium vivum in ejus potestatem transdere.

XXI. Quibus rebus cognitis, Cæsar etsi magni interesse arbitrabatur, quàm primùm oppido potiri, cohortesque ad se in castra transducere, ne qua, aut largitionibus, aut animi confirmatione, aut falsis nuntiis, commutatio fieret voluntatis; quòd sæpe in bello parvis momentis magni casus intercederent: tamen veritus, ne militum introitu, et nocturni temporis licentiâ oppidum diriperetur, eos, qui venerant, collaudat, atque in oppidum dimittit; portas murosque asservari jubet. Ipse iis operibus, quæ facere instituerat, milites disponit, non certis spatiis intermissis, ut erat superiorum dierum consuetudo, sed perpetuis vigiliis, stationibusque, ut contingant inter se, atque omnem munitionem expleant: [2] tribunos mil. et præfectos circummittit; atque hortatur, non solum ab eruptionibus caveant, sed etiam singulorum hominum occultos exitus asservent. Neque verò tam remisso ac languido animo quisquam omnium fuit, qui eâ nocte conquieverit. Tanta erat summa rerum exspectatio, ut alius in aliam partem mente atque animo traheretur, quid ipsis Corfiniensibus, quid Domitio, quid Lentulo, quid reliquis accideret, qui quosque eventus exciperet.

XXII. Quartâ vigiliâ circiter Lentulus Spinther de muro cum vigiliis custodibusque nostris colloquitur, velle, si sibi fiat potestas, Cæsarem convenire. Factâ potestate, ex oppido mittitur, neque ab eo priùs Domitiani milites discedunt, quàm in conspectum Cæsaris deducatur. Cum eo de salute suâ agit, atque obsecrat, sibi ut parcat, veteremque amicitiam commemorat: Cæsarisque in se beneficia exponit; quæ erant maxima: [3] quòd per eum in collegium

NOTÆ.

1 *Marsi.*] De Marsis supra dictum.

2 *Tribunos mil. et præfectos.*] De tribunis et præfectis supra dictum.

3 *Quod per eum in collegium pontificum venerat.*] Illud à Numa primitus institutum ex quatuor tantum constabat. Sylla dictatore ex-

pontificum venerat; quòd provinciam Hispaniam ex praeturâ habuerat; quòd in petitione consulatûs ab eo erat sublevatus. Cujus orationem Caesar interpellat; se non maleficii caussâ ex provinciâ egressum, sed utì se à contumeliis inimicorum defenderet: ut tribunos pleb. eâ re ex civitate expulsos, in suam dignitatem restitueret: ut se et populum Rom. paucorum factione oppressum in libertatem vindicaret. Cujus oratione confirmatus Lentulus, ut in oppidum reverti liceat, petit. Quod de suâ salute impetraverit, fore etiam reliquis ad [1] suampse solatio; [2] adeò esse perterritos nonnullos, ut suae vitae duriùs consulere cogantur. Facta potestate, discedit.

XXIII. Caesar, ubi illuxit, omnes senatores, senatorumque liberos, tribunos mil. equitesque Romanos ad se produci jubet. Erant senatorii ordinis L. Domitius, et P. Lentulus Spinther, L. Vibullius Rufus, Sex. Quinctilius Varus quaestor, L. Rubrius; praeterea filius Domitii, aliique complures adolescentes, et magnus numerus equitum Romanorum, et decurionum, quos ex municipiis Domitius evocaverat. Hos omnes productos à contumeliis militum convitiisque prohibet; pauca apud eos loquitur, quòd sibi à parte eorum gratia relata non sit pro suis in eos maximis beneficiis. Dimittit omnes incolumes. [3] Sestertiûm sexagies, quod aurum adduxerat Domitius, atque in publicum deposuerat, allatum ad se ab [4] Duûmviris Corfiniensibus, Domitio reddit; ne continentior in vitâ hominum, quàm in pecuniâ fuisse videatur: etsi eam pecuniam publicam esse constabat, datamque à Pompeio in stipendium. Milites Domitianos sacramentum apud se dicere jubet; [5] atque eo die castra movet, [6] justumque iter conficit. XII omnino dies ad Corfinium commoratus, et per fines [7] Marrucinorum, Frentanorum, Larinatium in Apuliam pervenit,

NOTÆ.

ercuit usque ad xv. Horum munus erat de caussis ad sacra pertinentibus judicare, religionibus praeesse, novas aliquando leges de sacris condere. Itaque horum erat magna auctoritas, à collegisque legebantur. His omnibus praeerat Pontifex maximus, cujus munus Caesar magno ambitu adeptus est. Pontificum erat magna dignitas. Erant enim non annui, sed perpetui, quæ quanta esset, vide in orat. Ciceronis de domo suâ ad Pontifices.

1 *Suampse.*] Suam ipsorum; componitur ex Accusativo *suam* et syllabica adjectione.

2 *Adeo esse perterritos nonnullos.*] Ipse Domitius animum adeo desponderat, ut peteret à servo medico venenum, et datum hauriret. Postquam autem de Cæsaris adversus captos lenitate cognovit, levitatem consilii sui reprehendit. Sed cum audisset à medico non lethale, sed soporiferum datum esse sibi pharmacum, hilaris ad Cæsarem contendit. Lucanus fortem facit ejus orationem à Cæsare non adscriptam memorat.

5 *Sestertium sexagies*] 150,000 *écus.*

4 *Duûmviris.*] Duûmviri ii esse videntur magistratus, qui a nobis Scabini dicuntur, *Eschevins.* Alii enim videntur esse ab his, qui Romæ sacrorum caussa fuerant creati. Appianus hoc à Cæsare factum scribit, sperante hoc beneficio devinctum secum mansurum, quamvis ad hostes ire non prohibuerit.

5 *Atque eo die castra movet.*] Cicero lib. epist. ad Attic. scribit Cæsarem Corfinio profectum feralibus, quæ incidunt in xii. Kal. Martias, Lucan. vero lib. ii. dicit eo tempore Pompeium longa oratione tentasse suorum militum animos, quorum cum pavorem agnovisset, constituisse ire Brundisium.

6 *Justumque iter conficit.*] Veget. lib. i. cap. 9. *Militari gradu* xx *millia passuum horis quinque duntaxat æstivis conficienda sunt.*

7 *Marrucinorum, Frentanorum, Larinatium.*] In Marrucinis est oppidum Theatinorum. Frentani gens Samnitica in Brutii *l' Abrusse.* Larinates Apulis accensentur

XXIV. Pompeius iis rebus cognitis, quae erant ad Corfinium gestae, [1] Luceria proficiscitur [2] Canusium, atque inde Brundisium. Copias undique omnes ex novis delectibus ad se cogi jubet. Servos, [4] pastores armat, atque his equos attribuit. Ex iis circiter ccc equites conficit. L. Manlius praetor [5] Albâ cum cohortibus vi profugit: [6] Rutilus Lupus praetor [7] Tarracinâ cum iii. Quae, procul equitatum Caesaris conspicatae, cui praeerat [8] Bivius Curius, relicto praetore, signa ad Curium transferunt, atque ad eum transeunt. Item reliquis itineribus nonnullae cohortes in agmen Caesaris, aliae in equites incidunt. Reducitur ad eum deprehensus ex itinere [9] Cn. Magius Cremona, praefectus fabrûm Cn. Pom-

NOTÆ.

Plin. lib. iii. cap. 11. Apud eundem, Frentana regio eſt Apuliæ contermina. Sed non minus hodie laboratur à doctis Italis in urbibus et populis antiquis Italiæ, quam à Gallis eruditis in veteris Galliæ populis recognoſcendis, de quibus ſit apud Cæſarem mentio in libro de bello Gallico.

1 *Luceria.*] Luceria eſt in Apulia Dannia. Jam à Strabonis tempore erat diruta, reſtituta à Conſtantino ii. Orientis Imperatore. Denuo excisa, iterum reſtaurata, Saracenis eſt à Frederico 11. Imperatore conceſſa, ex Africa deductis qui decennio poſt ſunt à Carolo ii. Siciliæ Rege et Comite Provinciæ Gallicæ depulſi, inde tamen dicta *Luceria de Saraceni*, quod nomen adhuc retinet.

2 *Canuſium.*] Canuſium eſt in eadem Apuliæ regione ad Aufidum flumen, urbs Italicarum maxima, ut teſtatur Strabo. Procopius diſtare cannis xxv ſtadiis refert, nunc *Canoſa*.

3 *Brundiſium.*] Brundiſium oppidum Calabriæ, Salentinorum metropolis, clariſſima portu ſuo omni memoria, atque etiam hodie. Sed portus ejus oneraria nave plena ingentibus lapidibus demerſa obturatus. Hoc factum eſſe fertur à Joanne Antonino principe Tarentino in bello quod geſtum eſt inter reges Neapolis, Venetoſque, ne alteruter potiretur. Conatus eſt Alphonſus effodere, ſed fruſtra.

4 *Paſtores armat.*] Qui paſtores iidem erant ſervi, ad bellum aliis ſervis magis idonei, propterea quod in agris omni cœli inclementiæ aſſueti vitam agunt.

5 *Alba.*] Albæ plures ſunt ut ſupra dictum eſt. Hanc veriſimile eſt Albam Longam eſſe, quæ eſt in Latio ſub Albano monte, unde Majores Cæſaris olim Romam tranſportati.

6 *Rutilus Lupus.*] Rutilorum gens Patritia fuit et Plebeia, diviſa in plures familias, Flaviorum, Craſſorum, Calvorum, Ruforum, Cenſorinorum, Luporum, quorum mentionem facit Quintil. lib. ix. cap. 2.

7 *Tarracina.*] Tarracina Volſcorum lingua *Anxur* dictum, quorum erat caput, ut ſcripſit Plin. lib. iv. Hodie nomen retinet.

8 *Bivius Curius.*] Vocandus eſt Vibius. Is eſt quem aperte Cicero redarguit, multa de annis ætatis ſuæ mentientem, cum illi dixit: *Tum ergo cum una declamabimus non eras natus*, ut refert Quintilianus. De hac re porro ita Cicero lib. ix. epiſt. ad Attic. epiſt. 4. *Romæ ſcripſit Balbus putare jam Lentulum tranſmiſiſſe, nec eum à minore Balbo conventum, quod is hoc jam Canuſii audiiſſet, inde ad ſe eum ſcripſiſſe. cohorteſque ſex quæ Albæ fuiſſent ad Curium Numicia tranſiiſſe, id Cæſarem ad ſe ſcripſiſſe, et brevi tempore eum ad urbem futurum.*

9 *Cn. Magius Cremona præfectus fabrum.*] Patriæ nomen aliquando addebatur, ut lib. iii. de bello civili, *Clium Felginatem Placentia.* Hic *Cremona*, quæ eſt urbs ad Padum, nomenque retinet, olim colonia Romana, Mantuæ vicina, de qua ſic Virgil:

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.

Præfectus vero Fabrum dicebatur judex eorum, quos habebat legio tignarios, carpentarios, &c cujus quod fuerit officium, lege apud Vegetium lib. 11. cap. xii. Quam ſtrenuoſiſſimum fuiſſe docet illum magiſtratum, quod ſcripſit de Mamurra præfecto fabrûm Cæſaris in Gallia Catullus his verſiculis:

Quis hoc poteſt videre quis poteſt pati,
Niſi impudicus et vorax et belluo,

peii: [1] quem Caesar ad eum remittit cum mandatis: quoniam ad id tempus facultas colloquendi non fuerit, atque ad se Brundisium sit venturus, interesse reipubl. et communis salutis, se cum Pompeio colloqui: neque verò idem perfici longo itineris spatio, quum per alios conditiones ferantur, ac si coram de omnibus conditionibus disceptetur.

XXV. His datis mandatis, Brundisium cum legionibus vi pervenit, veteranis iii reliquis, quas ex novo delectu confecerat, atque in itinere compleverat. Domitianas enim cohortes protinus à Corfinio in Siciliam miserat. Reperit consules [2] Dyrrhachium profectos cum magnâ parte exercitûs, Pompeium remanere Brundisii cum cohortibus xx. Neque certum inveniri poterat, obtinendine caussâ Brundisii ibi remansisset, quò faciliùs [3] omne Hadriaticum mare, cum extremis Italiae partibus regionibusque Graeciae, [4] in potestatem haberet, atque ex utrâque parte bellum administrare posset, an inopiâ navium ibi restitisset: veritusque, ne Italiam ille dimittendam non existimaret, exitus, administrationesque Brundisini portûs impedire instituit: quorum operum haec erat ratio. [5] Quà fauces erant angustissimae portûs, molem atque aggerem ab utrâque parte littoris jaciebat, quod his locis erat mare vadosum. Longiùs progressus, quum agger altiore aquâ contineri non posset, [6] rates duplices, quoquoversus pedum xxx è regione molis collocabat. Has quaternis anchoris ex quatuor angulis destinabat, ne fluctibus move-

NOTÆ.

Mamurram habere, quod Comata Gallia Habebat? ——

Docet idem Plinius lib. xxxvi. cap. 6. hominem Pompeii ſtudioſiſſimum et totum ei addictum fuiſſe, et magni apud eum pretii inde intelligitur, quod conſul ejusmodi magiſtratum ſibi deligebat, non populus, ut videre eſt ex Plutarcho in vitâ Ciceronis, ubi ſcribit C. Verginium magnos fructus ex amicitiâ Ciceronis cepiſſe; nam illo Conſule, factum fuiſſe præfectum fabrûm. Quod cum ita ſit, neminem videtur Cæſar magis idoneum ad reconciliandam pacem deligere potuiſſe, quam Cn. Magium.

1 *Quem Caeſar ad eum remittit cum mandatis*] Quo porro conſilio dimiſerit hominem, patet ex epiſt. 8. lib. ix. ad Atticum, ubi Cæſar ſcribit Oppio: *Si volent grati eſſe; debebunt Pompeium hortari, at malit mibi eſſe amicus, quam iis, qui et illi et mibi ſemper fuerant inimiciſſimi.*

2 *Dyrrhachium.*] Dyrrhachium, ſi Appiano creditur, eſt portus Epidamni, quæ urbs, teſte Thucydide, colonia Corcyræorum, à Phaleo Corinthio deductorum. Abeſt à Brundiſino portu ccxx paſſuum millibus, teſte Plinio.

3 *Omne Hadriaticum mare.*] Hadriaticum mare eſt quicquid maris eſt inter Italiam, Illyricum, Græciam et Siciliam.

4 *In poteſtatem haberet.*] Sic aliquando pro *in poteſtate* quod et quibuſdam in libris legitur.

5 *Qua fauces erant anguſtiſſimæ portus.*] Id ipſum Cæſar Q. Pedio ſcripſit: *Ab utroque portus cornu moles jacimus, ut aut illum quamprimum trajicere quod habet copiarum, cogamus, aut exitu prohibeamus.* Nec plura ad Pedium. Hactenus enim putaverat ſe molibus jactis rem effecturum. Sed fruſtra fecit. Itaque Lucanus non ad ratium conjungendarum conſilium ſtatim deſcendiſſe Cæſarem dicit, ſed poſtquam aggerem fluctibus abſorberi intellexiſſet:

Cedit in immenſum caſſus labor, omnia pontus
Haurit ſaxa vorax, monteſque immiſcet arenis.

Deinde:

Ergo ubi nulla vado tenuit ſua pondera moles
Tunc placuit cæſis innectere vincula ſylvis,
Roboraque immenſis late religare catenis.

6 *Rates duplices.*] De ratibus ſupra dictum Græce σχεδίαι. Cæſar vero, ne exiſtimaretur errare potuiſſe conſilio, ſed potius videatur

rentur. His perfectis collocatisque, alias deinceps pari magnitudine rates jungebat. Has terrâ atque aggere contegebat, ne aditus atque incursus ad defendendum impediretur: à fronte, atque ab utroque latere, cratibus ac pluteis protegebat. [1] In quartâ quâque earum turres binorum tabulatorum excitabat, quò commodiùs ab impetu navium incendiisque defenderet.

XXVI. Contra haec Pompeius naves magnas onerarias, quas in portu Brundisino deprehenderet, adornabat. Ibi turres cum ternis tabulatis erigebat, [2] easque multis tormentis, et omni genere telorum completas, ad opera Caesaris appellebat, ut rates perrumperet, atque opera disturbaret. Sic quotidie utrinque eminus fundis, sagittis, reliquisque telis, pugnabatur. Atque haec ita Cæsar administrabat, ut conditiones pacis dimittendas non existimaret. [3] Ac tametsi magnopere admirabatur, Magium, quem ad Pompeium cum mandatis miserat, ad se non remitti; atque ea res saepe tentata, etsi impetus ejus consiliaque tardabat; tamen omnibus rebus in eo perseverandum putabat. Itaque [4] Caninium Rebilum legatum, familiarem necessariumque [5] Scribonii Libonis, mittit ad eum colloquii caussâ. Mandat, ut Libonem de conciliandâ pace hortetur: in primis, ut ipse cum Pompeio colloqueretur, postulat. Magnopere sese confidere demonstrat, si ejus rei sit potestas facta, fore, ut aequis conditionibus ab armis discedatur; cujus rei magnam partem laudis atque existimationis ad Libonem perventuram, si illo auctore atque agente, ab armis sit discessum. Libo à colloquio Caninii digressus, ad Pompeium proficiscitur. Paullò post renuntiat,

NOTÆ.

omnia mente præcepisse, rem ita narrat. Porro hoc ipsum consilium fuit, quod secutus est Ludovicus xiii. Galliæ Rex in obsidenda Rupella, cujus exitus et administrationes portus mole objecta impedivit.

1 *In quartâ quâque earum*, &c.] Hoc est quod Lucanus ait,

——longæque tremuut super æquora turres.

Veget. lib. v. cap. 14. *In majoribus liburnis propugnacula turresque constituunt, ut tamquam de muro, ita de excelsioribus tabulatis facilius vulnerent et perimant inimicos.*

2 *Easque multis tormentis.*] Inter illa tormenta erant et quæ ignes spargebant. Lucan.

Tortaque per tenebras validis balista lacertis
Multifidas jaculata faces.——

6 *At tametsi magnopere admirabatur*, &c.] Cæsar tamen in epist. quæ est in Ciceronianis ad Atticum, missum sibi scribit Magium, et ipsi quæ visa sunt respondisse. Quod diversis temporibus fieri potuit.

4 *Caninium Rebilum.*] Caniniorum, gens in quatuor familias divisa est, Rebilorum, Regulorum, Gallorum, et Labeonum. Is porro est qui in Gallia Cæsaris erat legatus; postea bello civili missus est in Africum cum Curione, atque inde incolumis è cæde exivit; quique fuit factus à Cæsare in unum diem consul, Maximo consule demortuo, de quo dixit salutaturus Cicero: *Maturemus priusquam ille consulatu abeat.* Autor Plutarchus. Alibi eum vigilantissimum consulem vocat, qui toto sui consulatus tempore somnum non viderit.

5 *Scribonii Libonis.*] L. Scribonius Libo dicitur apud Appianum lib. v. fuisse socer Sexti Pompeii. Is etiam est Scribonius, cujus filia nupsit postmodum Augusto Cæsari, de quâ affinitate legatur Dio lib. xlviii. ubi Sexti Pompeii caussa factum esse dicit, quam et dimisit pertæsus morum perversitatem, quamquam ex ea Juliam genuisset. Is mihi Pompeianorum videtur fuisse felicissimus, qui et Pompeii classe Dolabellam Cæsarianum è Dalmatia ejecit. et anno ab hac victoria xv. cum M. Antonio consulatum gessit.

'quod consules absint, sine illis de compositione agi non posse.' Ita saepius rem frustra tentatam Caesar aliquando dimittendam sibi judicabat, et [de] bello agendum.

XXVII. Prope dimidiâ parte operis à Caesare effectâ, diebusque in eâ re consumptis ix. naves à consulibus Dyrrhachio remissae, quae priorem partem exercitûs eò deportaverant, Brundisium revertuntur. Pompeius, sive operibus Caesaris permotus, sive etiam quòd ab initio Italiâ excedere constituerat, adventu navium [2] profectionem parare incipit: et, quo faciliùs impetum Caesaris tardaret, ne sub ipsâ profectione milites oppidum irrumperent, portas obstruit, [3] vicos plateasque inaedificat, fossas transversas viis praeducit, atque ibi sudes stipitesque praeacutos defigit. Hæc levibus cratibus terrâque inæquat. Aditus autem atque itinera duo, quæ extra murum ad portum ferebant, maximis defixis trabibus, atque eis praeacutis, praesepit. His paratis rebus, milites silentio naves conscendere jubet; [4] expeditos autem ex evocatis, sagittariis, funditoribusque, raros in muro turribusque disponit. Hos certo signo revocare constituit, quum omnes milites naves conscendissent; atque iis expedito loco [5] actuaria navigia relinquit.

XXVIII. Brundisini Pompeianorum militum injuriis, atque ipsius Pompeii contumeliis permoti, Caesaris rebus favebant. Itaque cognitâ Pompeii profectione, concursantibus illis, atque in eâ re occupatis, vulgò ex tectis significabant: per quos re cognitâ, Caesar scalas parari, militesque armari jubet, ne quam rei gerendae facultatem dimittat. Pompeius sub noctem naves solvit. Qui erant in muro custodiae caussâ collocati, eo signo, quod convenerat, revocantur, notisque itineribus ad naves decurrunt. Milites, positis scalis, muros ascendunt. Sed moniti à Brundisinis, [6] ut vallum caecum fossasque ca-

NOTÆ.

1 *Quod consules absint.*] De quâ consulum profectione Cicero lib. ix. epist. ad Attic. epist. ii. *Animum laudo, consilium reprehendo: discessu enim illorum actio de pace sublata est, quam quidem ego meditabar.*

2 *Profectionem parare incipit.*] Hoc consilium multi laudavere, ut refert Plutarchus, ipse etiam Vegetius probat, et pro primo stratagemate habet lib. iv. cap. v. Verum Cæsar admirabatur, quod cum urbem insideret firmam et munitam, copiasque Hispanienses exspectaret, mareque in suâ potestate haberet, Italiam tamen reliquisset. Ipse certe consilium Cicero reprehendit quod Themistocleum appellat, cum res essent dissimiles: *Nec verò*, inquit, *ille urbem reliquit, nec quod eam tueri non posset, nec Italiam, quod ea pelleretur. Sed hoc à primo cogitavit, omnes terras, omnia maria movere, Reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maximos. Genus illud Sullani regni jampridem appetitur.* Dio lib. xli. sic Pompeii rationes explicat: Cum se videret obsideri, multosque ad Cæsarem transire, desperare de Italiâ cœpisse, decrevisseque in Macedoniam, Græciam et Asiam trajicere, confisum rerum quas ibi gesserat fama, et regum amicitia. Erat præterea tota Hispania in ejus potestate, in quam tamen, Cæsare Gallias tenente, deferri non poterat. Ad hæc, etsi mare trajiceret, neminem insecuturum, et propter inopiam navium, et propter hiemem.

3 *Vicos plateasque inædificat.*] Has viarum inædificationes Frontinus stratagematibus annumerat, lib. i. cap. 5.

4 *Expeditos autem.* &c.] Hoc facilius quod noctu et clam discesserit, ut narrat Lucanus, lib. ii. paulo ante ipsum æquinoctium.

5 *Actuaria navigia.*] De actuariis navigiis supra dictum.

6 *Ut vallum cæcum.*] Quod non videtur, vel ubi non videtur, ut id quod non

veant, subsistunt, et longo itinere ab iis circumducti ad portum perveniunt, duasque naves cum militibus, quae ad moles Caesaris adhaeserant, scaphis lintribusque deprehendunt; deprehensas excipiunt.

XXIX. Caesar, etsi ad spem conficiendi negotii maximè probabat coactis navibus mare transire, et Pompeium sequi [1] priusquam ille sese transmarinis auxiliis confirmaret; tamen rei ejus moram, temporisque longinquitatem, timebat: quòd, omnibus coactis navibus, Pompeius praesentem facultatem insequendi suî ademerat. Relinquebatur, [2] ut ex longinquioribus regionibus Galliae, Picenique, et à Freto naves essent exspectandae. Sed id, propter anni tempus, longum atque impeditum videbatur. Interea veterem exercitum, [3] duas Hispanias, confirmari; (quarum altera erat maximis beneficiis Pompeii devincta;) auxilia, equitatum parari: Galliam, Italiamque tentari, se absente, nolebat.

XXX. Itaque in praesentiâ, Pompeii insequendi rationem omittit: in Hispaniam proficisci constituit: [4] Duumviris municipiorum omnium imperat, ut naves conquirant, Brundisiumque deducendas curent. Mittit [5] in Sardiniam cum legione unâ Valerium legatum, in [6] Siciliam Curionem proprætorem cum legionibus iii: eundem, quum Siciliam recepisset, protinus in Africam transducere exercitum jubet. Sardiniam obtinebat [7] M. Cotta, Siciliam [8] M. Cato: Africam sorte [9] Tubero obtinere debebat. [10] Caralitani, simul ad se [11] Valerium mitti audierunt, nondum profecto ex Italiâ, suâ

NOTAE.

videt, dicitur. Sic cæca nox, cæcæ tenebræ, cæcus locus; ſic porro Feſtus: *Cæcum vallum*, in quo præacuti pali terræ adfixi, herbis vel frondibus occultuntur.

1 *Priusquam ille ſeſe tranſmarinis*, &c.] Ab Aliâ et Græciâ ubi multos amicos habebat Pompeius, ut poſtea cognitum eſt.

2 *Ut ex longinquioribus regionibus Galliæ.*] Quibus ſcilicet Venetica bella et Britannica confecerat, quibus fretum Gaditanum certe ſuperandum, et in mare Mediterraneum trajiciendum.

3 *Duas Hiſpanias.*] Citeriorem et ulteriorem. Qua de re Varro. *Cæſar reverſionem fecit, ne poſt occipitium in Hiſpania, exercitus qui erant relinquerent, quo ſe conjiceret Pompeius ut ancipiti urgeretur bello.*

4 *Duumviris municipiorum.*] Qui in oppidis publicas res gerebant. Vocamus *Eſchevins.*

5 *In Sardiniam.*] Sardinia maris Mediterranei inſula, Græce Σαρδώ, inter Italiam et Hiſpaniam fere media, tribus leucis à Corſica diſſita; à Saracenis diu occupata, quos inde ejecit Fredericus Siciliæ Rex anno Chriſti MCCCVI.

6 *Siciliam.*] Siciliæ vide deſcriptionem apud Plin. lib. iii. cap. 8. et Polyb. lib. i.

7 *M. Cotta.*] Cottarum gens in tres familias diviſa, Cottarum, Oreſtium, et Scaurorum. Quis hic fuerit, neſcitur.

8 *M. Cato.*] Is eſt M. Cato qui ab Uticâ, ubi diem obiit ſupremum, Uticenſis eſt dictus, vir ſanctiſſimus, conſtantiſſimus, et ſapientiſſimus Romanorum, M. Catonis qui tribunus plebis præturamque petens deceſſit, filius; Catonis majoris Cenſorii nepos digniſſimus. Portia erat de gente, quæ in familias tres erat diviſa, Liciniorum, Leccarum, et Catonum. Hujus vita diligenter à Plutarcho eſt conſcripta, ubi ejus geſta vide.

9 *Tubero.*] Is eſt Tubero qui Q. Ligarium accuſavit, quem Tuberonem miris modis exagitat Cicero in oratione pro Ligario. Eſt hic non levis ſuſpicio defectus. Plures enim fuiſſe eodem tempore miſſos narrat Appianus, nempe C. Antonium in Illyricum, Dolabellam et Hortenſium ad tutelam maris Ionii cum duplici claſſe, ut inacceſſibilem redderet Italiam Pompeio. Quo facto in Hiſpaniam tranſivit.

10 *Caralitani.*] Caralis metropolis Sardiniæ, *Cagliari.*

11 *Valerium.*] Is eſt M. Valerius Orca, ad quem mittitur lib. xiii. epiſtolarum Cic.

sponte ex oppido Cottam ejiciunt. Ille perterritus, quòd omnem provinciam consentire intelligeret, ex Sardiniâ in Africam profugit. Cato in Siciliâ naves longas veteres reficiebat: novas civitatibus imperabat: haec magno studio agebat: in [1] Lucanis, Brutiisque, per legatos suos civium Romanorum delectus habebat: equitum peditumque certum numerum à civitatibus Siciliae exigebat. Quibus rebus penè perfectis, [2] adventu Curionis cognito, queritur in concione, sese projectum ac proditum à Cn. Pompeio: qui, omnibus rebus imparatissimus, non necessarium bellum suscepisset; et ab se reliquisque in senatu interrogatus, omnia sibi esse ad bellum apta ac parata confirmâsset. Haec in concione questus, ex provinciâ fugit.

XXXI. Nacti vacuas ab imperiis, Sardiniam Valerius, Curio Siciliam, cum exercitibus eò perveniunt. Tubero, quum in Africam venisset, invenit in provinciâ cum imperio [3] Attium Varum; qui ad Auximum, ut suprà demonstravimus, amissis cohortibus, protinus ex fugâ in Africam pervenerat, atque eam suâ sponte vacuam occupaverat; delectuque habito, ii legiones effecerat, hominum et locorum notitiâ, et usu ejus provinciae, nactus aditus ad ea conanda, quòd paucis ante annis ex praeturâ eam provinciam obtinuerat. Hic venientem Uticam cum navibus [4] Tuberonem portu atque oppido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere in terram patitur, sed sublatis anchoris excedere eo loco cogit.

NOTÆ.

1 *Lucanisque, Brutiisque.*] Lucania hodie dicitur *Basilicata.* Brutii vero Calabri inferiores.

2 *Adventu Curionis cognito.*] Plutarchus non Curionem, sed Asinium Pollionem narrat in Siciliam advenisse, cujus adventu cognito monuerit Syracusanos ut saluti suæ consulant, se potentiori adjungentes. et nolentem illos bello implicare, sponte sua abnavigasse, quamquam posset in præsentia Asinium ex insulâ ejicere. Præmiserat ergo Curio Asinium Pollionem. Idem scripsit Appianus, et verisimile facit quod legitur passim in Ciceronis epistolis ad Attic. Curionem post discessum Cæsaris in Galliam apud Ciceronem in ejus villa mansisse, neque ante diem viii Kal. Maias in Siciliam profectum esse, lib. x. epist. 4 et aliis. Ideo autem à Cæsare tanta diligentia provisum est, ut occuparetur à suis Sicilia, quia frumentaria provincia est; unde frumentum plebi Romanæ dabatur, neque tuto in urbem ingredi poterat, nisi hoc esset ante perfectum, ut visum est, sequentibus annis, lapidibus Augustum victorem etiam à plebe exceptum esse, quia Siciliam à Sexto Pompeio occupari siverat. Ut enim inquit Lucanus lib. ii.

——*nescit plebs jejuna timere*

Emit itaque frumento metum; metui enim volebat. Atque hoc intererat inter Pompeium et Cæsarem, quod Pompeius à volentibus et libentibus coli et amari postularet: Cæsar vero nihil pensi habebat, modo imperaret invitis licet et odio prosequentibus, quod ipsi tandem perniciem attulit. Ita Dion. lib. xli. Ita Lucanus:

—— *gaudet tamen esse timori*
Tam magno populis, et se nec mallet amari

Siciliam, quæ toto belli civilis tempore quieta fuerat, latinitate donavit, ut videtur in epist. Ciceronis ad Attic.

3 *Attium Varum.*] De Attio Varo hæc habet Cicero in oratione pro Ligario: *Interim P. Attius Varus, qui prætor Africam obtinuerat, Uticam venit. Statim ad eum concursum est. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitæ nullo publico consilio deferebatur.*

4 *Tuberonem portu atque oppido prohibet.*] Hoc totum habetur in oratione Ciceronis pro Ligario, qui Attii Vari legatus erat: *Tardius pervenit in Africam, cum forte sua conjecta morbo teneretur.*

XXXII. His rebus confectis Caesar, ut reliquum tempus à labore intermitteretur, milites in proxima municipia deducit. [1] Ipse ad urbem proficiscitur. Coacto senatu, injurias inimicorum commemorat: docet, se nullum [2] extraordinarium honorem appetisse; sed, [3] exspectato legitimo tempore (consulatûs) eo fuisse contentum, quod omnibus civibus pateret: latum ab x tribunis plebis, contradicentibus inimicis, Catone verò acerrimè repugnante, et pristinâ consuetudine dicendi [4] morâ diem extrahente, [5] ut suî ratio absentis haberetur, ipso consule Pompeio: qui si improbâsset, cur fieri passus esset? sin probâsset, cur se uti populi beneficio prohibuisset? Patientiam proponit suam, [6] quum de exercitibus dimittendis ultro postulavisset; in quo jacturam dignitatis atque honoris ipse facturus esset. Acerbitatem inimicorum docet; qui, quod ab altero postularent, in se recusarent, atque omnia permisceri mallent, quàm imperium exercitusque dimittere. Injuriam in eripiendis legionibus praedicat; crudelitatem et insolentiam in [7] circumscribendis tribunis plebis; conditiones à se latas, et [8] expetita colloquia, et denegata, commemorat. Pro quibus rebus orat ac postulat, rempubl. suscipiant, atque unà secum administrent. Sin timore defugiant, illis se oneri non futurum, et per se rempublicam administraturum. Legatos ad Pompeium de compositione mitti opportere: neque se reformidare, quod in senatu paullò antè Pompeius dixisset, ad quos legati

NOTAE.

1 *Ipse ad urbem proficiscitur.*] Metu pavidam.

——fuit hæc mensura timoris,
Velle putant quodcumque potest. Lucan.

2 *Extraordinarium honorem appetisse.*] Extraordinarius honor is est, qui contra leges aut morem civitatis alicui confertur quasi extra ordinem, ut si quis ultra annum consulatum retineret, qui annuus esse deberet magistratus, aut ante x annum illum repeteret magistratum.

3 *Expectato legitimo tempore.*] Quia decennium erat ab eo tempore, quo consul cum M. Bibulo fuerat usque ad annum quo ambiebat, C. Marcello et L. Lentulo coss.

4 *Mora diem extrahente.*] Extrahere, eximere, tollere diem dicitur, quod pulchre norat facere Cato, teste Cicerone lib. iii. de legibus; testaturque hoc idem ab eo factum Plutarchus in vitâ Cæsaris, cum cerneret Cato multos à Cæsare consulatum simul et triumphum ex Hispaniâ petente esse delinitos, diem dicendo exemisse. Hoc idem testatur A. Gellius lib. iv. cap. 10. Plutarchus vero dicit illi vocem fuisse multam et copiosam, tonum vocis infractum, inexhaustumque per totum sæpe diem, perpetuo et sine intermissione locutum, et sine lassitudine desiisse. Unde intelligitur quod hic habet Cæsar.

5 *Ut sui ratio absentis habetur.*] Quanquam enim eo capite quo à petitione honorum absentes summovebat, ne Cæsarem quidem exciperet per oblivionem Pompeius, mox tamen lege jam in æs incisa (ut moris erat), et in ærarium condita correxit errorem. Quod fuit privilegium à Pompeio Cæsari concessum. Autor Suetonius.

6 *Quum de exercitibus dimittendis.*] Volebant enim ut exercitus à Cæsare dimitterentur, suos ipsi dimittere nolebant.

7 *Circumscribendis.*] Circumscribere nihil aliud est quam à foro, curiâ et Rep. removere, teste Orosio, ubi de illis scribit M. Antonium et Cassium trib. plebis pro Cæsare intercedentes, à Lentulo consule curiâ foroque prohibitos, ad Cæsarem profectos esse.

8 *Expetita colloquia.*] Expetita colloquia duo fuerunt, unum per L. Cæsarem et Roscium; alterum per Cn. Magium, ut demonstratum est.

mitterentur, iis auctoritatem attribui; timoremque eorum, qui mitterent, significari: tenuis atque infimi haec animi videri: se verò, ut opibus anteire studuerit, sic justitiâ et aequitate velle superare.

XXXIII. Probat rem senatus de mittendis legatis: sed, qui mitterentur, non reperiebantur: [1] maximèque timoris causâ pro se quisque id munus legationis recusabat. Pompeius enim discedens ab urbe in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romae remansissent, [2] et qui in castris Caesaris fuissent. Sic triduum disputationibus excusationibusque extrahitur. [3] Subjicitur etiam L. Metellus tribunus pleb. ad inimicis Caesaris, qui hanc rem distrahat, reliquasque res, quascumque agere insituerit, impediat. Cujus cognito

NOTÆ.

8 *Maximeque timoris caussa.*] Præter hanc caussam, aliam affert Plutarchus, quod secus Cæsarem sentire existimarent, et verbis tantum uti speciosis.

2 *Et qui in castris Caesaris fuissent.*] Qui enim in castris Cæsaris erant, eodem perduellionis crimine cum ipso tenebantur; atque adeo nihil erat tuti legatis Cæsaris ad Pompeium proficiscentibus.

3 *Subjicitur etiam Metellus.*] Obiter narrat quid in urbe egerit, sed non ut sacrum ærarium aperuerit. Quae fusius à Lucano, Plutarcho, Appiano referuntur, cum scilicet Metello intercedenti minatus mortem, dixit sibi hoc facere, quam dixisse esse facilius. Porro in sacro illo ærario ea pecunia erat recondita, quæ tumultus tantum Gallici caussa esset depromenda. Itaque optime Florus dixit: *Censum et patrimonium populi Rom. ante rapuit quam imperium.* Unde teste Plinio, protulit laterum aureorum xxv millia, et in numerato pondo ccc. Dicebat autem à Gallis nihil esse metuendum quos sustulisset. Illum Metellum μειράκιον adolescentem vocat Plutarchus. Quis vero fuerit, nescitur. Certe de illustri Cæciliorum gente et familia Metellorum, quæ omni honorum genere in Reipubl. floruit. Cujus ponderis essent illi lateris aurei quia indictum reliquit Plinius, scire quoque parum juvat. Alius aliter suspicatur. Tantum conjecturæ suspicionique tribuitur à Budæo, ut aliter legat quam scriptum. Nempe protulit laterum aureorum xv millia, argentorum xxxv millia, et in numero sestertium quadringenties. Orosius sublatas scribit à Cæsare iv mille et centum et triginta libras auri, et nongentas argenti; cui et consentit Eutropius in auri summa, in argenti vero numero dissentit, statuit enim non nongentas libras, sed nongenta millia. Sed totam rem nummariam seu pecuniariam evertit auri argentique copia vel penuria, quæ aliis aliis fuit temporibus. Si enim paucum sit aurum, parvo omnia væneunt, contra magno venduntur, si sit magna eorum metallorum copia. Sic Hispanis postridie secundi prœlii quo Atabalipam regem et omnes ejus thesauros ceperunt, emendum fuit per unum ocrearum coriacearum cↃ libras Tur. quod pridie forte xl assibus nostris emptum fuerat. Adde faciles lapsus in notis numerorum, quibus etiam tota illa ratio depravata est. Itaque longe melius est totum illud omittere; præsertim cum nec nostra nec reip. intersit, nec ad mores quicquam pertineat emendandos, quam in utilitatem omnes convertendi sunt legentium et lucubrantium labores, studiaret vigiliæ. Consulatur in hanc rem aureus Budæi liber de asse, qui quicquid fuit ingenii, quod certe fuit maximum, in hanc rem cognoscendam impendit, si non perutili, at permagno certe conatu. Quicquid autem inde eruerit Cæsar, cito fuisse exhaustum patet ex hoc libro, ubi legitur à tribunis mil. centurionibusque mutuas pecunias sumpsisse, has exercitui distribuisse. Quo facto duas res consecutus est, quod pignore animos centuriorum devinxit, et largitione militum animos redemit. Item ex Suetonio qui cap. 68. narrat. ingresso civile bellum, centuriones cujusque legionis singulos equites ex suo viatico obtulisse, et sine frumento stipendioque universi milites gratuitam operam. Porro idem factum à Scipione legimus apud Val. Max. lib. iii *Cum enim ad necessarium reipub. usum pecuniam ex ærario promi opus esset, idque quæstores, quia lex obstare videretur, aperire non auderent, privatus claves poposcit: patefactoque aerario legem utilitati cedere coëgit.* Sed hæc longe dispar ratio.

consilio, Caesar, frustra diebus aliquot consumptis, ne reliquum tempus omittat, infectis iis, quæ agere destinaverat, [1] ab urbe proficiscitur, atque in ulteriorem Galliam pervenit.

XXXIV. Quo quum venisset, cognoscit missum in Hispaniam à Pompeio Vibullium Rufum, quem paucis diebus antè Corfinii captum dimiserat: profectum item Domitium ad occupandam Massiliam navibus actuariis vii, quas [2] Igili et in Cosano à privatis coactas servis, libertis, [3] colonis suis compleverat: praemissos etiam legatos Massilienses domi nobiles adolescentes; quos ab urbe discedens Pompeius erat adhortatus, ne nova Caesaris officia veterum suorum beneficiorum in eos memoriam expellerent. Quibus mandatis acceptis, [4] Massilienses portas Caesari clauserant: [5] Albicos, barbaros homines, qui in eorum fide antiquitùs erant, montesque supra Massiliam incolebant, ad se vocaverant: frumentum ex finitimis regionibus, atque ex omnibus castellis, in urbem convexerant: [6] armorum officinas in urbe instituerant: muros, classem portasque refecerant.

XXXV. Evocat ad se Caesar Massiliensium [7] xv primos: cum his agit, ne initium inferendi belli à Massiliensibus oriatur: debere eos Italiae totius auctoritatem sequi potiùs, quàm unius hominis voluntati obtemperare. Reliqua, quae ad eorum sanandas mentes pertinere arbitrabatur, commemorat. Cujus orationem domum legati referunt; atque ex auctoritate haec Caesari renuntiant: intelligere se, divisum esse pop. R. in partes duas; neque sui judicii, neque suarum esse virium discernere, utra pars justiorem habeat caussam: [8] principes verò

NOTÆ.

1 *Ab urbe proficiscitur.*] Quod antequam fecit, illi M. Lepidum præfecit, M. Antonium Italiæ, relictoque ibi exercitu, Siciliæ Curionem, Sardinia Valerium, Illyrico C. Antonium, Licinium Crassum citeriori Galliæ. Curio apud Ciceronem epist. 4. lib. x. ad Attic. dicit Cæsarem *perturbatum, quod intelligeret se apud ipsum plebem offendisse de ærario, itaque ei cum certissimum fuisset concionem habere, ausum non esse, vehementerque animo perturbato profectum.*

2 *Igili et in Casano.*] Casa fuit urbs opposita Igilio. Sic enim scribit Plinius: *Item insulæ Igilium et Dianium, quam Artemisiam dixere, ambæ contra Cosanum littus.*

3 *Colonis.*] Colonis dicit Cæsar, quibus Domitius agros de suis possessionibus, et latifundiis attribuerat.

4 *Massilienses portas*, &c.] Stultitiam Massiliensium nemo melius Velleio Paterculo indicat: *Festinationem itineris Cæsariani aliquandiu morata est Massilia, fide melior quam consilio prudentior, intempestive principalium armorum arbitria captans, quibus ii se debent interponere, qui non parentem coercere possunt.*

5 *Albicos.*] De Albicis vide infra.

6 *Armorum officinas*] Hæ sunt quas sequentibus temporibus fabricas appellabant, quas habebant, ut ait Veget. lib. ii. cap. ii. *Scutarias, loricarias, alcuarias, in quibus sagittæ, missilia, cassides, omniaque armorum genera formabantur.* Nec alibi quam in illis publicis fabricis et à fabris publicis, id est, qui annona publica sustentabantur, fieri licebat arcus, sagittas, spathas, contos, loricas, ut videre est ex Novella lxxxv. Justiniani. A privatis autem nihil fabricari aut vendi poterat, nisi cultelli breves, quos nemo ad belli usum adhiberet.

7 xv. *primos.*] Proprio nomine τιμούχους vocabant Massilienses, id est, *honorem habentes*, teste Strabone lib. iv.

8 *Principes vero esse earum partium*, &c.] Charisius lib i. scribit Cæsarem lib. de Analogia qui periit, censere dici opportere *earum partum*, et non *partium.*

esse earum partium Cn. Pompeium, et C. Caesarem, patronos civitatis: quorum alter agros [1] Volcarum Arecomicorum et [2] Helviorum publicè iis concesserit; [3] alter bello victas Gallias attribuerit, vectigaliaque auxerit. Quare paribus eorum beneficiis parem se quoque voluntatem tribuere debere, et neutrum eorum contra alterum juvare, aut urbe aut portibus recipere.

XXXVI. Haec dum inter eos aguntur, Domitius navibus [4] Massiliam pervenit, atque ab iis receptus, urbi praeficitur. Summa ei belli administrandi permittitur. Ejus imperio classem quoquoversus dimittunt: onerarias naves, quas ubique possunt, deprehendunt, atque in portum deducunt: earum clavis, aut materiâ, atque [5] armamentis instructis ad reliquas armandas reficiendasque utuntur: frumenti quod inventum est, in publicum conferunt: reliquas merces commeatusque ad obsidionem urbis, si accidat, reservant. Quibus injuriis permotus Caesar, legiones iii Massiliam adducit: turres, vineasque ad oppugnationem urbis agere, naves longas [6] Arelate numero xii facere instituit. Quibus effectis armatisque diebus xxx. à quâ die materia caesa est, adductisque Massiliam, his [7] D. Brutum praeficit: [8] C. Trebonium legatum ad oppugnationem Massiliae relinquit.

XXXVII. Dum haec parat atque administrat, C. Fabium legatum cum legionibus iii, quas [9] Narbone, circumque ea loca, hiemandi caussâ disposuerat, in Hispaniam praemittit: celeriterque Pyrenaeos

NOTÆ.

1 *Volcarum Arecomicorum.*] Volcarum Arecomicorum Ptolemæo caput eſt Nemauſum, *Niſmes.*

2 *Helviorum.*] Helvii qui nunc *Vivarais*, caput habent Album Helviorum, nunc *Viviers*, de qua re ſupra. Strabo Volcas privatam remp. ſuo tempore habuiſſe ſcripſit. Veriſimile eſt hanc noſtri Cæſaris habuiſſe beneficio, qui eos victis Maſſilienſibus ademerit, et libertate donârit.

3 *Alter bello victas Gallias, &c.*] Mendoſus locus, qui niſi reſtituatur, non poteſt intelligi. Lege *victos Salyas*, qui antiqui Maſſilienſium hoſtes domiti, tandem eis fuerant attributi. Qui ſint Salyes, docet Plinius lib. iii. cap. 4. *Aquæ Sextiæ Salyorum*, *Aix.* Idem habet Strabo lib. de iis ſupra.

4 *Maſſiliam.*] Maſſilia clariſſima urbs, unde tota in Galliam humanitas, litteratura, et philoſophia profluxit. Phocæorum in Aſia colonia Perſicam ſervitutem fugientium petroſo in loco ſita, ut ait Strabo. Nomen fere retinet, *Marſeille.*

5 *Armamentis.*] Armamenta ſunt mali, antennæ, vela; Gallice, *Equipage.*

6 *Arelate.*] Dicitur et Arelatum et Arelas, urbs antiqua, in qua poſtea diu Imperatores Rom ſedem habuerunt. Eſt ad Rhodanum ſitâ. *Multarum civitatum decus*, Marcellino: *Gallula Roma*, Auſonio dicitur.

7 *D. Brutum.*] Is Decius Brutus peritus rei navalis erat, ut videtur. Jam enim Venetico bello navibus præfectus fuerat, ut legitur lib. iv. de bello Gallico. Ex Juniorum Plebeia familia, ab Aulo Poſthumio Albino adoptatus, Albini nomen ſumpſerat, inter ſecundos hæredes à Cæſare ſcriptus, et in ſequentem annum conſul deſignatus; tamen cum M. Bruto et Caſſio cædis ejus particeps fuit, tantamque illis operam navavit, ut et ſomniis Calpurniæ uxoris exire cunctantem, domo prodire coegerit, et M. Antonium qui auxilio eſſe poterat, longioribus conſulto ſermonibus extra curiam, dum cædes patratur, detinuerit: poſtea vero ab eodem M. Antonio Mutinæ obſeſſus, effugit; ſed dum in Macedoniam ad M. Brutum contendit, in itinere à quodam Furio juſſu ejuſdem Antonii fuit interfectus.

8 *C. Trebonium.*] De Trebonio ſupra dictum

9 *Narbone.*] De Narbone item ſupra dictum.

saltus occupari jubet: qui eo tempore ab L. Afranio legato praesidiis tenebantur. Legiones reliquas, quae longiùs hiemabant, subsequi jubet. Fabius, ut erat imperatum, adhibitâ celeritate, praesidium ex saltu dejecit, magnisque itineribus ad exercitum Afranii contendit.

XXXVIII. Adventu Vibullii Rufi, quem à Pompeio missum in Hispaniam demonstratum est, [1] Afranius, et Petreius, et [2] Varro, legati Pompeii, (quorum unus iii legionibus, [3] Hispaniam citeriorem, alter à saltu Castulonensi ad [4] Anam ii legionibus, tertius ab Anâ [5] Vettonum agrum [6] Lusitaniamque pari numero legionum obtinebat;) officia inter se partiuntur; ut Petreius ex Lusitaniâ per Vettones cum omnibus copiis ad Afranium proficiscatur; Varro cum iis, quas

NOTÆ.

1 *Afranius et Petreius.*] De Afranio et Petreio, quia eſt in his libris perſcriptum, quid nempe geſſerint, et quo fato perierint, nihil attinet dicere, niſi Afranium Pompeii legatum Phraati Corduenen eripuiſſe, conſulemque fuiſſe cum Metello Celere, anno DCXCIV.

2 *Varro.*] De M. Terentio Varrone quia hic pauca ut de hoſte dicuntur, magnique fuit vir nominis, eſt aliquid dicendum. Is bello Piratico legatus Pompeii fuerat, à quo navali ſive roſtratâ corona donatus, teſte Plinio, quæ maxime celebris eâ tempeſtate fuit. Inde legatus ejus in Hiſpania, unde eſt à Cæſare expulſus. Inde totus in litteris occupatus, quibus ſic excelluit, ut ejus operam ipſe Cæſar deſideraverit poſtea, atque adhibuerit, cum bibliothecas Græcas et Latinas quam maximas poſſet publicare voluit, quarum curam comparandarum ac dirigendarum illi dedit, teſte Suetonio: neque ſic tamen triumviralem proſcriptionem vitare potuit, ſed amicorum diligenti opera certatim ſervatus, et à Caleno, de quo in his libris crebro fit mentio, abditus in villa delituit, donec primus proſcriptionis impetus deferbuit, diuque poſtea vixit. lxxxi enim vitæ annum agens, libros de agricultura quos habemus ſcripſit, teſte Plinio, ſcribendique et vivendi eundem finem fecit, teſte Val. Max. lib. viii. cap. 7. Lactantius lib. 1. inſtit. ſcribit eo neminem unquam doctiorem, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos vixiſſe. Sed nec omittendum Quintiliani de eo judicium: *Terentius Varro vir Romanorum eruditiſſimus, plurimos hic libros et doctiſſimos compoſuit, peritiſſimus linguæ Latinæ, et omnis antiquitatis, et rerum Græcarum noſtrarumque plus tamen ſcientiæ collaturus quam eloquentiæ.*

3 *Hiſpaniam citeriorem.*] Hiſpaniam Romani ubi obtinuerant à ſe devictam, in partes duas diviſerant, quarum unam citeriorem, alteram ulteriorem appellaverunt. Primam partem à montibus Pyrenæis ad ſaltum Caſtulonenſem produxerunt: quæ ultra hunc terminum, dicta fuit ulterior. Caſtulo porro urbs eſt Oretanorum in citeriore Hiſpania ad Anam flumen, ſed ignoratur. Caſtulonenſes, teſte Plinio, dicuntur Cæſari venales, qua de cauſa neſcio. Quibuſdam eſt *Caſlona*, quæ olim habuit epiſcopum, nunc caret.

4 *Anam.*] Anas fluvius, nunc dicitur *Guadiana.* Sic de eo Plinius lib iii. cap. 1. *Boeticæ latere ſeptentrionali prætenditur Luſitania amne Ana diſcreta. Ortus hic Laminitano agro citeriores Hiſpaniæ, et modo ſe in ſtagna fundens, modo in anguſtias reſorbens, aut in totum cuniculis condens, et ſæpius naſci gaudens, in Atlanticum Oceanum effunditur. Guadiana* ab Arabico vocabulo *Guad*, quod amnem ſignificat, et *Ana.* Quidam negant id quod ſentit Plinius de Ana niſi opinione vulgi conſtare, cum non eadem erumpat rurſus, ſed alia aqua.

5 *Vettonum agrum.*] Vettones incolebant illam regionem, quæ poſtea dicta eſt Legio, *Leon.* Siquidem Plinius ab Aſturibus Durio amne diſterminari ſcribit. Citeriores certe ſunt Hiſpaniæ. Ulterior Hiſpania, quæ Varroni erat tradita, item altera quæ Vettonum et Luſitaniæ erat, ſingulæ duabus legionibus contentæ erant, quia remotiores erant à periculo objecto citerioris. Citerior verò, quæ propior erat Romanis, tribus legionibus defendebatur.

9 *Luſitaniam.*] Luſitania nunc *Portugal* à Gallis, qui in illos portus appulerunt, regnumque ibi adepti ſunt.

habebat, legionibus omnem ulteriorem Hispaniam tuebatur. His rebus constitutis, equites auxiliaque toti Lusitaniae à Petreio, [1] Celtiberis, [2] Cantabris, barbarisque omnibus, qui ad Oceanum pertinent, ab Afranio imperantur. Quibus coactis, celeriter Petreius per Vettones ad Afranium pervenit. Constituunt communi consilio, bellum ad [3] Ilerdam, propter ipsius loci opportunitatem, gerere.

XXXIX. Erant, ut suprà demonstratum est, legiones Afranii iii. Petreii ii. [4] Praeterea scutatae citerioris provinciae, et cetratae ulterioris Hispaniae cohortes circiter lxxx, equitum utriusque provinciae circiter v millia. [5] Caesar legiones in Hispaniam praemiserat, ad vi millia auxilia peditum, equitum iii millia, quae omnibus superioribus bellis habuerat, et parem ex Galliâ numerum, quem ipse paraverat, nominatim ex omnibus civitatibus, nobilissimo ac fortissimo quoque evocato. Hinc optimi generis hominum ex Aquitanis [6] montanisque, qui Galliam provinciam attingunt. Audierat Pompeium per [7] Mauritaniam

NOTÆ.

1 *Celtiberis.*] Celtiberos aliqui Castellæ veteri, plerique Valentiæ assignant, sed male. Eorum fines ignorantur. Per eorum fines ferri dicuntur Tagus, Anas Durius. Itaque fuerint Castellani novi, Livius lib. xxviii. Celtiberiam dicit esse inter duo maria mediam. De iis Lucanus:

——profugique à gente vetusta
Gallorum, Celtæ miscentes nomen Iberis.

Apud ipsos fuit Numantia.

2 *Cantabris.*] Cantabri qui sint, docet Plinius lib. ii. cap. 4. qui scribit Iberum ortum in Cantabris. Præterea Cantabricus dicitur Oceanus, qui Gallæciam alluit, junguntur etiam Asturibus. Cantabria itaque fuerit Gallæcia, Biscaia, et aliæ ultimæ provinciæ. Ultimi omnium domiti sub Augusto fuere à Romanis Cantabri.

3 *Ilerdam.*]. Ilerda urbs notissima, hodie dicitur nonnihil mutato nomine *Lerida.* Juxta hanc Sicoris fluvius, ut ait Plinius, qui hodie dicitur, *la Segre*, hujus situs describitur à Lucano lib. iii.

4 *Præterea scutatæ*, &c] Ulteriores tantum Hispani cetra sunt usi. Nam ut tradunt Polybius et T. Livius, Hispanorum et Gallorum scutum erat simile. Cetras etiam Britannis tribuit Tacitus. Erant illa scuta in cordis humani effigiem aliqua ex parte efformata. Satis dubia nobis sunt instrumenta, quæ ex hominum pendent arbitrio, quæ vidisse præstaret quam legisse. Clypeus tamen ex Virgilio rotundus erat, scutum verò oblongum Scutorum verò multiformia fuere genera; sunt enim quadrata, sunt et alia. Certe T. Livius nostris similia Samnitum describit: *Scuta alterius exercitus auro, alterius argento celaverant; forma erat scuti summum latius quâ pectus atque humeri teguntur, fastigio equali, ad summum cuneatior mobilitatis causa.* Cetra vero scutum breve, ut ait Nonius. Tamen T. Livius majora fuisse scribit, lib. xxi. *Siquidem Hispani sine ulla mole in utres vestimentis conjectis, ipsi cetris superpositis incumbentes flumen transnatavere.* Quas cetras idem autor cum peltis confundit, lib. xxviii. *Pelta cetræ haud dissimilis est.* Et lib. xxxi. *Cetratos quos peltastas vocant.* Virgilius verò lunatam fuisse peltam scribit:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, &c.

Quid si Amazonum tales fuere peltæ, aliorum populorum, Hispanorum v. g. non item. Ista enim omnia arbitrio hominum variantur. Consentiunt tamen Nonio Isidorus qui *scutum brevissimum* dicit, et Suidas πέλτη μικρά τίς ἐστιν ἀσπιδίσκη καὶ κούφη. *Parvus clypeolus et levis.*

5 *Cæsar legiones in Hispaniam præmiserat.*] Legendum videtur, *Cæsar legiones in Hispaniam præmiserat ad* vi *millia auxilia peditum*, ut ex sequentibus judicatur.

6 *Montanisque.*] Qui non alii sunt quam Cebennæ montis incolæ, sive Arverni sint, sive alii.

7 *Mauritaniam*] De Mauritania supra dictum

cum legionibus iter in Hispaniam facere, confestimque esse venturum: simul à tribunis mil. centurionibusque mutuas pecunias sumpsit. Has exercitui distribuit. Quo facto, duas res consecutus est, [1] quod pignore animos centurionum devinxit, et largitione redemit militum voluntates.

XL. Fabius finitimarum civitatum animos litteris nuntiisque tentabat. In Sicore flumine pontes effecerat duos, inter se distantes millia passuum iv. His pontibus pabulatum mittebat; quòd ea, quae citra flumen fuerant, superioribus diebus consumpserat. Hoc idem ferè, atque eâdem de causâ, Pompeiani exercitûs duces faciebant; crebròque inter se equestribus prœliis contendebant. Huc cùm quotidianâ consuetudine [congressae] pabulatoribus praesidio [proprio] legiones Fabianae ii flumen transîssent; impedimentaque et omnis equitatus sequeretur; [2] subitò, vi jumentorum, et aquae magnitudine, pons est interruptus, et reliqua multitudo equitum interclusa. Quo cognito [à Petreio, et Afranio] [3] ex aggere atque cratibus, quae flumine ferebantur, celeriter ponte Afranius, quem oppido castrisque conjunctum habebat, legiones iv equitatumque omnem transjecit, duabusque Fabianis occurrit legionibus. Cujus adventu nuntiato, [4] L. Plancus, qui legionibus praeerat, necessariâ re coactus, locum capit superiorem; [5] diversamque aciem in duas partes constituit: ne ab equitatu circumveniri posset. Ita, [6] congressus impari numero, magnos impetus legionem equitatusque sustinet. Commisso ab equitibus prœlio, signa ii legionum procul ab utrisque conspiciuntur, quas C. Fabius ulteriore ponte subsidio nostris miserat, suspicatus fore id, quod accidit, ut duces adversariorum occasione et beneficio fortunae ad nostros opprimendos uterentur:

NOTÆ.

1 *Quod pignore animus centurionum devinxit.*] Præclarum ſtratagema. Timebat enim centuriones, ne ſi res male cederent Cæſari, non poſſet æs alienum diſſolvere: itaque toto animo in ejus partes ſuſtentandas et amplificandas incumbebant. Sic Edvardus iii. Angliæ Rex, redemptis hoc modo voluntatibus Londinenſium, in urbem inductus et Richardum adverſarium ſuum pepulit. Autor Cominius in ſuâ hiſtoriâ.

2 *Subito, vi jumentorum.*] Oroſius legit. *ſubita vi ventorum.* Et ipſe Cæſar paulo poſt: *Pons, qui fuerat tempeſtate interruptus, pene erat refectus.* Dio item lib. xli. idem ſcribit.

3 *Ex aggere atque cratibus,*] Agger hic perſpicue ſumitur pro lignis et ſublicis, quibus ille pons conſtabat.

4 *L. Plancus qui legionibus præerat.*] Planci à planitie pedum dicti, ut enim ait Feſtus, Plancæ tabulæ planæ, ob quam cauſam Planci appellantur, qui ſupra modum peditus plani ſunt. Is eſt de quo Cæſar, in v. lib. tanquam de legato mentionem facit, qui occiſo Cæſare, ſe cum Antonio et Lepido conjunxit, quique cum Lepido conſul fuit, quo tempore, ambo de Gallis aliquot rebellibus triumphârunt; quo in triumpho milites inter jocularia carmina, quibus currum triumphalem proſequuntur, hoc pronuntiabant: De Germanis, non de Gallis duo triumphant conſules, quia in triumvirali proſcriptione, uterque proprium fratrem proſcripſerat. Is Lugduni in Gallia conditor fuiſſe perhibetur. Quod credere prohibet vetus quædam inſcriptio Caietæ, quæ teſtatur illum colonias deduxiſſe Lugunum et Rauricam.

5 *Diverſamque aciem in duas partes conſtituit.*] Fecit aciem ancipitem, ita ut utrinque eſſet hoſti oppoſita et adverſa.

6 *Congreſſus impari numero, &c.*] Dio teſtatur omnes illos fuiſſe inte fectos, cum nemo poſſet eis ſuccurrere.

quarum adventu proelium dirimitur, ac suas uterque legiones reducit in castra.

XLI. Eò biduo Caesar cum equitibus DCCCC, quos ibi praesidio reliquerat, in castra pervenit. Pons, qui fuerat tempestate interruptus, neque erat refectus, hunc noctu perfici jussit. Ipse, cognitâ locorum naturâ, ponti castrisque praesidio VI cohortes reliquit, atque omnia impedimenta: et postero die omnibus copiis, triplici instructâ acie, [1] ad Ilerdam proficiscitur, et sub castris Afranii constitit: et ibi paullisper sub armis moratus, facit aequo loco pugnandi potestatem. Potestate factâ Afranius copias educit, et in medio colle sub castris constitit. Caesar, ubi cognovit per Afranium stare, quo minùs prœlio dimicaretur, ab infimis radicibus montis, intermissis circiter passibus CCCC, castra facere constituit: et, ne in opere faciendo milites repentino hostium incursu exterrerentur, atque opere prohiberentur, vallo muniri vetuit, (quod eminere, et procul videri necesse erat.) Sed à fronte contra hostem pedum XV fossam fieri jussit. Prima et secunda acies in armis, ut ab initio constituta erat, permanebat. Post hos opus in occulto acies tertia faciebat. Sic omne priùs est perfectum, quàm intelligeretur ab Afranio castra muniri. Sub vesperum Cæsar intra hanc fossam legiones reducit, atque ibi sub armis proximâ nocte conquiescit.

XLII. Postero die omnem exercitum intra fossam continet: et, quòd [2] longiùs erat agger petendus, in praesentiâ similem rationem operis instituit; singulaque latera castrorum singulis attribuit legionibus munienda: fossasque ad eandem magnitudinem perfici jubet. Reliquas legiones in armis expeditas contra hostem constituit. Afranius Petreiusque, terrendi caussâ, atque operis impediendi, copias suas ad infimas montis radices producunt, et proelio lacessunt. Neque idcirco Caesar opus intermittit, confisus praesidio legionum III, et munitione fossae. Illi non diu commorati, nec longiùs ab infimo colle progressi copias in castra reducunt. Tertio die Caesar vallo castra communit: reliquas cohortes, quas in superioribus castris reliquerat, impedimentaque ad se transduci jubet.

XLIII. Erat inter oppidum Ilerdam, et proximum collem ubi castra Petreius atque Afranius habebant, [3] planitia circiter passuum CCC, atque in hoc ferè medio spatio tumulus erat paullò editior: quem si occupâsset Caesar, et communisset, ab oppido, et ponte, et

NOTÆ.

1 *Ad Ilerdam proficiscitur.*] De qua supra dictum, cujus situm sic describit Lucanus:

Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue solum tumulo, super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda manu, placidis prælabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes,
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu
Hibernas passurus aquas.
Nunc *Lerida.*

2 *Longius erat agger petendus*] Aggeris nomine materiam, vimina et fasces intelligit virgultorum.

3 *Planitia.*] Planitia antiquis scribebatur pro planities Ita mollitia pro mollities. Sicque legitur in antiqua interpretatione, quæ est reperta Romæ in porta Capena: *S. P. Q. R. clivum Martis pecunia publica in planitiam redigendum curavit.*

commeatu omni, quem in oppidum contulerant, se interclusurum adversarios confidebat. Hoc sperans, legiones iii ex castris educit: acieque in locis idoneis instructâ, unius legionis [1] antesignanos praecurrere, atque occupare eum tumulum, jubet. Quâ re cognitâ, celeriter, quae in statione pro castris erant Afrani cohortes, breviore itinere ad eundem occupandum locum mittuntur. Contenditur proelio, et quòd priùs in tumulum Afraniani venerant, nostri repelluntur; atque, aliis summissis subsidiis, terga vertere seque ad signa legionum recipere coguntur.

XLIV. Genus erat pugnae militum illorum, ut magno impetu primò procurrerent, audacter locum caperent, ordines suos non magnoperè servarent, rari dispersique pugnarent: si premerentur, pedem referre, et loco excedere non turpe existimarent, cum Lusitanis, reliquisque barbaris genere quodam pugnae assuefacti: quod fere fit, quibus quisque in locis miles inveteraverit, uti multùm earum regionum consuetudine moveatur. Haec tamen ratio nostros perturbat insuetos hujus generis pugnae. Circumire enim sese, ab aperto latere, procurrentibus singulis, arbitrabantur: ipsi autem suos ordines servare, neque ab signis discedere, neque sine gravi caussâ eum locum, quem ceperant, dimitti censuerant oportere. Itaque, perturbatis antesignanis, legio, quae in cornu constiterat, locum non tenuit, atque in proximum collem sese recepit.

XLV. Caesar, penè omni acie perterritâ, quod præter opinionem consuetudinemque acciderat, cohortatus suos, legionem ix subsidio ducit: hostem insolenter atque acriter nostros insequentem supprimit, rursusque terga vertere, seque ad oppidum Ilerdam recipere, et sub muro consistere cogit. Sed ix legionis milites elati sudio, dum sarcire acceptum detrimentum volunt, temerè insecuti fugientes, in locum iniquum progrediuntur, et sub montem, in quo erat oppidum positum, succedunt. Hinc se recipere quum vellent, rursus illi ex loco superiore nostros premebant. Praeruptus locus erat, utrâque ex parte directus, ac tantum in latitudinem patebat, ut tres instructae cohortes eum locum explerent; et neque subsidia à lateribus summitti, neque equites laborantibus usui esse possent. Ab oppido autem declivis locus tenui fastigio vergebat in longitudinem passuum circiter CCCC. Hac nostris erat receptus; quòd eò, incitati studio, inconsultiùs processerant. Hoc pugnabatur loco, et propter angustias iniquo, et quòd sub ipsis radicibus montis constiterant, ut nullum frustra telum in eos mitteretur: tamen virtute et patientiâ nitebantur, atque omnia vulnera sustinebant. Augebantur illis copiae; atque ex castris

NOTÆ.

1 *Antesignanos.*] Ante signa vallum quoddam erat objectum militum, qui antesignani propterea erant dicti. Modestus: *Ante signa et circa signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, principes vocabantur, hoc est ordinarii, cæterique principales.* Hastati vero sic dicti, quod ante præcipua signa legiones essent; nempe ante Aquilam, quæ apud Triarios erat.

cohortes per oppidum crebrò submittebantur; ut integri defessis succederent. Hoc idem Caesar facere cogebatur: ut, submissis in eundem locum cohortibus, defessos reciperet.

XLVI. Hoc quum esset modo pugnatum continenter horis v. nostrique graviùs à multitudine premerentur; consumptis omnibus telis, gladiis districtis, impetum adversus montem in cohortes faciunt: paucisque dejectis, reliquos sese convertere cogunt. Summotis sub murum cohortibus, ac nonnullâ parte propter terrorem in oppidum compulsis, facilis est nostris receptus datus. Equitatus autem noster ab utroque latere, etsi dejectis aut inferioribus locis constiterat, tamen in summum jugum virtute connititur, atque inter duas acies perequitans, commodiorem ac tutiorem nostris receptum dat. Ita vario certamine pugnatum est. Nostri in primo congressu circiter lxx ceciderunt, in his Q. Fulginius [1] ex primo hastato legionis xiv, qui, propter eximiam virtutem, ex inferioribus ordinibus in eum locum pervenerat. Vulnerantur amplius DC. Ex Afranianis interficiuntur T. Caecilius, primipili centurio, et, praeter eum, centuriones iv, milites amplius CC.

XLVII. Sed haec ejus diei praefertur opinio, ut se utrique superiores discessisse existimarent: Afraniani, quòd, quum esse omnium judicio inferiores viderentur, cominùs tamen diu stetissent, et nostrorum impetum sustinuissent, et initio locum tumulumque tenuissent, quae caussa pugnandi fuerat: et nostros primo congressu terga vertere coëgissent: nostri autem, quòd iniquo loco, atque impari congressi numero, v horis proelium sustinuissent, quòd montem gladiis districtis adscendissent, quòd ex loco superiore terga vertere adversarios coëgissent, atque in oppidum compulissent. Illi eum tumulum, pro quo pugnatum est, magnis operibus munierunt; praesidiumque ibi posuerunt.

XLVIII. Accidit etiam repentinum incommodum biduo, quo haec gesta sunt. Tanta enim [2] tempestas cooritur, ut nunquam illis locis majores aquas fuisse constaret. Tum autem ex omnibus montibus nix profluit, ac summas ripas fluminis superavit; pontesque ambos, quos C. Fabius fecerat, uno die interrupit. Quae res magnos difficultates exercitui Caesaris attulit. [3] Castra enim, ut supra demonstratum est, quum essent inter flumina duo, Sicorim, et Cingam,

NOTAE.

1 *Ex primo hastato.*] Lipsius suspicatur esse mendum, et esse legendum, *Q. Fulginius centurio primi hastati*, causamque corruptioni dedisse notam, qua vulgo scribuntur centuriones, et curvari in modum vitei flagelli. Nam vitis insignis centurionum. Id in x litteram et praepositionem EX transiisse non novum. Habet de illo Vegetius haec verba: *Primus hastatus duas centurias, id est, ducentos milites ducebat in acie secunda, quem nunc ducenarium vocant.* Hastati porro dicti, quod primo hastis pugnarent, sed mutata pugnandi ratione, mansit nomen. Pilis enim gladiis pugnabant. Illi hastati adolescentes erant, ut principes, viri, aut viris proximi, triarii vero grandes et maturi, quibus tribus ordinibus constabant singulae cohortes.

2 *Tempestas.*] Liquatis sole nivibus.

3 *Castra enim, ut supra demonstratum est, quum essent inter flumina duo, Sicorim, et Cingam.*] Aut Caesar non meminerit, aut ea pars libri nobis perierit: Cingae enim fluvii nulla hactenus facta est mentio, qui in Iberum influit, dicitur *Cinga*. Sicoris, *la Segre*.

spatio millium xxx, neutrum horum transiri poterat; nécessarioque omnes his angustiis continebantur. Neque civitates, quae ad Caesaris amicitiam accesserant, frumentum supportare; neque ii, qui pabulatum longiùs progressi erant, interclusi fluminibus, reverti; neque maximi comitatus, qui ex Italiâ Galliâque veniebant, in castra pervenire poterant. Tempus autem erat anni difficillimum, quo neque frumenta in herbis erant, neque multum à maturitate aberant: ac civitates exinanitae, quòd Afranius penè omne frumentum, ante Caesaris adventum, Ilerdam convexerat; reliqui si quid fuerat, Caesar superioribus diebus consumpserat: pecora, quod secundum poterat esse inopiae subsidium, propter bellum finitimae civitates longiùs removerant: qui erant pabulandi aut frumentandi caussâ progressi, hos levis armaturae Lusitani, peritique earum regionum cetrati citerioris Hispaniae consectabantur; quibus erat proclive transnare flumen, quòd consuetudo eorum omnium est, [1] ut sine utribus ad exercitum non eant.

XLIX. At exercitus Afranii omnium rerum abundabat copiâ. Multum erat frumentum provisum et convectum superioribus temporibus: multum ex omni provinciâ comportabatur: magna copia pabuli suppetebat. Harum rerum omnium facultates sine ullo periculo pons Ilerdae praebebat, et loca trans flumen integra, quò omnino Caesar adire non poterat.

L. Eae permanserunt aquae dies complures. Conatus est Caesar reficere pontes. Sed nec magnitudo fluminis permittebat; neque ad ripam dispositae cohortes adversariorum perfici patiebantur: quod illis prohibere erat facile, tum ipsius fluminis naturâ, atque aquae magnitudine, tum quòd ex totis ripis in unum atque angustum locum tela jaciebantur: atque erat difficile, eodem tempore rapidissimo flumine opera perficere, et tela vitare.

LI. Nuntiatur Afranio, magnos comitatus, qui iter habebant ad Caesarem, ad flumen constitisse. Venerant eo sagittarii ex Ruthenis, equites ex Galliâ, cum multis carris magnisque impedimentis, ut fert Gallica consuetudo. Erant praeterea cujusque generis hominum millia circiter vi, cum servis liberisque. Sed nullus ordo, nullum imperium certum, quum suo quisque consilio uteretur, [2] atque omnes sine timore iter facerent, usi superiorum temporum atque itinerum licentiâ. Erant complures honesti adolescentes, senatorum filii, et equestris ordinis: erant legationes civitatum; erant legati Caesaris. Hos omnes flumina continebant. Ad hos opprimendos cum omni equitatu, tribusque legionibus, Afranius de nocte proficiscitur,

NOTAE.

1 *Ut sine utribus, &c.*] Quamvis esset pons, id tamen à Caesare commemoratur, quia erant hoc modo longe ad sequendos hostes ipsi paratiores, non quaesito ponte per circuitum. Utres porro illi inflati sustinebant natantium corpora. Livius decad. iii. lib. iii. *Hispani sine ullâ morâ in utres vestimentis conjectis, ipsi ceteris suppositis incumbentes flumen transnatavere.* Item, *Hispanos inflati transvexerint utres.*

2 *Atque omnes, &c.*] Cum nondum esset hostis propinquus, liberiúsque iter facerent.

Imprudentesque antemissis equitibus aggreditur: celeriter tamen sese Galli equites expediunt, proeliumque committunt. Hi, dum pari certamine res geri potuit, magnum hostium numerum pauci sustinuere; sed, ubi signa legionum appropinquare coeperunt, paucis amissis, sese in montes proximos conferunt. Hoc pugnae tempus magnum attulit nostris ad salutem momentum. Nacti enim spatium, se in loca superiora receperunt. Desiderati sunt eo die sagittarii circiter cc, equites pauci; calonum atque impedimentorum non magnus numerus.

LII. His tamen omnibus annona crevit; quae ferè res inopiâ non solum praesentis, sed etiam futuri temporis timore, ingravescere consuevit. [1] Jamque ad denarios L in singulos modios annona pervenerat, et militum vires inopia frumenti diminuerat, atque incommoda in dies augebantur; et tam paucis diebus magna erat rerum facta commutatio, ac se fortuna inclinaverat, ut nostri magnâ inopiâ necessariarum rerum conflictarentur: illi omnibus abundarent rebus, superioresque haberentur. Caesar iis civitatibus, quae ad ejus amicitiam accesserant, quo minor erat frumenti copia, pecus imperabat; calones ad longinquiores civitates dimittebat. Ipse praesentem inopiam, quibus poterat subsidiis, tutabatur.

LIII. Haec Afranius Petreiusque, et eorum amici, pleniora etiam atque uberiora Romam ad suos perscribebant. Multa rumor fingebat: ut penè bellum confectum videretur. Quibus literis nuntiisque Romam perlatis, [2] magni domum concursus ad Afranium, magnae gratulationes fiebant: multi ex Italiâ ad Cn. Pompeium proficiscebantur; [3] alii, ut principes talem nuntium attulisse; alii, ne eventum belli exspectâsse, aut ex omnibus novissimi venisse viderentur.

LIV. Quum in his angustiis res esset; atque omnes viae ab Afranianis militibus equitibusque obsiderentur; nec pontes perfici possent; [4] imperat militibus Caesar, ut naves faciant, cujus generis eum superioribus annis usus Britanniae docuerat. Carinae primùm ac sta-

NOTAE.

1 *Jamque ad denarios* L. *in singulos modios annona pervenerat.*] Modius quod mensurae genus fuerit, accuratè exactéque sciri non potest. Ac nostrum tamen *boisseau* accedere ex multis fit verisimile: quorum pauca delibare licet. Columella dicit bobus aratoriis plerumque singulis sufficere singulos modios glandis et paleae ad satietatem datae, qui modus adhuc sufficere solet. Praeterea ait Plinius, lib. xviii. cap. 7. *In transpadana Italia scio vicenas quinas libras modios pendere.* Paulo supra dicit, farre esse ponderosius triticum. Porro libra Romana xii. tantùm habebat uncias non xvi. ut nostra. Itaque non plus penderet noster modius quam xx libras, quod pondus solet pendere noster *boisseau.* Denarius Romanus valebat denos asses, id est v solidos nostrae monetae. Itaque pervenerat ad xv libras turonenses nostrae monetae modius in illâ caritate, cum apud Siculos in summa vilitate iii denariis emeretur.

2 *Magni domum concursus ad Afranium*, &c.] Ita Terent. in Eunucho: *Eamus ad me.*

3 *Alii, ut principes talem nuntium attulisse.*] Nuntius cum pro eo qui nuntiat, tum pro ea re quae nuntiatur, ut docet Festus Pompeius, et post eum Laurentius Valla.

4 *Imperat militibus Caesar, ut naves faciant.*] Sic id à Lucano describitur:

Utque habuit ripas Sicoris, camposque reliquit,
Primum cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, caesoque induta juvenco,
Vectoris patiens, tumidum superemicat amnem.
Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
Navigat Oceano: sic cum tenet omnia Nilus,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

tumina ex levi materia fiebant: reliquum corpus navium, viminibus contextum, coriis integebatur. Has perfectas carris junctis devehit noctu millia passuum a castris xxii: militesque his navibus flumen transportat; continentemque ripae collem improviso occupat. Hunc celeriter, priùs quàm ab adversariis sentiatur, communit. Huc legionem postea transducit; atque ex utraque parte pontem institutum perficit biduo. Ita comitatus et qui frumenti causâ processerant, tutò ad se recipit; et rem frumentariam expedire incipit.

LV. Eodem die equitum magnam partem flumen transjecit: qui inopinantes pabulatores, et sine ullo dissipatos timore aggressi, quàm maximum numerum jumentorum atque hominum intercipiunt: cohortibusque cetratis subsidio missis, scienter in duas partes sese distribuunt; alii, ut praedae subsidio sint; alii, ut venientibus resistant, atque eos propellant: unamque cohortem, quae temerè ante caeteras extra aciem procurrerat, seclusam à reliquis circumveniunt, atque interficiunt; incolumesque cum magnâ praedâ eodem ponte in castra revertuntur.

LVI. Dum haec ad Ilerdam geruntur, Massilienses, usi L. Domitii consilio, naves longas expediunt numero xvii. [1] Quarum erant xi tectae. Multa huc minora navigia addunt: ut ipsa multitudine nostra classis terreatur: magnum numerum sagittariorum, magnam Albicorum, de quibus suprà demonstratum est, imponunt; atque hos praemiis pollicitationibusque incitant. Certas sibi deposcit naves Domitius, atque has colonis, pastoribusque, quos secum adduxerat, complet. Sic omnibus rebus instructâ classe, magnâ, fiduciâ ad nostras naves procedunt, quibus praeerat D. Brutus. [2] Hae ad insulam, quae est contra Massiliam, stationes obtinebant.

LVII. Erat multo inferior numero navium Brutus: sed delectos ex omnibus legionibus fortissimos viros, antesignanos, centuriones Caesar ei classi attribuerat, qui sibi id muneris depoposcerant. Ii [3] manus ferreas atque harpagones paraverant: magnoque numero pilorum, tragu-

NOTAE.

Ubi videtur ejus generis navigia à Caesare apud Britannos visa fuisse; quamvis superioribus libris, ubi de Britanniâ scripsit, nihil de ipsis commemoravit.

1 *Quarum erant* xi *tectae.*] Quibus opponuntur apertae, quae catastromata non habebant, quibus tecti milites pugnarent. T. Livius, lib. xxxvi. *Biduum in apparatu morati, tertia die centum navibus, quarum* lxx *tectae erant, caeterae apertae, Phoceam petiverunt.* Item Hirtius in lib. de bello Alex. *Magnoque impetu quatuor ad eum constratae naves, et complures apertae contenderunt.* Item Caesar in principio libri sequentis: *Naves piscatorias contexerant, ut essent ab ictu telorum remiges tuti.*

2 *Hac ad insulam,* &c.] Unam de iis, quae dicuntur, *les Pomegues.*

3 *Manus ferreas atque harpagones.*] Unum idemque instrumentum censet Liv. lib. xxvi. et xxxvii. *Hoc modo ferreae quoque manus (harpagones vocant) quas operibus hostium injicerent, praeparabantur.* Item lib. xxx. *Postremo asseres ferreo unco praefixi (harpagones milites vocant) ex Punicis navibus injici in Romanos coepti.* Plinius vero diversa tela esse censet, qui lib. vii. cap 56. Anacharsim harpagones, manus autem ferreas Periclem invenisse, memoriae prodidit. Dion scribit harpagones celeriter mitti et retrahi solere, manum vero ferream cum pondere decidere, retinereque quodcunque fuerit amplexa. Frontinus lib. ii. cap. 3. manus ferreas inventas esse à Duillio testatur, apud Romanos scilicet, si verum est quod Plinius testatur, à Pericle

larum, reliquorumque telorum se instruxerant; ita, cognito hostium adventu, suas naves ex portu educunt, cum Massiliensibus confligunt. Pugnatum utrinque est fortissimè, atque acerrimè: neque multum [1] Albici nostris virtute cedebant, [2] homines asperi, et montani, exercitati in armis: atque ii modò digressi à Massiliensibus recentem eorum pollicitationem animis continebant; pastoresque indomiti, spe libertatis excitati, sub oculi domini suam probare operam studebant.

LVIII. Ipsi Massilienses, et celeritate navium, et scientiâ gubernatorum confisi, nostros eludebant, impetusque eorum excipiebant: et, quoad licebat latiore spatio, productâ longiùs acie, circumvenire nostros, aut pluribus navibus adoriri singulas, aut [3] remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant: quum propiùs erat necessariò ventum, ab scientiâ gubernatorum atque artificiis, ad virtutem montanorum confugiebant. Nostri, quòd minùs exercitatis remigibus, minùsque peritis gubernatoribus utebantur; qui repentè ex onerariis navibus erant producti, neque dum etiam vocabulis armamentorum cognitis, tum etiam gravitate et tardidate navium impediebantur. [4] Factae enim subitò ex humidâ materiâ, non eundem usum celeritatis habebant. Itaque, dum locus cominùs pugnandi daretur, aequo animo singulas binis navibus objiciebant: atque injectâ manu ferreâ, et retentâ utrâque nave, diversi pugnabant, atque in hostium naves transcendebant; et magno numero Albicorum et pastorum interfecto, partem navium deprimunt; nonnullas cum hominibus capiunt, reliquas in portum compellunt. Eo die naves Massiliensium, cum iis, quae sunt captae, intereunt ix.

LIX. Hoc proelio Caesari ad Ilerdam nuntiato, simul perfecto ponte, celeriter fortuna mutatur. Illi perterriti virtute equitum, minùs liberè, minùs audacter vagabantur: aliàs, non longo ab castris progressi spatio, ut celerem receptum haberent, angustiùs pabulabantur: aliàs, longiore circuitu, custodias stationesque equitum vitabant, aut aliquo

NOTAE.

fuisse inventas. Harpax vero et harpago, an sint diversa instrumenta, dubium est. Appianus certe harpago dicit esse ab Agrippa excogitatum, cum Plinius inventum harpagonis Anacharsi tribuat.

1 *Albici.*] Illi Reii dicti sunt, et à cultu Apollinis, Apollinares, montesque Salyorum occupabant incolebantque, quae à vicinis Massiliae locis ad Cebennam propemodum pertinent. Eorum urbs dicitur à Plinio, *Alebece*, vel *Albece Riorum Apollinarium*, aliquando *Reium et Regium*, more recepto urbium, quae nomen proprium, populi sui nomine commutavere. Gallicè *Riez*.

2 *Homines asperi et montani.*] Vegetius lib. 1. cap. 3. *Nunquam credo potuisse dubitari; aptiorem armis rusticam plebem, quae sub dio et labore nutritur solis patiens, umbrae negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnium laborum tolerantiam membris, cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre consuetudo de rure est.*

3 *Remos transcurrentes detergere.*] Sic Latini et Livius *defringere remos*. Polybius ταρσοὺς θραύειν· Appianus συντρίβειν Diodorus παραθύρειν. Detergere porro ut Gallicè dicitur, *nettoyer la tranchée*, id est, internecione delere quotquot in fossis sub aggeribus delitescentes urbem obsident.

4 *Factae enim subito ex humidâ materiâ.*] Hoc est quod cavendum esse monet Vegetius, lib. v. cap. 6. *Ne continuo, ut dejectae fuerint trabes, secentur, vel statim ut sectae fuerint, mittantur in navem; siquidem et adhuc solidae arbores, et jam divisae per tabulas, duplices ad*

accepto detrimento, aut procul equitatu viso, ex medio itinere, projectis sarcinis, fugiebant: postremò et plures intermittere dies, et, praeter consuetudinem omnium, noctu constituerant pabulari.

LX. Interim [1] Oscenses et [2] Calagurritani, qui erant cum Oscensibus contributi, mittunt ad eum legatos, seseque imperata facturos pollicentur. Hoc [3] Tarraconenses, et [4] Jacetani, et [5] Ausetani, et paucis post diebus [6] Illurgavonenses, qui flumen Iberum attingunt, insequuntur. Petit ab his omnibus, ut se frumento juvent. Pollicentur, atque, omnibus undique conquisitis jumentis, in castra deportant. Transit etiam cohors Illurgavonensis ad eum, cognito civitatis consilio; et signa ex statione transfert. Magna celeriter fit commutatio rerum. Perfecto ponte, magnis v civitatibus ad amicitiam adjunctis, expeditâ re frumentariâ, extinctis rumoribus de auxiliis legionum, quae cum Pompeio per Mauritaniam venire dicebantur, multae longinquiores civitates ab Afranio desciscunt, et Caesaris amicitiam sequuntur.

LXI. Quibus rebus perterritis animis adversariorum, Caesar, ne semper magno circuitu per pontem equitatus esset mittendus, nactus idoneum locum, fossas pedum xxx in altitudinem complures facere instituit, quibus partem aliquam Sicoris averteret, vadumque in eo flumine efficeret. His penè effectis, magnum in timorem Afranius Petreiusque perveniunt, ne omnino frumento pabuloque intercluderentur; quòd multum Caesar equitatu valebat. Itaque constituunt ipsis locis excedere, et in Celtiberiam bellum transferre. Huic consilio suffragabatur etiam illa res, quòd ex duobus contrariis generibus, quae superiore bello [7] cum L. Sertorio steterant, civitates victae nomen atque imperium absentis timebant: quae in amicitiâ manserant Pompeii, magnis affectae beneficiis, eum diligebant: Caesaris autem in barbaris erat nomen obscurius. Hinc magnos equitatus magnaque auxilia exspectabant; et suis locis bellum in hiemem ducere cogitabant. Hoc inito consilio, toto flumine Ibero naves conquirere, et

NOTAE.

majorem siccitatem mereantur inducias, nam quae virides compinguntur, cum nativum humorem exsudaverint, contrahuntur, et rimas faciant latiores, quo nihil est periculosius navigantibus.

1 *Oscenses.*] Osca duplex, altera in Boetica, altera in Tarraconensi, de qua nunc agitur, clarissimorum Christianae religionis martyrum Laurentii et Vincentii patria, nunc *Huesca.*

2 *Calagurritani.*] In Hispania citeriori, proxima Oscae, alio nomine, *Fibularia*, nunc *Calahorra.*

3 *Tarraconensis.*] Tarraco urbs nobilis, unde dicta Hispania citerior. Tarraconensis, Pomponio Melae dicitur maritimarum opulentissima, medio fere itinere inter Iberum fluvium et Barcinonem, quae nunc urbs est Cathalauniae caput.

4 *Jacetani.*] Jacetanorum oppidum dicitur *Java.*

5 *Ausetani.*] Ab Ausa oppido, hodie *Vigues* Ptolemaeo *Autbetani* dicuntur. *Haec duo oppida Pyrenaei radice recedere dicuntur*, Plinio, quorum Episcopus nunc subditus Caesar Augustano Archiepiscopo.

6 *Illurgavonensis.*] Plinio dicitur regio Ilergaonum, sed ignorantur. Certe non longè ab Ibero flumine in citeriore Hispania.

7 *Cum L. Sertorio steterant.*] Sylla dictatore rerum potito, Sertorius Marianarum partium in Hispaniam se recepit, ibique Romanos

[1] Octogesam adduci jubent. Id erat oppidum positum ad Iberum, milliaque passuum à castris aberat xx. Ad eum locum fluminis, navibus junctis, pontem imperant fieri: legionesque II flumen Sicorim transducunt: castraque muniunt vallo pedum xii.

LXII. Quâ re per exploratores cognitâ, [2] summo labore militum Cæsar, continuato diem noctemque opere in flumine avertendo, huc jam rem deduxerat, ut equites, etsi difficultèr atque aegrè fiebat, possent tamen atque auderent flumen transire; pedites verò tantummodo humeris ac summo pectore exstabant, et cùm altitudine aquae, tum etiam rapiditate fluminis, ad transeundum non impedirentur. Sed tamen eodem ferè tempore pons in Ibero propè effectus nuntiabatur: et in Sicori vadum reperiebatur.

LXIII. Jam verò eò magis illi maturandum iter existimabant. Itaque II auxiliaribus cohortibus Ilerdae praesidio relictis, omnibus copiis Sicorim transeunt, et cum II legionibus, quas superioribus diebus transduxerant, castra conjungunt. Relinquebatur Cæsari nihil, nisi utì equitatu agmen adversariorum malè haberet et carperet. Pons enim ipsius magnum circuitum habebat: ut multò breviore itinere illi ad [3] Iberum pervenire possent. Equites ab eo missi flumen transeunt; et cùm de tertiâ vigiliâ Petreius atque Afranius castra movissent, repentè sese ad novissimum agmen ostendunt: et, magni multitudine circumfusâ, morari atque iter impedire incipiunt.

LXIV. Primâ luce ex superioribus locis, quae Cæsaris castris erant conjuncta, cernebatur equitatus nostri proelio novissimos illorum premi vehementer, ac nonnunquam sustinere extremum agmen, atque interrumpi: aliàs inferri signa, et universarum cohortium impetu nostros propelli, deinde rursus conversos insequi: totis verò castris milites circulari, et dolere, hostem ex manibus dimitti, bellum necessariò longiùs duci: centuriones tribunosque militum adire, atque obsecrare, ut per eos Cæsar certior fieret, ne labori suo, nec periculo parceret: paratos esse, sese posse et audere eâ transire flumen, quâ transductus esset equitatus. Quorum studio et vocibus excitatus Cæsar, etsi timebat tantae magnitudinis flumini

NOTAE.

duces à Syllâ missos magnis cladibus affecit, tandem per insidias à Perpenna occisus est, *magnae vir, sed calamitosae virtutis*, ut ait Florus.

1 *Octogesam.*] Octogesa ignoratur, alii dicunt esse *Hitona*, alii *Mequinense*, alii *Flix*, alii *Satron.*

2 *Summo labore militum*, &c.] Hoc fecit imitatus Cyrum, qui Gyndem fluvium, secundae post Euphratem magnitudinis, ut ait Orosius, dolore amissi unius de equis qui trahere regium currum solebant, juravit eo se redacturum, ut transiri calcarique à faeminis posset. Nec requievit donec in trecentos et sexaginta rivos dispergeret et siccum relinqueret, in diversum fluentibus aquis. Seneca lib. de ira iii. Item Herodotus, lib. i. Quod nec omisit Vegetius, lib. iii. cap. 7. *Cum altior fluctus nec equitem nec peditem patitur, si per plana decurrat, ductus multifariam spargitur fossis, divisusque facile transitur.*

3 *Iberum.*] Iberus, de quo supra et infra commemoratur, est nobilis fluvius Hispaniae de quo sic Plinius, lib. ii. *Iberus amnis navigabili commercio dives, ortus in Cantabria haud procul oppido Juliobrica* CDL. *millia passuum fluens, navium per* CCLX *millia à Vari oppido capax, quem propter universam Hispaniam Graeci appellavere Iberiam.*

exercitum objicere, conandum tamen atque experiendum judicat. Itaque infirmiores milites [1] ex omnibus centuriis deligi jubet, quorum aut animus aut vires videbantur sustinere non posse. Hos cum legione unâ praesidio castris relinquit; reliquas legiones expeditas educit: [2] magnoque numero jumentorum in flumine supra atque infra constituto, transducit exercitum. Pauci ex his militibus, vi fluminis abrepti, ab equitatu excipiuntur ac sublevantur; interiît tamen nemo. Transducto incolumi exercitu, copias instruit; triplicemque aciem ducere incipit. Ac tantum fuit in militibus studium, ut, millium VI addito circuitu, magnâque ad vadum fluminis morâ interpositâ, eos, qui de tertiâ vigiliâ exissent, ante horam diei IX consequerentur.

LXV. Quos ubi Afranius procul (visos) cum Petreio conspexit, novâ re perterritus, locis superioribus consistit, aciemque instruit. Cæsar in campis exercitum reficit, ne defessum proelio objiciat. Rursus conantes progredi insequitur et moratur. Illi necessariò maturiùs, quàm constituerant, castra ponunt. Suberant enim montes, atque à millibus passuum V itinera difficilia atque angusta excipiebant. Hos intra montes se recipiebant, ut equitatum effugerent Caesaris; praesidiisque in angustiis collocatis, exercitum itinere prohiberent; ipsi, sine periculo ac timore, Iberum copias transducerent. Quod fuit illis conandum, atque omni ratione efficiendum: sed totius diei pugnâ atque itineris labore defessi, rem in posterum diem distulerunt.

LXVI. Cæsar quoque in proximo colle castra ponit. Mediâ circiter nocte iis, qui adaquandi caussâ longiùs à castris processerant, ab equitibus correptis, fit ab his certior Cæsar, duces adversariorum silentio copias castris educere. Quo cognito, signum dari jubet, et [3] vasa militari more conclamari. Illi, exaudito clamore, veriti, ne noctu impediti sub onere confligere cogerentur, aut ne ab equitatu Cæsaris in angustiis tenerentur, iter supprimunt, copiasque in castris continent. Postero die Petreius, cum paucis equitibus, occultè ad exploranda loca proficiscitur. Hoc idem fit ex castris Caesaris. [4] Mittitur L. Decidius Saxa cum paucis, qui loci naturam perspiciat. Uterque idem suis renuntiat, V millia passuum proxima intercedere itineris campestris: inde excipere loca aspera et montuosa.

NOTAE.

1 *Ex omnibus centuriis,* &c.] De centuriis sic habet Varro: *Centuriae quae sub centurione sunt, quarum centenarius justus numerus.* Festus: *Centuria in re militari centum homines.* Quanquam ille numerus sequentibus temporibus non semel mutatus fuisse videtur.

2 *Magnoque numero jumentorum in flumine.*] Sic Annibal, teste Livio, per superiora Padi vada exercitum traducens, elephantorum ordinem opposuit ad impetum fluminis sustinendum.

3 *Vasa militari more conclamari.*] Mos erat, ut castra moturi clamore monerentur suas sarcinas colligere, quod vocabant vasa colligere, et vasa conclamare, et simpliciter conclamare. Frontinus porro, lib. i. Caesaris factum stratagematis annumerat.

4 *Mittitur L. Decidius Saxa.*] Utpote qui in Celtiberia natus fuerat. Hic beneficio Caesaris tribunus pl. factus, et altero bello civili Antonii legatus, in Macedoniam cum Norbano transiit, qua occupata apud Philippos castra posuit. De hoc Cicero in xiii. Philippica: Item in viii. *Saxam vero Decidium praeterire qui possum, hominem deductum ex ultimis gentibus, ut eum tribunum pl. videremus, quem ci-*

Qui prior has angustias occupaverit, ab hoc hostem prohiberi nihil esse negotii.

LXVII. Disputatur in consilio à Petreio et Afranio, et tempus profectionis quaeritur. Plerique censebant, ut noctu iter facerent: posse priùs ad angustias veniri, quàm sentirentur. Alii, quòd pridie noctu conclamatum esset in castris Caesaris, argumenti sumebant loco, non posse clam exiri: circumfundi noctu equitatum Caesaris, atque omnia loca atque itinera obsideri: nocturnaque proelia esse vitanda, quòd perterritus miles in civili dissensione timori magis quàm religioni consulere consueverit: at lucem multum per se pudorem omnium oculis, multum etiam tribunorum mil. et centurionum praesentiam afferre; quibus rebus coërceri milites, et in officio contineri soleant. Quare omni ratione esse interdiu perrumpendum. Etsi aliquo accepto detrimento; tamen, summâ exercitûs salvâ, locum quem petant capi posse. Haec vicit in concilio sententia; et primâ luce postridie constituunt proficisci.

LXVIII. Caesar, exploratis regionibus, [1] albente coelo, omnes copias castris educit; magnoque circuitu, nullo certo itinere, exercitum ducit. Namque itinera, quae ad Iberum atque Octogesam pertinebant, castris hostium oppositis tenebantur. Ipsi erant transcendendae valles maximae ac difficillimae: [5] saxa multis locis praerupta iter impediebant; ut arma per manus necessariò transderentur, militesque inermes, sublevatique alii ab aliis, magnam partem itineris conficerent. Sed hunc laborem recusabat nemo, quòd eum omnium laborum finem fore existimabant, si hostem Ibero intercludere, et frumento prohibere potuissent.

LXIX. Ac primo Afraniani milites, visendi caussâ, laeti ex castris procurrebant, contumeliosisque vocibus prosequebantur, necessarii victûs inopiâ coactus fugere, atque ad Ilerdam reverti. Erat enim iter à proposito diversum; contrariamque in partem iri videbatur. Duces verò eorum suum consilium laudibus ferebant, quòd se castris tenuissent; multumque eorum opinionem adjuvabat, quòd sine jumentis impedimentisque ad iter profectos videbant; ut non posse diutiùs inopiam sustinere confiderent. Sed, ubi paullatim retorqueri agmen ad dextram conspexerunt; jamque primos superare regionem castrorum animadverterunt; nemo erat adeò tardus, aut fugiens laboris, quin statim castris exeundum, atque occurrendum putaret. Conclamatur ad arma; atque omnes copiae, paucis praesidio relictis cohortibus, exeunt, rectoque ad Iberum itinere contendunt.

LXX. Erat in celeritate omne positum certamen, utri priùs angustias montesque occuparent; sed exercitum Caesaris viarum difficultates tardabant; Afranii copias equitatus Caesaris insequens mo-

NOTAE.

vem nunquam videramus. Extincto enim Caesare adhesit Antonio, ut videtur in epitome Livii, lib. cxxvii.

1 *Albente coelo.*] Virg. lib. iv. Aeneid.
—— *Ut primum albescere lucem*
Vidit ——

rabatur. Res tamen ab Afranianis huc erat necessariò deducta, ut, si priores montes, quos petebant, attigissent, ipsi periculum vitarent; impedimenta totius exercitus, cohortesque in castris relictas, servare non possent; quibus interclusis exercitu Caesaris, auxilium ferri nullâ ratione poterat. Confecit prior iter Caesar; atque ex magnis rupibus nactus planitiem, in hâc contra hostem aciem instruit. Afranius, quum ab equitatu novissimum agmen premeretur, et ante se hostem videret, collem quendam nactus, ibi constitit. Ex eo loco iv cetratorum cohortes in montem, qui erat in conspectu omnium excelsissimus, mittit. Hunc magno cursu concitatos jubet occupare, eo consilio, utì ipse eòdem omnibus copiis contenderet, et, mutato itinere, jugis Octogesam perveniret. Hunc quum obliquo itinere cetrati peterent, conspicatus equitatus Caesaris, in cohortes impetum facit: nec minimam partem temporis equitum vim cetrati sustinere potuerunt; omnesque ab his circumventi, in conspectu utriusque exercitûs interficiuntur.

LXXI. Erat occasio bene gerendae rei. Neque verò id Caesarem fugiebat, tanto sub oculis accepto detrimento, perterritum exercitum sustinere non posse, praesertim circumdatum undique equitatu, quum in loco aequo atque aperto confligeretur. Idque ex omnibus partibus ab eo flagitabatur. Concurrebant legati, centuriones, tribunique mil. ne dubitaret proelium committere: omnium esse militum paratissimos animos: Afranianos contrà multis rebus sui timoris signa misisse: quòd suis non subvenissent; quòd de colle non decederent; quòd vix equitum incursus sustinerent: collatisque in unum locum signis conferti, neque ordines neque signa servarent. Quòd si iniquitatem loci timeret, datum iri tamen aliquo loco pugnandi facultatem: quòd certè inde decedendum esset Afranio, nec sine aquâ permanere posset.

LXXII. [1] Caesar in eam spem venerat, se sine pugnâ et sine vulnere suorum rem conficere posse; quòd re frumentariâ adversarios interclusisset. [2] Cur, etiam secundo proelio, aliquos ex suis amitteret? Cur vulnerari pateretur optimè meritos de se milites? Cur denique fortunam periclitaretur? Praesertim quum non minùs esset imperatoris, consilio superare, quam gladio. Movebatur etiam misericordiâ civium, quos interficiendos videbat; quibus salvis atque incolumibus rem obtinere malebat. Hoc consilium Caesaris à plerisque non probabatur. Milites verò palàm inter se loquebantur; quoniam talis occasio victoriae demitteretur, etiam quum vellet Caesar, sese non esse pugnaturos. Ille in suâ sententiâ perseverat; et

NOTAE.

1 *Caesar in eam spem venerat*, &c.] Caesar solitus erat dicere, ut refert Frontinus, lib. iv. stratagem. cap. 7. idem esse sibi consilium adversus hostium, quod plerisque medicis contra vitia corporum, fame potius quam ferro superandi. Sed et idem Frontinus consilium Caesaris explicat, quod fame exasperatos veritus sit hostes ad proelium vocare, cum ipsi eum ad proelium vocarent. Vide ibi.

2 *Cur etiam secundo proelio*, &c.] Sic Seneca in Epist. *Alieno sanguini tamquam suo parcant, sciantque homini non esse homine prodige utendum*, cive praesertim, quum unum servare praestat, quam mille hostes occidere, ut aiebat Antonius Pius.

paulùm ex eo loco digreditur, ut timorem adversariis minuat. Petreius atque Afranius, oblatâ facultate, in castra sese referunt. Caesar praesidiis montibus dispositis, omni ad Iberum intercluso itinere, quàm proximè potest hostium castris castra communit.

LXXIII. Postero die duces adversariorum perturbati, quòd omnem rei frumentariae fluminisque Iberi spem amiserant, de reliquis rebus consultabant. Erat unum iter, Ilerdam si reverti vellent; alterum, si Tarraconem peterent. Haec consiliantibus eis, nuntiatur, aquatores ab equitatu premi nostro: quâ re cognitâ, crebras stationes disponunt equitum, et [1] cohortium alariarum; legionariasque interjiciunt cohortes; vallumque ex castris ad aquam ducere incipiunt; ut intra munitionem et sine timore, et sine stationibus aquari possent. Id opus inter se Petreius atque Afranius partiuntur: ipsique, perficiendi operis causâ, longiùs progrediuntur.

LXXIV. [2] Quorum discessu liberam nacti milites colloquiorum facultatem, vulgo procedunt: et quem plerisque in castris notum aut municipem habebat, conquirit, atque vocat. Primum agunt gratias omnes omnibus, quòd sibi perterritis pridie pepercissent: eorum se beneficio vivere: dein de imperatoris fide quaerunt, rectène se illi sint commissuri: et, quod non ab initio fecerint, [3] armaque cum hominibus necessariis et consanguineis contulerint, conqueruntur. His provocati sermonibus, fidem ab imperatore de Petreii et Afranii vitâ petunt; ne quod in se scelus concepisse, neu suos prodidisse videantur. Quibus confirmatis rebus, se statim signa translaturos confirmant; legatosque de pace [4] primorum ordinum centuriones ad Caesarem mittunt. Interim alii suos in castra, invitandi causâ, adducunt; alii ab suis abducuntur; adeò, ut una castra jam facta ex binis viderentur. Compluresque tribuni militum, et centuriones ad Caesarem veniunt, seque ei commendant. Hoc idem fit à principibus Hispaniae, quos illi evocaverant, et secum in castris habebant obsidum loco. Ii suos notos hospitesque quaerebant, per quem quisque eorum aditum commendationis haberet ad Caesarem. Afranii etiam filius adolescens,

NOTAE.

1 *Cohortium alariarum.*] Cum hic opponat alarias cohortes legionariis, verisimile est illas fuisse ex auxiliaribus.

2 *Quorum discessu.*] Appianus aliter rem narrat, nempe contendisse in ulteriorem Hispaniam Afranium et Petreium praeoccupasse autem Caesarem itinera, et quandam Afranianorum partem ad locum castris idoneum capiendum praemissam, à Caesarianis in itinere fuisse circumventam, sublatisque in capita scutis deditionem significasse. Sed Caesari Lucanoque major quam Graeco illi scriptori fides.

3 *Armaque cum hominibus necessariis*, &c.] Quod sic Lucanus describit, lib. vii.

——————*videre parentes*
Frontibus adversis, fraternaque cominus arma.
Cognatasque acies——————

Itaque Dionysius Halicarn. lib. vi. Πολέμου πολιτικοῦ, ὡς ἅπαντες ἴσασιν, κάκιον χρῆμα οὐδὲν, ἐν ᾧ τὰ μὲν κρατηθέντα ἀτυχεῖ, τὰ δὲ κρατήσαντα ἀδικεῖ καὶ περίεστι τοῖς μὲν ὑπὸ τῶν φιλτάτων ἀπόλλυσθαι, τοῖς δὲ τὰ φίλτατα διολέσαι. *Nihil omnium confessione civili bello pejus in quo victos sequitur miseria, victores impietas, et alteri à charissimis perimuntur, alteri perdunt charissimos.*

4 *Primorum ordinum centuriones.*] Hi erat centurio primipili, primus princeps, primus hastatus.

de suâ et parentis sui salute, cum Caesare, [1] per Sulpitium legatum agebat. Erant plena laetitia et gratulatione omnia; eorum, qui tanta pericula vitâsse, et eorum, qui sine vulnere tantas res confecisse videbantur: magnumque fructum suae pristinae lenitatis, omnium judicio, Caesar ferebat; consiliumque ejus à cunctis probabatur.

LXXV. Quibus rebus nuntiatis Afranio, ab instituto opere discedit, seque in castra recipit; sic paratus, ut videbatur, ut, quicunque accidisset casus, hunc quieto et aequo animo ferret. Petreius verò non deserit sese; [2] armat familiam. Cum hâc, et praetoriâ cohorte cetratorum, barbarisque equitibus paucis, [3] beneficiariis suis, quos suae custodiae causa habere consueverat, improviso ad vallum advolat; colloquia militum interrumpit; nostros repellit ab castris: [4] quos deprehendit, interficit. Reliqui coëunt inter se; et repentino periculo exterriti, [5] sinistras sagis involvunt gladiosque distringunt; atque ita se a cetratis equitibusque defendunt, castrorum propinquitate confisi seque in castra recipiunt; et ab iis cohortibus, quae erant in statione ad portas, defenduntur.

LXXVI. Quibus rebus confectis, flens Petreius manipulos circuit, militesque appellat; neu se, neu Pompeium absentem Imperatorem suum adversariis ad supplicium transdat, obsecrant. Fit celeriter concursus in praetorium. Postulat ut jurent omnes, se exercitum ducesque non deserturos, neque prodituros, neque sibi separatim à reliquis consilium capturos. Princeps in haec verba jurat. Ipse idem jusjurandum adigit Afranium. Subsequuntur tribuni militum, centurionesque. Centuriatim producti milites, idem jurant: edicunt, penes quem quisque sit miles Caesaris, ut producatur. Productos palam in praetorio interficiunt. Sed plerosque ii, quos receperant, celant, noctuque per vallum emittunt. Sic terror oblatus à ducibus, crudelitas in supplicio, nova religio jurisjurandi, spem praesentis deditionis sustulit, mentesque militum convertit, et rem ad pristinam belli rationem redegit.

LXXVII. Caesar, qui milites adversariorum in castra per tempus colloquii venerant, summâ diligentiâ conquiri et remitti jubet. Sed ex numero tribunorum militum, centurionumque, nonnulli suâ voluntate apud eum remanserunt: quos ille postea magno honore habuit.

NOTAE.

1 *Per Sulpicium legatum.*] Is erat de quo fit mentio libro iii. de bello Gallico circa initium, de quo supra.

2 *Armat familiam.*] Cum servis arma tractare non liceret, vix possum adduci ut credam armatos esse famulos. Libertos potius crediderim, qui si non famuli, certe familiares erant quorum magnus erat aliquando civibus R. numerus. Necessaria tamen aliquando re permoti, si praesertim erant gladiatores, aliquando famulos armabant.

3 *Beneficiariis suis,*] Beneficiarii dicti, quod beneficio tribunorum promoverentur, teste Vegetio, lib. ii. cap. 7.

4 *Quos deprehendit, interficit.*] Addit Appianus eum nec pepercisse uni de suis tribunis qui furentem cohibere conabatur.

5 *Sinistras sagis involvunt.*] Quia scuta non habebant, ad amicos se transiisse rati.

6 *Princeps in haec verba jurat.*] Sermo est militaris. Festus: *Praejurationes facere dicuntur, qui ante alios conceptis verbis jurant post quos in eadem verba jurantes, tantummodo dicunt, Idem in me.*

7 *Jusjurandum adigit.*] Sic loquuntur Latini pro *agunt ad jusjurandum*, id est, cogunt

Centuriones in ampliores ordines, equites Romanos in tribunitium restituit honorem.

LXXVIII. Premebantur Afraniani pabulatione, aquabantur aegre. Frumenti copiam legionarii nonnullam habebant, quòd dierum xxii ab Ilerdâ frumentum jussi erant efferre: cetrati auxiliaresque nullam; quorum erant et facultates ad parandum exiguae, et corpora insueta ad onera portanda. Itaque magnus eorum quotidie numerus ad Caesarem perfugiebat. In his erat angustiis res: sed ex propositis consiliis duobus, explicitiùs videbatur Ilerdam reverti, quòd ibi paullulum frumenti reliquerant. Ibi se reliquum consilium explicaturos confidebant. Tarraco aberat longiùs; quo spatio plures rem posse casus recipere intelligebant. Hoc probato consilio, ex castris proficiscuntur. Caesar equitatu praemisso, qui novissimum agmen carperet atque impediret, ipse cum legionibus subsequitur. Nullum intercedebat tempus, quin extremi cum equitibus proeliarentur.

LXXIX. Genus erat hoc pugnae: Expeditae cohortes novissimum agmen claudebant: pluresque in locis campestribus subsistebant. Si mons erat adscendendus, facilè ipsa loci natura periculum repellebat: quòd ex locis superioribus, qui antecesserant, suos adscendentes protegebant. Quum vallis aut locus declivis suberat, neque ii, qui antecesserant, morantibus opem ferre poterant, equites verò ex loco superiore in adversos tela conjiciebant. Tum magno erat in periculo res; tum inquirebant, ut, quum ejusmodi esset locis appropinquatum, legionum signa consistere juberent, magnoque impetu equitatum repellerent; eo summoto, repentè incitato cursu sese in valles universi demittere, atque ita transgressi rursus in locis superioribus consistere. Nam tantum ab equitum suorum auxiliis aberant (quorum numerum habebant magnum) ut eos, superioribus perterritos proeliis, in medium reciperent agmen, ultroque eos tuerentur: quorum nulli ex itinere excedere licebat, quin ab equitatu Caesaris exciperetur.

LXXX. Tali dum pugnatur modo, lente ac paullatim proceditur; crebròque, ut sint auxilio suis, subsistunt; ut tum accidit. Millia enim progressi iv, vehementiùsque peragitati ab equitatu, montem excelsum capiunt: ibique una à fronte contra hostem castra muniunt, neque jumentis onera deponunt. Ubi Caesaris castra posita, tabernaculaque constituta, et dimissos equites pabulandi caussâ animadvertere; sese subitò proripiunt horâ circiter vi ejusdem diei; et spem nacti morae discessu nostrorum equitum, iter facere incipiunt. Quâ re animadversâ, Caesar eductis legionibus subsequitur; praesidio impedimentis paucas cohortes relinquit: horâ x subsequi pabulatores, equitesque revocari jubet. Celeriter equitatus ad quotidianum itineris officium revertitur. Pugnatur acriter ad novissimum agmen,

NOTAE.

jurare, Gallicè *faire preter serment.* Exempla passim prostant. Dicitur et *in jusjurandum adigere*, et *jurejurando adigere.* Livius lib. xlviii. *Censores causas stipendii missorum cognoscebant, et cujus nondum justa caussa missionis visa esset, ita jusjurandum adigebant.*

adeò ut penè terga convertant: compluresque milites, etiam nonnulli centuriones, interficiuntur. Instabat agmen Caesaris; atque universum imminebat.

LXXXI. Tum verò neque ad explorandum idoneum locum castris, neque ad progrediendum datâ facultate, consistunt necessariò, et procul ab aquâ, et naturâ iniquo loco castra ponunt. Sed iisdem de caussis Caesar, quae supra sunt demonstratae, proelio non lacessit, et eo die tabernacula statui passus non est; quò paratiores essent ad insequendum omnes, sive noctu, sive interdiu erumperent. Illi animadverso vitio castrorum, totâ nocte munitiones proferunt, castraque castris convertunt. Hoc idem postero die à primâ luce faciunt, totumque in eâ re diem consumunt. Sed, quantum opere processerant, et castra protulerant, tanto aberant ab aquâ longiùs; et praesenti malo aliis malis remedia dabantur. Primâ nocte, aquandi causâ, nemo egreditur ex castris. Proximo die, praesidio in castris relicto, universas ad aquam copias educunt: pabulatum emittitur nemo. His eos supplices malè haberi Caesar, et necessariam subire deditionem, quàm proelio decertare, malebat. Conatur tamen eos vallo fossâque circumvenire; ut quàm maximè repentinas eorum eruptiones demoretur: quò necessaria descensuros existimabat. Ibi et inopiâ pabuli adducti, et quò essent ad iter expeditiores, omnia sarcinaria jumenta interfici jubent. In his operibus, consiliisque, biduum consumitur.

LXXXII. Tertio die magna jam pars operis Caesaris processerat. Illi, impediendae rei caussâ, horâ circiter VIII signo dato, legiones educunt, aciemque sub castris instruunt. Caesar ab opere legiones revocat, equitatum omnem convenire jubet; aciem instruit. Contra opinionem enim militum, famamque omnium, videri proelium diffugisse, magnum detrimentum afferebat. [1] Sed eisdem de caussis, quae sunt cognitae, quò minùs dimicare vellet, movebatur; atque hoc etiam magis, quòd spatii brevitas, etiam in fugam conjectis adversariis, non multùm ad summam victoriae juvare poterat. Non enim ampliùs pedum millibus II ab castris castra distabant. Hinc duas partes acies occupabant. Tertia vacabat, ad incursum atque impetum militum relicta. Si proelium committeretur, propinquitas castrorum celerem superatis ex fugâ receptum dabat. Hâc de causâ constituerat signa inferentibu resistere, prior proelio non lacessere.

LXXXIII. [2] Acies erat Afraniana duplex, legio v. et III. In subsidiis locum alariae cohortes obtinebant. Caesaris, triplex; sed primum

NOTAE.

1 *Sed eisdem de caussis quae sunt cognitae.*] Frontinus, lib. ii. cap. 1. scripsit Caesarem continuisse suos, arbitratum alienum dimicationis tempus, quod adversarios ira et desperatio incenderat. Idem habet Lucanus.

2 *Acies erat Afraniana duplex,* &c.] Lipsius legit: *Acies erat Afraniana duplex legionum quinque, et in subsidiis locum alariae cohortes tenebant.* Cujus orationis haec est sententia: Afranius duplicem aciem struxit, prior fuit ex quinque legionibus distincta; altera subsidiaria è cohortibus alariis, seu sociis Hispanis. Magnum enim horum numerum Afranius habebat, ita ut aequaret fere octo legiones, quibus certe alariis pro legionibus usus est. Atque ita legere valde necesse. Nam quinque ex prioribus Cae-

aciem quaternae cohortes [1] ex v legione tenebant. Has subsidiariae ternae, et rursus aliae totidem, suae cujusque legionis, subsequebantur. Sagittarii, funditoresque media continebantur acie. Equitatus latera cingebant. Tali instructâ acie, tenere uterque propositum videbatur: Caesar, ut nisi coactus, proelium non committeret: illi, ut opera Caesaris impediret. Producitur tamen res, aciesque ad solis occasum continentur. Inde utrique in castra discedunt Postero die munitiones institutas Caesar parat perficere. Illi vadum fluminis Sicoris tentare, si transire possent. Qua re animadversâ Caesar Germanos levis armaturae, equitumque partem flumen transjicit, crebrasque in ripis custodias disponit.

LXXXIV. Tandem, omnibus rebus obsessi, quartum jam diem sine pabulo retentis jumentis; aquae, lignorum, frumenti inopia; colloquium petunt: et id, si fieri possit, semoto à militibus loco. Ubi id à Caesare negatum, et, palam si colloqui vellent, concessum est; datur obsidis loco Caesari filius Afranii. Venitur in eum locum, quem Caesar deligit. Audiente utroque exercitu, loquitur Afranius: Non esse aut ipsi, aut militibus succensendum, quòd fidem erga Imperatorem suum Cn. Pompeium conservare voluerint; sed satis jam fecisse officio, satisque supplicii tulisse, perpessos omnium rerum inopiam: nunc verò, [2] penè ut faeminas circummunitos, prohiberi aquâ, prohiberi ingressu: neque corpore dolorem, neque ignominiam animo ferre posse: itaque se victos confiteri: orare atque obsecrare, si quis locus misericordiae relinquatur, ne ad ultimum supplicium progredi necesse habeant: Haec quàm potest demisissimè atque subjectissimè exponit.

LXXXV. Ad ea Caesar respondit: nulli omnium has partes, vel querimoniae vel miserationis, minùs convenisse. Reliquos enim omnes suum officium praestitisse; se, qui etiam bonâ conditione, et loco, et tempore aequo confligere noluerit, [3] ut quàm integerrima essent ad pacem omnia; exercitum suum, qui injuria etiam acceptâ suisque interfectis, quos in suâ potestâte habuit, conservârit, et texerit: illius denique exercitûs milites, qui per se de consiliandâ pace egerint; quâ in re omnium suorum vitae consulendum putârunt. Sic omnium ordinum partes in misericordiâ constitisse: ipsos duces à pace abhorruisse: eos neque colloquii neque induciarum jura servâsse: et homines imperitos, et per colloquium deceptos, crudelissimè interfecifse.

NOTAE.

saris scriptis leguntur. Imo si epitome Livii nihil habet erroris, habebat Afranius septem: Sed omnia suspecta in numeris, et apud Livium, et apud Caesarem, imo et apud omnes omnino autores. Vide Lipsium hoc in loco.

1 *Ex v legione.*] Lipsius itemlegit: *Ex quinque legionibus.* Ergo in prima acie quinquies quaternae cohortes, in secunda quinquies ternae, in tertia totidem. Atque addit, *suae cujusque legiones*, id est, unamquamque legionem, sic in tres partes divisam; ut prima acie habuerit quatuor cohortes, secunda et tertia ternas.

2 *Pene ut faeminas.*] Quia in illis regionibus faeminae domi continentur, et egredi prohibentur.

3 *Ut quam integerrima essent ad pacem omnia.*] Quae minus integra et facilia fuissent, si alter horum secundum proelium fecisset. Nec enim victo, nisi iniquas pacis conditiones obtulisset.

Accidisse igitur his, quod plerumque hominibus nimiâ pertinaciâ atque arrogantiâ accidere soleat, utì eò recurrant, et id cupidissimè petant, quod paullò antè contemserint: neque nunc se illorum humilitate, neque aliquâ temporis opportunitate postulare, quibus rebus augeantur opes suae, sed eos exercitus, quos contra se multos jam annos aluerint, velle dimitti: neque enim VI legiones aliâ de causâ missas in Hispaniam, septimamque ibi conscriptam, neque tot tantasque classes paratas, [1] neque summissos duces, rei militaris peritos. Nihil horum ad pacandas Hispanias, nihil ad usum provinciae provisum, quae propter diuturnitatem pacis, nullum auxilium desiderârit. Omnia haec jampridem contra se parari: in se novi generis imperia constitui; ut idem ad portas urbanis praesideat rebus, et [2] duas bellicosissimas provincias absens tot annos obtineat: in se jura magistratuum commutari, [3] ne ex praeturâ et consulatu, ut semper, sed per paucos probati et electi in provincias mittantur; [4] in se aetatis excusationem nihil valere, quòd superioribus bellis probati ad obtinendos exercitus evocentur: in se uno non servari, quod sit omnibus datum semper imperatoribus, ut rebus felicitèr gestis, aut cum honore aliquo, aut certè sine ignominiâ, domum revertantur, exercitumque dimittant. Quae tamen omnia et se tulisse patientèr, et esse laturum: neque nunc id agere, ut ab illis abductum exercitum teneat ipse (quod tamen sibi difficile non sit;) sed ne illi habeant, quo contra se uti possint: proinde, ut esset dictum, provinciis accederent, exercitumque dimitterent. Si id sit factum, nociturum se nemini. Hanc unam atque extremam pacis esse conditionem.

LXXXVI. Id verò militibus fuit pergratum, et jucundum (ut ex ipsâ significatione potuit cognosci, ut, qui aliquid victi incommodi expectavissent, ultro praemium missionis ferrent. Nam quum de loco et tempore ejus rei controversia inferretur, et voce et manibus universi ex vallo, ubi constiterant, significare coeperunt, ut statim dimitterentur: neque omni interpositâ fide firmum esse posse, si in aliud tempus differetur. Paucis quum esset in utramque partem verbis disputatum, res huc deducitur; ut ii, qui habeant domicilium aut possessiones in Hispaniâ, statim; reliqui ad [5] Varum flumen dimittantur. Ne quid eis noceretur, neve quis invitus [6] sacramento dicere cogeretur à Caesare, cavetur.

LXXXVII. Caesar, ex eo tempore, dum ad flumen Varum veniatur, se frumentum daturum pollicetur. Addit etiam, ut, quid

NOTAE.

1 *Neque summissos duces, rei militaris peritos.*] Dixit tamen Caesar, cum in Hispaniam profectus est, se venire ad exercitum sine duce, postea se iturum ad ducem sine exercitu.

2 *Duas bellicosissimas provincias.*] Hispaniam et Africam.

3 *Ne ex praetura et consulatu, ut semper.*] Ne quis horum esset Caesaris amicus.

4 *In se aetatis excusationem nihil valere.*] Quia emeritos capiebant.

5 *Varum flumen.*] Illa et hac tempestate Italiae et Galliae limes est, ex Alpibus in mare Mediterraneum decurrens, inter Antipolim et Nicaeam medius.

Finis et Hesperiae promoto limite Varus.

6 *Sacramento.*] Aliqui reponunt *sacramentum.* Quamquam haec locutio apud autores

quisque eorum in bello amiserit, quae sint penes milites suos, iis, qui amiserint, restituatur: militibus, aquâ factâ aestimatione, pecuniam pro iis rebus dissolvit. Quascunque postea controversias inter se milites habuerunt, suâ sponte ad Caesarem [1] intus adierunt. Petreius atque Afranius, quum stipendium ab legionibus, penè seditione factâ, flagitarentur, cujus illi diem nondum venisse dicerent, Caesar ut cognosceret, postulant: eòque utrique, quod statuit, contenti fuerunt. Parte circiter tertiâ exercitûs eo biduo dimissâ, II legiones suas antecedere, reliquas subsequi jussit; ut non longo inter se spatio castra facerent: eique negotio [2] Q. Fusium Kalenum legatum praefecit. Hôc ejus praescripto ex Hispaniâ ad Varum flumen est iter factum, atque ibi reliqua pars exercitûs dimissa est.

NOTAE.

legatur, Liv. lib. iv. *Tribuni auxilio nemo invitus diceret sacramento.* Porro Dio scribit à Caesare eximios esse dimissos, usum vero aliis sponte illorum propter honores et quaestus.

1 *Intus adierunt.*] Quidam reponunt *in jus* nec male; dicendum enim est, *intro*, ex usu Latini sermonis.

2 *Q. Fusium Kalenum.*] Fusiorum familia Plebeia fuit. Is commemoratur et in VII. lib. de bello Gall. Tribunus plebis fuerat, Pisone et Messalâ coss. Clodioque semper faverat. Acriter in illum Cicero invehitur in VIII. Philippica. Sed facile respondet, ut videtur apud Dionis librum XLVI. Tandem exeunte secunda dictatura Caesare, consul factus est.

LIBER II.

ARGUMENTUM.

Hic secundus liber habet oppugnationem Massiliae, ad quam fuerat Trebonius relictus, dum Caesar totam Hispaniam in suam redegit potestatem, ex eâ expulso Varrone Pompeii legato, ex quâ et ipse reversus, Massiliam expugnat. Deinde complectitur bellum in Africâ, absente Caesare, per Curionem ejus legatum cum Attio Varo Pompeiano et Jubâ rege Numidiae gestum, quo bello Curio et ejus exercitus periit.

I. DUM haec in Hispaniâ geruntur; C. Trebonius legatus, qui ad oppugnationem Massiliae relictus erat, duabus ex partibus aggerem, vineas, turresque ad oppidum agere instituit. Una erat proxima portui navalibusque; altera ad partem, quâ est aditus [ex Galliâ atque Hispania ad id mare, [1] quod adigit] ad ostium Rhodani. Massilia enim ferè ex III oppidi partibus mari alluitur. Reliqua quarta est, quae aditum habet à terrâ. Hujus quoque spatii pars ea, quae ad arcem pertinet, loci naturâ, et valle altissimâ munita, longam, et difficilem habet oppugnationem. Ad ea perficienda opera C. Trebonius magnam jumentorum atque hominum multitudinem ex omni provinciâ vocat, vimina materiamque comportari jubet. Quibus comparatis rebus, aggerem in altitudinem pedum LXXX exstruit.

II. Sed tanti erant antiquitùs in oppido omnium rerum ad bellum apparatus, tantaque multitudo tormentorum, ut eorum vim nullae contextae viminibus vineae sustinere possent. Asseres enim pedum XII cuspidibus praefixi, [2] atque hi maximis balistis missi, per IV ordines

NOTAE.

1 *Quod adigit*] *ad ostium Rhodani.*] Locus scatet mendis. Alii codices habent *quod attingit ad ostium*, alii *quod attingit ostium.* De ostio Rhodani non convenit inter autores. Nunc quinque enumerantur.

2 *Atque hi maximis balistis.*] Balista vox est Graeca quae *a jaciendo* dicitur; *βάλλειν* enim est *jacere.* Majores erant, quae maxima pondera jaciebant, aliquando CCCLX pondo, ut habet Vitruvius lib. x. cap. ultimo. Plura sunt genera ejusmodi instrumentorum vel tormentorum, quae lapides et tela mittebant, quae vidisse juvaret magis, quam descripta legere. Aetate certe Caesaris non lapides tantum, sed et spicula et asseres cuspidibus praefixi, balistis jaciebantur. De his vide Lipsium poliorceticôn, lib. III. qui varia docet, quia variata aetatibus. Harum machinarum tum vim tum celeritatem sic Lucanus describit:

Sed major Graio Romana in corpora ferro
Vis inerat, neque enim solis contenta lacertis
Lancea; sed tenso balistae turbine rapta,
Haud unum contenta latus transire quiescit.
Sed pandens perque arma viam, perque ossa relicta
Morte fugit, superest telo post vulnera cursus.

cratium [in terra] defigebantur. Itaque pedalibus lignis conjunctis inter se [1] porticus integebatur; atque hâc agger inter manus proferebatur. [2] Antecedebat testudo pedum LX, aequandi loci caussâ [facta; item] [3] ex fortissimis lignis, involuta omnibus rebus, quibus ignis jactus et lapides defendi possent. Sed magnitudo operum, altitudo muri atque turrium, multitudo tormentorum, omnem administrationem tardabat. Tum crebrae per Albicos eruptiones fiebant ex oppido, ignesque aggeri et turribus inferebantur; quae facilè nostri repellebant milites; magnisque ultrò illatis detrimentis, eos, qui eruptionem fecerant, in oppidum rejiciebant.

III. Interim L. Nasidius ab Cn. Pompeio cum classe navium XVI, in quibus paucae erant aeratae, L. Domitio Massiliensibusque subsidio missus, [4] freto Siciliae, imprudente atque inopinante [5] Curione, provehitur: appulsisque [6] Messanam navibus, atque inde propter repentinum terrorem, principum ac senatûs fugâ factâ, ex navalibus eorum unam deducit. Hâc adjunctâ ad reliquas naves, cursum Massiliam versùs perficit; praemissâque clam naviculâ, Domitium Massiliensesque de suo adventu certiores facit: eosque magnoperè hortatur, ut rursus cum Bruti classe, additis suis auxiliis, confligant.

IV. Massilienses, post superius incommodum, veteres ad eundem numerum ex navalibus productas naves refecerant, summâque industriâ armaverant; remigum gubernatorumque magna copia (suppetebat.) Piscatoriasque adjecerant atque contexerant, ut essent ab ictu telorum remiges tuti; has sagittariis tormentisque compleverant. Tali modo instructâ classe, omnium seniorum, matrumfamiliae, virginum precibus et fletu excitati, ut extremo tempore civitati subvenirent, non minore animo ac fiduciâ, quàm ante dimi-

NOTAE.

1 *Porticus.*] Porticus vinearum Caesaris, quâ parte producebant aggerem milites.

2 *Antecedebat testudo pedum* LX, &c.] Vulgo fiebat ex hominibus scutatis, scuta sua capiti praetendentibus, quorum alii erant altiores, alii vero sese inclinabant humiliores, tertii gradatim submissi, et poplitibus insidentes, ut formam aedificii fornicati referrent. Hic verò testudo alia est, ex lignis nempe facta, sed quae tamen formam habebat illius militaris testudinis, cujus quanquam rarum legatur exemplum apud scriptores; Ammianus tamen lib. XXVI. innuit aliquid simile, dum descripta quadam quae à tribuno facta fuerat in navigiis testudine, addit: *Quod machinae genus contra murales pugnas ideo figuratur hac specie, ut missilium ictus atque saxorum per decursus cadentes labiles instar imbrium evanescant.* Idem lib. XXIII. Heleposim seu machinam capiendis urbibus aptam, quâ uti solebat Demetrius Poliorcetes testudinem vocat: *Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptatur, et contegitur coriis bubulis*, &c. Est ergo haec testudo Caesaris machina lignea, quae Polybio dicitur lib. X. χωστρὶς, quasi *aggestitia sexdecim pedum*: an in toto ambitu, an per latera, nescitur.

3 *Ex fortissimis lignis.*] Fortitudo ad animum refertur, tamen aliquando rebus adhibetur corporeis. Cicero diceret *firmissimis.*

4 *Freto Siciliae.*] Quod est inter Italiam et Siciliam, vulgo *le Phare de Messine*, quia Messanam urbem alluit.

5 *Curione.*] Curio enim Caesarianus, de quo supra, Siciliam obtinebat.

6 *Messanam.*] Messana urbs in Sicilia nobilis, ab Italiâ freto cognomine discreta, cujus tota fere messis in mororum frondibus posita, quibus pascuntur bombyces serici artifices, portum habet insignem, vulgo *Messine.*

caverant, naves conscendunt. [1] Communi enim fit vitio naturae, ut invisis, latitantibus, atque incognitis rebus magis confidamus, vehementiùsque exterreamur; ut tum accidit. Adventus enim [2] L. Nasidii summâ spe et voluntate civitatem compleverat. Nacti idoneum ventum, ex portu exeunt, et [3] Tauroënta, quod est castellum Massiliensium, ad Nasidium perveniunt; ibique naves expediunt; rursusque se ad confligendum animo confirmant; et consilia communicant. Dextra pars Massiliensibus attribuitur, sinistra Nasidio.

V. Eòdem Brutus contendit; aucto navium numero. Nam ad eas, quae factae fuerant, [4] Arelate per Caesarem, captivae Massiliensium accesserant VI. Has superioribus refecerat diebus, atque omnibus rebus instruxerat. Itaque suos cohortatus, [5] quos integros superavissent, ut victos contemnerent, [6] plenus spei bonae atque animi adversùs eos proficiscitur. Facile erat ex castris C. Trebonii, atque omnibus superioribus locis, prospicere in urbem; ut omnis juventus, quae in oppido remanserat, omnesque superioris aetatis, cum liberis atque uxoribus publicisque custodiis, aut ex muro ad coelum manus tenderent, aut templa Deorum immortalium adirent, et ante simulacra projecti victoriam ab Diis exposcerent. Neque erat quisquam omnium, qui non in ejus diei casu suarum omnium fortunarum eventum consistere existimaret. Nam et honesti ex juventute, et cujusque aetatis amplissimi, nominatim evocati atque obsecrati, naves conscenderant; ut, si quid adversi accidisset, ne ad conandum quidem sibi quidquam reliqui fore viderint: si superavissent vel domesticis opibus, vel externis auxiliis, de salute urbis confiderent.

VI. Commisso proelio Massiliensibus res nulla ad virtutem defuit; sed memores eorum praeceptorum, quae paullò ante ab suis acceperant, hôc animo decertabant, ut nullum aliud tempus ad conandum habituri viderentur, et, quibus in pugnâ vitae periculum accideret, non ita multò se reliquorum civium fatum antecedere existimarent, quibus, urbe captâ, eadem esset belli fortuna patienda. Deductisque nostris paullatim navibus, et, artificio gubernatorum mobilitati navium locus dabatur; et, si quando nostri, facultatem

NOTAE.

1 *Communi enim fit vitio naturae*, &c.] *Omne* enim *ignotum pro magnifico est*, ut habet Tacitus in vitâ Julii Agricolae.

2 *L. Nasidii.*] Hic Nasidius Caesari Pompeioque superstes, ad Brutum et Cassium se applicuit; tandem ad Sextum Pompeium se contulit, cujus cum res essent deploratae, transivit ad Antonium. Autor est Appianus lib. v.

3 *Tauroënta.*] Ignoratur. Marcianus Heracleota statuit inter Massiliam et Antipolim; quà fortasse ratione ductus Cenalis, *Toulon* esse putat.

4 *Arelate.*] De Arelate supra.

5 *Quos integros superavissent, ut victos contemnerent.*] Sic his libris Caesar passim in contemptum adducit hostes. Sic Agesilaus apud Xenophontem lib. III. Graecarum historiarum, ratus contemptum hostium addere alacritatem ad pugnam, jussit vendi captivos barbaros nudos, ut imbellia, alba et mollia eorum corpora tanquam non laboriosorum cum vidissent, ut mulieres contemnerent.

6 *Plenus spei bonae.*] Sic hoc ipso libro, sic et Sallustius lib. Jugurth. hist. *Illi pariter laeti, ac spei bonae pleni esse.* Eodem modo Latine dicitur, *bene sperare et male timere.*

nacti, ferreis injectis manibus navem religaverant, undique suis laborantibus succurrebant. Neque vero, conjuncti Albicis, cominùs pugnando deficiebant: neque multùm cedebant virtute nostris. Simul ex minoribus navibus magna vis eminùs missa telorum, multa nostris de improviso imprudentibus atque impeditis vulnera inferebant; conspicataeque naves triremes II navem D. Bruti, [1] quae ex insigni facilè agnosci poterat, duabus ex partibus sese in eam incitaverant; sed tantum, re provisâ, Brutus celeritate navis enisus est, ut parvo momento antecederet. Illae adeò graviter inter se incitatae conflixerunt, ut vehementissimè utraeque ex concursu laborarent; altera verò, [2] praefracto rostro, tota collabefieret. Quâ re animadversâ, quae proximae ei loco ex Bruti classe naves erant, in eas impeditas impetum faciunt, celeriterque ambas deprimunt.

VII. Sed [3] Nasidianae naves nullo usui fuerunt, celeriterque pugnâ excesserunt. [4] Non enim has aut conspectus patriae, aut propinquorum praecepta, ad extremum vitae periculum adire cogebant. Itaque ex eo numero navium nulla desiderata est: ex Massiliensium classe v sunt depressae, IV captae, I cum Nasidianis profugit: quae omnes citeriorem Hispaniam petiverunt. At ex reliquis una praemissa Massiliam, hujus nuntii perferendi gratiâ, quum jam appropinquaret urbi, omnis sese multitudo ad cognoscendum effudit: ac, re cognitâ, tantus luctus excepit, ut urbs ab hostibus capta eodem vestigio videretur. Massilienses tamen nihilo sequiùs ad defensionem urbis reliqua apparere coeperunt.

VIII. Est animadversum ab legionariis, qui dexteram partem operis administrabant, ex crebris hostium eruptionibus, magno sibi esse praesidio posse, si pro castello ac receptaculo, turrim ex latere sub muro fecissent: quam primò ad repentinos incursus, humilem parvamque fecerant. Huc se referebant: hinc, si qua major oppresserat vis, propugnabant: hinc, ad repellendum et prosequendum hostem, procurrebant. Patebat haec quoquoversùs pedes XXX, sed parietum crassitudo pedes V. Postea verò, ([5] ut est rerum omnium magister usus, hominum adhibitâ solertiâ) inventum est, magno esse

NOTAE.

1 *Quae ex insigni facile agnosci poterat.*] Quo agnoscebatur, et unde forte etiam nomen habebat. Sic apud Virg.

Centauro invehitur magna——

id est, navi, quae à picto in puppi vel prora centauro, sic vocabatur. Ità apud Tacitum lib. VI. Annal. *Nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phryxum, sive id animal, seu navis insigne fuit.*

2 *Praefracto rostro.*] Cum enim nondum ea tormenta bellica haberent, quae canones appellantur, rostris aereis suas naves instruebant, quae vento et remis actae, tanta vi collidebantur mutuorum rostrorum, ut saepe inter se cohaerentes nulla vi dissolvi possent. Eo autem consilio rostris armabantur, ut hostium perforarent navigia.

3 *Nasidianae naves nullo usui fuerunt.*] Ita dicitur apud Terentium: *Tam nulli consilii sum:* apud Ciceronem, *Aliae pecudis jecur.*

4 *Non enim has aut conspectus patriae.*] De quâ Cicero lib. I. de officiis: *Omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere?*

5 *Ut est rerum omnium magister usus.*] Sic Plinius lib. XXX.. cap. II. vocat usum efficacissimum rerum omnium magistrum.

usui posse, si haec esset in altitudinem turris elata. Id hâc ratione perfectum est.

IX. Ubi turris altitudo perducta est ad contabulationem; eam in parietes instruxerunt ita, ut capita tignorum extremâ parietum structurâ tegerentur, ne quid emineret, ubi ignis hostium inhaeresceret. Hanc insuper contignationem, [1] quantum tectum plutei ac vinearum passum est, laterculo adstruxerunt: supraque eum locum duo tigna transversa injecerunt, non longè ab extremis parietibus, quibus suspenderent eam contignationem, quae turri tegumento esset futura: supraque ea tigna directò transversas trabes injecerunt, easque axibus religaverunt. Has trabes paullò longiores atque eminentiores, quam extremi parietes erant, effecerunt; ut esset, ubi tegumenta praependere possent, ad defendendos ictus ac repellendos, dum inter eam contignationem parietes exstruerentur: eamque contabulationem summam lateribus lutoque constraverunt, ne quid ignis hostium nocere posset: [2] centonesque insuper injecerunt; ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent, [3] aut saxa ex catapultis lateritium discuterent. [4] Storeas autem ex funibus anchorariis tres, in longitudinem parietum turris, latas IV pedes, fecerunt: [5] easque ex III partibus, quae ad hostes vergebant, eminentibus trabibus circum turrem

NOTAE.

1 *Quantum tectum plutei ac vinearum passum est.*] Pluteorum et vinearum usus ferè idem, materia eadem, forma diversa, quam non satis autores describunt, eo scilicet tempore quo erat omnium oculis exposita. Imo nec Caesar nisi obiter, ut describat quo praesidio insuetae quaedam et à se militibusque suis inventae machinae fuerint tuto exaedificatae. Vegetius, qui eas machinas, vineas dico et pluteos, videtur data opera, et ex professo, ut aiunt, descripsisse; sic tamen id agit, ut quomodo inter se differant valde dubium relinquat, nec aliud videatur diversum, nisi quod in similitudinem absidis efformatus sit pluteus, hoc est fornicis, seu semicirculi, ternisque rotulis circumagatur: quarum una in medio, duae in capitibus, id est, in ipsis extremitatibus supponuntur, cum in vineae descriptione, nec rotarum, nec absidis figurae ulla fiat mentio. Alii autores pro cratibus usurpant, alii distinguunt pluteos à cratibus. Constabant certe ex cratibus, sed et ex tabulis. Verum apud inferioris aevi scriptores varia quoque videtur forma pluteorum, quos tentoria vocant. Videtur autem tentoriorum forma non esse semicircularis, aut absidem referre, hoc est, rotae circulum. Sic depinxit et vineam et pluteum Lipsius.

2 *Centonesque.*] Centones sunt crassiora stragula villis passim pendentibus, quibus pauperum lecti sternebantur.

3 *Aut saxa ex catapultis lateritium discuterent.*] Catapultae nervis intorquebantur, ut passim apud Vegetium et apud alios scriptores legitur. Saxa quidem emittebant, ut hic videtur, et apud Valerium Maximum lib. I. apud Ciceronem lib. II. Tusculanarum Quaest. et Nonium Marcellum; quanquam apud Vitruvium sagittas soleant ejicere. Aristophanis Scholiastes de iis sic habent: Καταπέλτης εἶδος μηχανῆς ἀφ' ἧς ἀκόντια καὶ ἄλλα τινὰ πέμπουσι. *Catapulta genus machinae, è qua jacula et alia quaedam mittunt.* Fortasse balista et catapulta eadem fuit machina, sed catapultae nomen abiit, balistae successit. Nam in glossis quae sub Justiniani aevo, sic explicatur καταπέλτης, *balista.* Quae catapultaria machinatio, teste Diodoro lib. XIV. temporibus Dionysii Senioris Syracusis fuit reperta, cujus telum cum vidisset Archidamus Lacedaemonius, tunc primum è Siciliâ allatum, coepit dicere ὤλετο ἀρετά, *periit virtus*, ut testatur Plutarchus. Quid, si nostrae aetatis tormenta bellica, quae canones appellantur, vidisset, fuit dicturus?

4 *Storeas.*] Storeae mattarum genera, non è palea, ut videtur, à Graeco στορεννύναι, *sternere*, dicta.

5 *Easque ex tribus partibus.*] Turris illius quadratae scilicet quatuor erant partes, sed posterior intecta erat, quia tuta, nec objecta hostibus ut aliae tres.

praependentes, religaverunt: quod unum genus tegumenti aliis locis erant experti nullo telo neque tormento transjici posse. Ubi vero ea pars turris, quae erat perfecta, [1] tecta atque munita est ab omni ictu hostium; pluteos ad alia opera abduxerunt: [2] turris tectum per se ipsum [3] prehensionibus ex contignatione prima suspendere ac tollere coeperunt: ubi, quantum storearum demissio patiebatur, tantum elevabant. Intra haec tegumenta abditi atque muniti parietis lateribus extruebant: rursusque aliâ prehensione ad aedificandum sibi locum expediebant. Ubi tempus alterius contabulationis videbatur, tigna item, ut primo, tecta extremis lateribus instruebant, exque eâ contignatione rursus summam contabulationem storeasque elevabant. Ita tutò, ac sine ullo vulnere ac periculo, VI tabulata exstruxerunt: fenestrasque, quibus in locis visum est, ad tormenta mittenda in struendo reliquerunt.

X. Ubi ex eâ turri, quae circum essent opera, tueri se posse confisi sunt; [4] musculum pedum LX longum ex materia bipedali, quem à turri lateritia ad hostium turrem murumque perducerent, facere instituerunt: cujus musculi haec erat forma. Duae primùm trabes in solo, aequè longae, distantes inter se pedes IV, collocantur: inque eis columellae pedum in altitudinem V, defiguntur. Has inter se capreolis [5] molli fastigio conjungunt; ubi tigna, quae musculi tegendi caussâ ponant, collocentur. Eo super [6] tigna bipedalia injiciunt: eaque laminis clavisque religant. Ad extremum musculi tectum, trabesque extremas, [7] quadratas regulas IV patentes digitos defigunt; [8] quae lateres, qui super musculo struantur, contineant. Ita fastigiato, atque ordinatim structo, ut trabes erant in capreolis collocatae, lateribus lutoque musculus (ut ab igne, qui ex muro jaceretur, tutus esset) contegitur. Supra lateres coria inducuntur [9] ne canalibus aqua immissa lateres diluere posset. Coria autem, ne rursus igne ac lapi-

NOTAE.

1 *Tecta atque munita est ab omni ictu hostium.*] Quia teli impetum mollius recipiebat.

2 *Turris tectum,* &c.] Nihil observatione dignius, quam quod tectum cum opere non cohaerebat, sed cochleis sensim attollebatur, donec sexta facta fuerit contabulatio.

3 *Prehensionibus,* &c.] Alii putant esse machinas, quas vulgo appellamus *grues*, alii cochleam, sive praela cochleata, quibus assentior.

4 *Musculum pedum* LX *longum,* &c.] De pedum numero Lipsius dubitat. Enormis enim ei videtur longitudo, si praesertim cum latitudine comparabitur IV pedum difficile mota fuisset, paucos texisset milites. Deinde cui usui illa longitudo, cum non in longinquum spatium telaillâ tempestate mitterentur. Sed in notis numerorum nil certi relinquitur.

5 *Molli fastigio.*] Nonius Marcellus: *Molle, non arduum, nec erectum.* Sic Virgil, in Bucolicis:

——Qua se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo.

6 *Tigna bipedalia.*] Quia facilius est invenire XXX pedum tigna, quam unam LX pedum.

7 *Quadratas regulas.*] Sunt tenuiora ligna, *latas* hodie dicunt quibus lateres, sive lateritiae tegulae superponuntur.

8 *Quae lateres.*] Propterea lateres erant, ne ignes hostium nocerent.

9 *Ne canalibus aqua immissa lateres diluere posset.*] Ergo lateres illi non erant igne excocti, qui si igne fuissent cocti, non aquae fuissent penetrabiles.

S 4

dibus corrumpantur, centonibus conteguntur. Hoc opus omne tectum vineis ad ipsam turrim perficiunt, subitoque inopinantibus hostibus machinatione navali, [1] phalangis subjectis, ad turrim hostium admovent, ut aedificio jungatur.

XI. Quo malo perterriti subito oppidani, saxa quàm maxima possunt, vectibus promovent, praecipitataque muro in musculum devolvunt. Ictum firmitas materiae sustinet: et quidquid incidit, fastigio musculi elabitur. Id ubi vident, mutant consilium; cupas taeda aç pice refertas incendunt, easque de muro in musculum devolvunt. Involutae labuntur; delapsae [2] ab lateribus, longuriis, furcisque ab opere removentur. Interim sub musculo milites vectibus infirma saxa turris hostium, quibus fundamenta continebantur, convellunt. Musculus ex turri lateritia à nostris, telis tormentisque, defenditur: hostesque ex muro ac turribus submoventur. Non datur libera muri defendendi facultas. Compluribus jam lapidibus ex eâ, quae suberat, turri subductis, repentinâ ruinâ pars ejus turris concidit; pars reliqua consequens procumbebat.

XII. Tum hostes turris ruinâ repentinâ commoti, inopinato malo turbati, Deorum irâ perculsi, urbis direptione perterriti, inermes [3] cum infulis sese portâ foras universi proripiunt; ad legatos, atque exercitum supplices manus tendunt. Quâ novâ re oblatâ, omnis administratio belli consistit: militesque aversi à proelio, ad studium audiendi et cognoscendi feruntur. Ubi hostes ad legatos exercitumque pervenerunt, universi se ad pedes projiciunt: orant, ut adventus Caesaris exspectetur: captam suam urbem videre, opera perfecta, turrem subrutam: itaque à defensione desistere: nullam exoriri moram posse quo minùs, quum venisset, si imperata non facerent, ad nutum è vestigio diriperentur. Docent, si omnino turris concidisset, non posse milites contineri, quin spe praedae in urbem irrumperent, urbemque delerent. Haec, atque ejusdem generis complura, [4] ut ab hominibus doctis, magnâ cum misericordiâ fletuque pronuntiantur.

NOTAE.

Hac in descriptione tigna sunt ligna, quae dicimus *beams*, trabes vero quas appellamus *joists*. Nec aliam ob causam à Caesare fit hujus machinae tam accurata diligensque descriptio, quam quia erat insolita. Nec enim tignis trabibusve in istis uti solebant, sed levioribus lignis et viminibus, quorum hic nullus usus videtur.

1 *Phalangis subjectis.*] Phalanges et phalangae dicuntur. Virgilius lapsus vocat:

——pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus.——

Scutatae infra dicuntur ab eodem Caesare, Hebraïca à voce פלך *Phalec*, unde Arabica *Phaluca*.

2 *Ab lateribus.*] Non lateres intelligit, sed latera ab utrâque parte musculi. De musculo dictum supra lib. vii. de bello Gallico.

3 *Cum infulis.*] Infula, ut testatur Servius lib. x. Aeneid. erat fascia in diadematis morem, de quâ parte ab utraque pendebant vittae. Ornamenta erant sacerdotum, victimarum et supplicum, quibus haud absimiles sunt vittae binae utrinque ex episcoporum nostrorum mitris dependentes, quae et hinc forte sumpserunt originem.

4 *Ut ab hominibus doctis.*] Tanta erat eorum doctrinae fama, ut nobilissimi Romanorum discendi studio pro Atheniensi peregrinatione Massiliensem susciperunt Strabonis aetate, qui ejus rei autor est, lib. iv. Item Cicero in oratione pro Flacco. Hotamannus sumit pro *doctis ad hoc.*

XIII. Quibus rebus commoti legati, milites ex opere deducunt, oppugnatione desistunt, operibus custodias relinquunt. Induciarum quodam genere misericordiâ facto, adventus Caesaris exspectatur. Nullum ex muro, nullum à nostris mittitur telum: ut re confectâ, omnes curam et diligentiam remittunt. Caesar enim per litteras Trebonio magnopere mandaverat, ne per vim oppidum expugnari pateretur; ne graviùs permoti milites, et defectionis odio, et contemptione suî, et diutino labore, omnes puberes interficerent: quod se facturos minabantur. Aegreque tunc sunt retenti, quin oppidum irrumperent: graviterque eam rem tulerunt, quòd stetisse per Trebonium, quò minûs oppido potirentur, videbatur.

XIV. At hostes sine fide tempus atque occasionem fraudis ac doli quaerunt. [1] Interjectisque aliquot diebus, [2] nostris languentibus, atque animo remissis, subitò, meridiano tempore, quum alius discessisset, alius ex diutino labore in ipsis operibus quieti se dedisset, arma vero omnia reposita contectaque essent; [3] portis se foras erumpunt; secundo magnoque vento ignem operibus inserunt. Hunc sic distulit ventus, utì uno tempore agger, plutei, testudo, turris, tormentaque flammam conciperent, et priùs haec omnia consumerentur, quàm, quemadmodum accidisset, animadverti posset. Nostri repentinâ fortunâ permoti, arma, quae possunt, arripiunt. Alii ex castris sese incitant. Fit in hostes impetus: sed e muro, sagittis tormentisque, fugientes persequi prohibentur. Illi sub murum se recipiunt; ibique musculum turrimque lateritiam liberè incendunt. Ita multorum mensium labor, hostium perfidiâ, et vi tempestatis, [4] puncto temporis interiit. Tentaverunt hoc idem Massilienses postero die, eandem nacti tempestatem; majori cum fiduciâ ad alteram turrem, aggeremque eruptione pugnaverunt; multumque ignem intulerunt. Sed ut superioris temporis contentionem nostri omnem remiserant; ita proximi diei casu admoniti, omnia ad defensionem paraverant. Itaque multis interfectis, reliquos infectâ re in oppidum repulerunt.

XV. Trebonius ea, quae sunt amissa, multo majore studio militum administrare et reficere instituit. Nam ubi tantos suos labores et apparatus malè cecidisse viderunt, induciisque per scelus violatis, suam virtutem irrisui fore perdoluerunt; quod, unde agger omnino comportari posset, nihil erat reliquum; omnibus arboribus longe lateque in finibus Massiliensium excisis et convectis, aggerem novi generis atque inauditum, ex lateritiis duobus muris, senûm pedum crassi-

NOTAE.

1 *Interjectis aliquot diebus.*] Vegetius lib. IV. cap. 28. *Cum negligentia intervenerit, paribus insidiis subjacent obsidentes; nam sive cibo, sive somno,* &c.

2 *Nostris languentibus.*] Languere est otiosum esse et torpere: Cicero, *Cum è via languerem.*

3 *Portis se foras erumpunt.*] Quo sensu plures autores active accipiunt.

4 *Puncto temporis.*] Id est, momento. Ita Terentius in Phormione Act. 1. scen. 4. *Tunc temporis punctum ad hanc rem mihi est.* Ubi Donat. pro momento et angustissimo spatio. Cicero Philip. II. *Attende enim paullisper, cogitationemque sobrii hominis ad punctum temporis suscipe.* Graece, στιγμὴ χρόνου.

tudine, atque eorum murorum contignationem facere instituerunt, aequâ fere latitudine, atque ille congestus ex materia fuerat agger. Ubi autem spatium inter muros, aut imbecillitas materiae postulare videretur, pilae interponuntur, transversaria tigna injiciuntur, quae firmamento esse possint. Et quicquid est contignatum, cratibus consternitur, cratesque luto integuntur. Sub tecto miles, dexterâ ac sinistrâ muro tectus, adversus plutei objecta, operi quaecunque usui sunt, sine periculo supportat. Celeriter res administratur: diuturni laboris detrimentum solertiâ et virtute militum brevi reconcinnatur. Portae, quibus locis videtur, eruptionis caussâ, in muro relinquuntur.

XVI. Quod ubi hostes viderunt, ea, quae diu longoque spatio refici non posse sperassent, paucorum dierum operâ et labore ita refecta, ut nullus perfidiae neque eruptioni locus esset; neque quidquam omnino relinqueretur, quo aut vi militibus, aut igni operibus, noceri posset; eodemque exemplo sentiunt totam urbem, quâ sit aditus, ab terrâ, muro, turribusque circumiri posse, sic, ut ipsis consistendi in suis munitionibus locus non esset: quum pene inaedificata in muris ab exercitu nostro moenia viderentur, ac tela manu conjicerentur; [1] suorumque tormentorum usum, quibus ipsi magna speravissent, spatio propinquitatis interire: parique conditione e muro ac turribus bellandi data, virtute se nostris adaequare non posse intelligunt: ad easdem deditionis conditiones recurrunt.

XVII. M. Varro in ulteriore Hispania initio, cognitis iis rebus, quae sunt in Italia gestae, diffidens Pompeianis rebus, amicissime de Caesare loquebatur. Praeoccupatum sese legatione ab Cn. Pompeio, teneri obstrictum fide: necessitudinem quidem sibi nihilo minorem, cum Caesare intercedere: neque se ignorare, quod esset officium legati, [2] qui fiduciariam operam obtineret: quae vires suae, quae voluntas erga Caesarem totius provinciae. Haec omnibus ferebat sermonibus; neque se in ullam partem movebat. Postea verò, quum Caesarem ad Massiliam distineri cognovit, copias Petreii cum exercitu Afranii esse conjunctas, magna auxilia convenisse, magna esse in spe atque exspectatione, et consentire omnem citeriorem Provinciam, quaeque postea acciderant, de angustiis ad Ilerdam rei frumentariae accepit: atque haec ad eum latiùs atque inflatiùs Afranius perscribebat: se quoque ad motum fortunae movere coepit.

NOTAE.

1 *Suorumque tormentorum usum*, &c.] Id ipsum sic Lucanus describit, lib. III.

Quae prius è longo nocuerunt missa recessu,
Jam post terga cadunt, nec Graiis flectere jactam,
Aut facilis labor est longinqua ad tela parati
Tormenti mutare modum———

Catapultae enim graves erant machinae, quae non facile agebantur, aut varias in partes movebantur, quomodo nunc et nostri hodie *canons* voce vernacula dicti.

2 *Qui fiduciariam operam obtineret.*] Non propriam operam, non propriam provinciam regeret, quam suo tempore reddere deberet. Sic postea lib. de bello Alexand. vocat fiduciarium Arsinoës regnum, quod non erant proprium, sed fratris Ptolemaei. Sic Livius lib. XXX. *Philippus magis de Argis quam de Corintho solicitus, optimum ratus Nabidi eam Lacedaemoniorum tyranno velut fiduciariam dare, ut victori restitueret.*

XVIII. Delectum habuit totâ provinciâ; legionibus completis II, cohortes circiter XXX alarias addidit; frumenti magnum numerum coëgit, quod Massiliensibus, item quod Afranio Petreioque mitteret. Naves longas X [1] Gaditanis, ut facerent, imperavit: complures praeterea [2] Hispali faciendas curavit. [3] pecuniam omnem omniaque ornamenta ex Fano Herculis in oppidum Gades contulit. Eò VI cohortes, praesidii caussâ, ex provinciâ misit: Caiumque Gallonium, equitem Romanum, familiarem Domitii, qui eò procurandae haereditatis caussâ venerat missus â Domitio, oppido Gadibus praefecit: arma omnia privata et publica in domum Gallonii contulit. Ipse habuit graves in Caesarem conciones. Saepe ex tribunali praedicavit, adversa Caesarem proelia fecisse, magnum numerum ab eo militum ad Afranium perfugisse. Haec se certis nuntiis, certis auctoribus, comperisse. Quibus rebus perterritos cives Romanos ejus provinciae, sibi ad remp. administrandam [4] H-S cxc, et argenti pondo XX millia, tritici modios CXX millia, polliceri cogit. Quas Caesari esse amicas civitates arbitrabatur, iis graviora onera injungebat: qui verba atque orationem adversus rempubl. habuissent, eorum bona in publicum addicebat; praesidiaque eò deducebat, et [5] judicia in privatos reddebat; [6] provinciam omnem in sua et Pompeii verba jusjurandum adigebat. Cognitis iis rebus, quae sunt gestae in citeriore Hispania, parabat bellum. Ratio autem haec erat belli, ut se cum II legionibus Gades conferret; naves frumentumque omne ibi contineret. (Provinciam enim omnem Caesaris rebus favere cognoverat.) [7] In insula, frumento navibusque comparatis, bellum duci

NOTAE.

1 *Gaditanis.*] Gades à Poenis *Gadis*, quod eorum lingua *sepem* significat. Olim enim fuerunt duae insulae, ut memorat Strabo, item Plinius. Nunc una est cum urbe cognomine Augusta Julia postea dicta, plenaque civibus Romanis, qui ad equestrem censum pervenerant. Erant enim nautici homines et mercimoniis dediti. Nunc dicitur *Cadiz*.

2 *Hispali.*] Hispalis urbs antiquissima pulcherrimaque, à Poenis sic à situ dicta. Hebraïce enim dicitur לשפה *Haspel*, planities aut planum humile. Hebraïca autem lingua aut Hebraïcae proxima Phoenices, ipsi Hebraeis proximi finitimique sunt locuti. Plin. lib. III. cap 1. *Quatuor juridici conventus sunt*, Hispaniae ulterioris, *Gaditanus*, *Cordubensis*, *Astigitanus*, *et Hispalensis*. Hodie *Seville*.

3 *Pecuniam omnem*, &c.] Quia ibi condita Herculis ossa credebantur, magna erat loci religio, magna donorum copia usque ab antiquis temporibus oblatorum. Illuc Lucullum bonorum suorum decimas misisse legimus: illuc profectum Hannibalem, priusquam in Italiam contenderet, ut vota sua solveret. Quae quidem, et alia Varro Gades transtulit, ne Caesari in praedam cederent.

4 H-S cxc.] Hic locus varie à doctis hominibus legitur, quod factum est ob facile irrepentes numerorum notis mendas. Est autem manifestum mendum, cum his pecuniam videatur non fuisse impositurus, nisi diversis temporibus. Cur sestertium et argenti pondo, cum idem esse videatur. Unumquodque autem pondo centum drachmas valebat, ex Budaeo, quae drachma nummo valebat.

5 *Judicia in privatos reddebat.*] Qui scilicet adversus rempubl. et Pompeium verba habuerant. Judicia enim in privatos reddere eum qui provinciam obtineret, nihil habuit iniquitatis.

6 *Provinciam omnem*, &c.] Modus loquendi jam supra observatus.

7 *In insula.*] Gaditana scilicet. Gades enim in insula sunt positae.

non difficile existimabat. Caesar, etsi multis necessariisque rebus in Italiam revocabatur; tamen constituerat nullam partem belli in Hispaniis relinquere: quòd magna esse [1] Pompeii beneficia et magnas clientelas in citeriore provincia sciebat.

XIX. Itaque duabus legionibus missis in ulteriorem Hispaniam [2] cum Q. Cassio Tribuno pleb. ipse cum equitibus DC magnis itineribus progreditur: edictumque praemittit, ad quam diem magistratus principesque omnium civitatum sibi esse praesto [3] Cordubae vellet. Quo edicto totâ provinciâ pervulgato, nulla fuit civitas, quin ad id tempus partem senatûs Cordubam mitteret; nullusve civis Romanus paullò notior, quin ad diem conveniret. Simul ipse Cordubae conventus per se portas Varroni clausit; custodias vigiliasque in muro turribusque disposuit. Cohortes II, quae [4] Colonicae appellabantur, quum eo casu venissent, tuendi oppidi caussâ apud se retinuit. Iisdem diebus [5] Carmonenses, quae est longè firmissima totius provinciae civitas, deductis III in arcem oppidi cohortibus à Varrone praesidio, per se cohortes ejecit, portasque praeclusit.

XX. Hoc verò magis properare Varro, ut cum legionibus quamprimum Gades contenderet: ne itinere aut transjectu intercluderetur. Tantâ ac tam secundâ in Caesarem voluntate provinciae progresso ei paullò longiùs litterae à Gadibus redduntur; simul atque cognitum sit de edicto Caesaris, consensisse Gaditanos principes cum tribunis cohortium, quae essent ibi in praesidio, ut Gallonium ex oppido expellerent, urbem insulamque Caesari servarent. Hôc inito consilio, denuntiavisse Gallonio, ut suâ sponte, dum sine periculo liceret, excederet Gadibus: si id non fecisset, sibi consilium capturos. Hôc timore adductum Gallonium, Gadibus excessisse. His cognitis rebus, altera ex II legionibus, quae Vernacula appellabatur, ex castris Varronis, adstante et inspectante ipso, signa sustulit, seseque Hispalim recepit, atque in foro et porticibus sine maleficio consedit. Quod factum adeò ejus conventus cives Romani comprobaverunt, ut domum ad se quisque hospitio cupidissimè reciperet. Quibus rebus perterritus Varro, quum, itinere converso, [6] sese Italicam venturum promisisset, certior a suis factus est, praeclusas esse portas. Tum verò, omni interclusus itinere, ad Caesarem mittit, paratum

NOTAE.

1 *Pompeii beneficia.*] Sunt promotiones in altiores gradus, quae vox est plane militaris. Itaque apud Vegetium lib. II. Beneficiarii dicuntur qui a tribuno promoti sunt. Ita apud Suetonium Claudius appellat: *Beneficii sui centuriones*, quos è grege militum ad centurionatum perduxerat.

2 *Cum Q. Cassio.*] Is est, qui tribunus pl. initio belli civilis ad Caesarem confugit, de quo multa postea sequentibus paginis.

3 *Cordubae.*] Corduba unus erat ex quatuor judiciis Hispaniae ulterioris conventibus, pop. R. colonia, cognomento Patritia, deducta à M. Marcello, Senecarum, Lucanique poëtae patria. *Cordouë.*

4 *Colonicae.*] Sic à colonis dictae, quod delectus earum in colonis esset habitus.

5 *Carmonenses.*] Carmona urbs Andalusiae in Baetis, sinistra ripa, non procul ab Hispali.

6 *Sese Italicam venturum.*] Alio nomine *Ilipat* ad Baetis dextram ripam inter Cordubam et Hispalim, Imperatorum Rom. Trajani et Theodosii patria. Hodie *Pena Flor.*

se esse, legionem, cui jusserit, transdere. Ille ad eum [1] Sex. Caesarem mittit, atque huic transdi jubet. Transditâ legione, Varro Cordubam ad Caesarem venit: relatis ad eum publicis rationibus, cum fide, quod penes eum est pecuniae, transdit: et, quod ubique habeat frumenti, ac navium, ostendit.

XXI. Caesar, habitâ concione Cordubae, omnibus generatim gratias agit; civibus Romanis quòd oppidum in suâ potestate studuissent habere; Hispanis, quòd praesidia expulissent; [2] Gaditanis, quòd conatus adversariorum infregissent, seseque in libertatem vindicâssent; tribunis mil. centurionibusque, qui eò praesidii caussâ venerant, quòd eorum consilia suâ virtute confirmassent. Pecunias, quas erant in publicum Varroni cives Romani polliciti, remittit; bona restituit iis, quos liberiûs locutos hanc poenam tulisse cognoverat; tributis quibusdam publicis privatisque praemiis: reliquos in posterum bonâ spe complet; biduumque Cordubae commoratus, Gades proficiscitur: pecunias monumentaque, quae ex Fano Herculis collata erant in privatam domum, referri in templum jubet; provinciae Q. Cassium praeficit, huic IV legiones attribuit: ipse iis navibus, quas M. Varro, quasque Gaditani jussu Varronis fecerant, [3] Tarraconem paucis diebus pervenit. Ibi totius ferè citerioris provinciae legationes Caesaris adventum expectabant. Eâdem ratione privatim ac publicè quibusdam civitatibus habitis honoribus Tarracone discedit, pedibusque Narbonem, atque inde Massiliam pervenit. [4] Ibi legem de Dictatore latam, seque dictatorem dictum à M. Lepido praetore, cognoscit.

XXII. Massilienses, omnibus defessi malis, rei frumentariae ad summam inopiam adducti, bis proelio navali superati, crebris eruptionibus fusi, gravi etiam pestilentiâ conflictati, ex diutina conclusione,

NOTAE.

1 *Sex Caesarem mittit.*] Sextus Caesar erat Caesaris propinquus, qui ex Egypto in Syriam ab ipso missus, dum adversus Pharnacem Ponti regem jamjam esset profecturus. Caecilium Bassum Scipionis et Catonis rebus studentem proelio fudit; postea ab eodem victo occidit, cum ille magnis propositis praemiis milites in sui ducis caedem subornasset.

2 *Gaditanis, quòd conatus.*] Non verbo tantum gratias egit, sed et gratiam retulit. Teste enim Dione, civitate Romanos eos donavit; quam largitionem post pop. Rom. ratam esse jussit.

3 *Tarraconem.*] De Tarracone supra, à qua urbe tota Hispania citerior Tarraconensis dicta est, *la Tarraconoise.*

4 *Ibi legem de dictatore latam*, &c.] Lepidus ille fuit qui triumvir factus est. Dio lib. XLI. scribit Lepidum persuasisse populo, ut Caesarem dictatorem faceret. Plutarchus à senatu factum. Appianus lib. II. non à senatu, sed à populo ipsum timente. Quod est verisimilius; Lepidus enim urbi à Caesare erat praepositus, atque adeo vices consulis implere posse videbatur, suadens praesertim rem populo. Dictator enim solebat à consule dici, qui quidem dictator talis erat, ut cessantibus omnibus aliis magistratibus, praeter tribunatum, ipse penes se haberet belli pacisque potestatem, negotiorumque omnium, jus quoque vitae et necis, etiam indictâ causâ, in cives. Ab ipso ad populum provocatio non erat; unde dictatoris edictum pro numine observatum. Poterat etiam nominare consules. Quod Caesar dictator fecit, cùm se cum Servilio Isaurico consulem fecit. Sed observandum, usque adeo formidatum fuisse Romanis dictatoris potestatem, ut LXX annis ea caruerint, ab illo nempe anno qui Hannibalis exitum secutus est usque ad Syllae dictaturam. Itaque interfecto Caesare, S C. et res sublata et nomen.

et mutatione victûs [1] (panico enim vetere atque hordeo corrupto omnes alebantur, quod ad hujusmodi casus antiquitus paratum in publicum contulerant) dejectâ turri, labefactâ magnâ parte muri, auxiliis provinciarum et exercituum desperatis, quos in Caesaris potestatem venisse cognoverant, sese dedere sine fraude constituunt. Sed paucis ante diebus L. Domitius, cognitâ Massiliensium voluntate, navibus III comparatis, ex quibus II familiaribus suis attribuerat, unam ipse conscenderat, nactus turbidam tempestatem, est profectus. Hunc conspicatae naves, quae jussu Bruti consuetudine quotidiana ad portam excubabant, sublatis anchoris, sequi coeperunt. Ex iis unum, ipsius navigium, contendit, et fugere perseveravit, auxilioque tempestatis ex conspectu abiit; duo, perterrita concursu nostrarum navium, sese in portum receperunt. Massilienses arma tormentaque ex oppido, ut est imperatum, proferunt: naves ex portu navalibusque educunt: pecuniam ex publico transdunt. Quibus rebus confectis, [2] Caesar magis eos pro nomine et vetustate, quàm pro meritis in se civitatis, conservans, XI ibi legiones praesidio relinquit; caeteras in Italiam mittit; ipse ad urbem proficiscitur.

XXIII. Iisdem temporibus C. Curio in Africam profectus ex Sicilia, et jam ab initio copias P. Attii Vari despiciens, II legiones ex IV, quas à Caesare acceperat, et D equites transportabat: biduoque et noctibus III navigatione consumptis, appellit ad eum locum, qui appellatur Aquilaria. Hic locus abest à [3] Clupeis passuum XXII millia, habetque non incommodam [aestate] stationem, et duobus eminentibus promontoriis continetur. Hujus adven-

NOTAE.

1 *Panico enim vetere.*] Gallicè *Panic.* Genus est milii, aut certe milio est proximum, quo per id tempus Galliae utebatur pars aliqua. Ita enim de eo Plinius lib. XVIII. cap. 10. *Panico Galliae quaedam pars, praecipue Aquitania utitur. Sed et circumpadana Italia, addita faba, sine quâ nihil conficiunt Ponticae gentes, nullum panico praeferunt cibum.* Idem describit illud cap. 7.

2 *Caesar magis eos pro nomine et vetustate, &c.*] Tam laboriosa fuit Massiliae expugnatio, ut eam triumpho dignam judicaverit. In quo tamen reprehenditur à Cicerone lib. II. de officiis: *Portari in triumpho Massiliam vidimus, et ex eâ urbe triumphari, sine quâ neque nostri Imperatores de transalpinis bellis triumpharent.* Strabo vero lib. IV. sic de Massilia habet: Καὶ ὁ Καῖσαρ δὲ καὶ οἱ μετ' ἐκεῖνον ἡγεμόνες πρὸς τὰς ἐν τῷ πολέμῳ γεννηθείσας ἁμαρτίας ἐμετρίασαν, μεμνημένοι τῆς φιλίας, καὶ τὴν αὐτονομίαν ἐφύλαξαν, ἣν ἐξ ἀρχῆς εἶχεν ἡ πόλις, ὥστε μὴ ὑπακούειν τῶν εἰς τὴν ὑπαρχίαν πεμπομένων στρατηγῶν, μήτε αὐτὴν, μήτε τοὺς ὑπηκόους. *Caesar vero et eum consecuti Imperatores eorum offensiones in bellis moderate tulerunt, memores amicitiae, libertatemque conservaverunt, quam ab initio civitas habuerat, ita ut non pareret in provinciam missis Imperatoribus, neque solum ipsa, sed neque ejus subditi.* Videtur tamen Caesar illis, quicquid potuit, salva libertate et foedere eripuisse, ut colonias suas Antipolim et Agatham. Nam Plinius *oppidum Latinum* Antipolim appellat, et *Agatham quandam Massiliensium.*

3 *Clupeis.*] De quibus sic Strabo lib. VI. Κόσσουρα δὲ πρὸ τοῦ Λιλυβαίου καὶ πρὸ τῆς Ἀσπίδος Καρχηδονιακῆς πόλεως ἣν Κλυπέαν καλοῦσι. *Cossura in insula est ante Lilybaeum sita, in medio inter id et Aspidem Carthaginensium urbem, quem Clupeam dicunt.* Utrinque LXXX stadiis dissita est, ut ait Plinius in promontorio Mercurii. Aliud habet nomen, *Aspis* scilicet: *clypeos* enim qui Latine dicitur, *aspis* est Graece:

In clypei speciem curvatis turribus Aspis.
Silius lib. III. Nunc putant dici *Zafaram.*

tum [1] L. Caesar filius, cum x longis navibus, ad Clupeam praestolans, (quas naves, [2] Uticae ex praedonum bello subductas, P. Attius reficiendas hujus belli caussâ curaverat) veritus navium multitudinem, ex alto refugerat; appulsâque ad proximum littus trireme constratâ, et in littore relictâ, pedibus [3] Adrumetum profugerat. Id oppidum C. [4] Considius Longus unius legionis praesidio tuebatur. Reliquae Caesaris naves ejus fugâ Adrumetum se receperunt. Hunc secutus M. Rufus quaestor navibus XII, quas praesidio onerariis navibus Curio ex Siciliâ eduxerat, postquam relictam in littore navem conspexit, [5] hanc remulco abstraxit: ipse ad Curionem cum classe redit.

XXIV. [6] Curio Marcum Uticam navibus praemittit: ipse eodem cum exercitu proficiscitur; biduique iter progressus, ad flumen [7] Bagradam pervenit: ibi C. Caninium Rebilum legatum cum legionibus relinquit: ipse cum equitatu antecedit ad [8] castra exploranda Corneliana: quòd is locus peridoneus castris habebatur. Id autem est jugum directum, eminens in mare, utrâque ex parte praeruptum atque asperum, sed paullò tamen leniore fastigio ab eâ parte, quae ad Uticam vergit. Abest directo itinere ab Uticâ paullò ampliùs passuum mille. Sed hôc itinere est fons, quo mare succedit. Longè lateque is locus restagnat: quem si quis vitare voluerit, VI millium circuitu in oppidum perveniet.

XXV. Hôc explorato loco, [9] Curio castra Vari conspicit, muro oppidoque conjuncta ad portam, quae appellatur Bellica, admodum

NOTAE.

1 *L. Caesar.*] Pompeianarum partium erat de quo supra.

2 *Uticae.*] Utica Africanarum omnium à Carthagine fuit secunda, imo etiam ipsa Carthagine antiquior, si fides Silio lib. III. cui dicitur.

Prisca situ, veterisque ante arces condita Byrsae.

Catonis morte nobilis, in eodem sinu quo Carthago, ad alterum ex promontoriis, quae sinum faciunt. Harum ex urbium alterutra possis alteram cernere. Nunc *Portofarina.*

3 *Adrumetum.*] Africae proprie dictae maxima olim urbs. Nunc quae sit in incerto est. Mela Hadrumentum scribit, Adrumentum Tacitus et Plinius. Marius Niger appellat *Sissam*, Alphonsus Adrianus *Toulb*, Mercator *Mahometam.*

4 *Considius Longus.*] Pompeianus, cujus crudelia facta describuntur in libro de bello Alexandrino, qui etiam ibi legitur à Getulis occisus spe praedae, cum Tisdra onustus pecunia fugeret.

5 *Hanc remulco abstraxit.*] Quod fit, ubi navis submersa est, aut armamentis suis defecta, à ῥυμουλκεῖν, quasi ῥύμασιν ἕλκειν, *rudentibus trahere.* Nec scaphae tantum, sed quadriremis etiam fit remis, ut apud T. Livium lib. XXV. *Marcellus nocte navem onerariam cum armatis remulco quadriremis trahi ad Acradinam jussit.* Imo et absque remis, si secundus sit ventus: ut in libro de bello Alex. *Naves onerarias Caesar victricibus suis Alexandriam deduxit.* Inde vox Gallica *remorquer.* Tandem sumitur pro *rudente.*

6 *Curio Marcum.*] Coelium Rufum.

7 *Bagradam.*] Bagrada Africae fluvius, à Polybio dicitur *Macros*, nunc *Megrada*, ad quem fuit serpens illa quae Reguli exercitum tantopere terruit CXX pedum longitudinis. Val. Max. Plinius, autores.

8 *Castra exploranda Corneliana.*] Locus natura munitus in Africa, ubi olim fuerant posita castra P. Cornelii Scipionis, haud longe à flumine Bagrada et Utica urbe. Castra Cornelia dicuntur à Plinio lib. III. cap. 4. Lucanus.

Sed majora dedit cognomina collibus istis.
Phoenum qui Latii revocavit ab arcibus hostem,
Scipio. Nam sedes Lybica tellure potito
Haec fuit. En veteris cernis vestigia valli.
Romana hos primum tenuit victoria campos.

9 *Curio castra Varii conspicit.*] Appianus prodidit, ideo ductum exercitum ad Uticam,

munita naturâ loci, ùnâ ex parte ipso oppido Uticâ, alterâ theatro, quod est ante oppidum; substructionibus ejus operis maximis, aditu ad castra difficili et angusto. Simul animadvertit multa undique portari atque agi plenissimis viis, quae repentini tumultûs timore ex agris in urbem conferebantur. Huc equitatum mittit, ut diriperet, atque haberet loco praedae. Eodemque tempore his rebus subsidio DC equites [1] Numidae ex oppido, peditesque CD mittuntur à Varro; quos auxilii caussâ rex [2] Juba, paucis diebus antè Uticam miserat. Huic et paternum hospitium cum Pompeio, et simultas cum Curione intercedebant; quòd tribunus pleb. legem promulgaverat, quâ lege regnum Jubae publicaverat. Concurrunt equites inter se. Neque verò primum impetum nostrorum Numidae ferre potuerunt: sed interfectis circiter CXX, reliqui se in castra ad oppidum receperunt. Interim, adventu longarum navium, Curio pronuntiari onerariis navibus jubet, quae stabant ad Uticam numero circiter CC, se in hostium habiturum loco, qui non è vestigio ad castra Corneliana [3] vela direxisset. Quâ pronuntiatione factâ, temporis puncto, sublatis anchoris, omnes Uticam relinquunt, et, quò imperatum est, transeunt. Quae res omnium rerum copiâ complevit exercitum.

XXVI. His rebus gestis, Curio se in castra ad Bagradam recepit, atque universi exercitûs conclamatione [4] Imperator appellatur. Postero die Uticam exercitum ducit, et propè oppidum castra ponit. Nondum opere castrorum perfecto, equites ex statione nuntiant, magna auxilia equitum peditumque [5] ab rege missa Uticam venire: eodemque tempore vis magna pulveris cernebatur; et vestigio temporis primum agmen erat in conspectu. Novitate rei Curio permotus praemittit equites, qui primum impetum sustineant ac morentur. Ipse celeriter ab opere deductis legionibus aciem instruit. Equites committunt proelium: et priùs quàm planè legiones explicari et consistere possent, tota auxilia regis impedita ac perturbata, quòd nullo ordine et sine timore iter fecerant, in fugam se conjiciunt: equitatuque omni ferè incolumi, quòd se per litora

NOTAE.

quia ab hostibus infectae veneno aquae fuerunt apud castra Corneliana, quae occupaturam fuisse Curionem praeviderant.

1 *Numidae.*] Numidia Africae regio, quae erat Carthagini proxima.

2 *Juba.*] Hiempsalis fuit filius, rex Numidiae, partes Pompeii secutus est, ex quo Curio tribunus pleb. legem promulgarat, qua regnum illius publicaverat, quod defensum à Pompeio fuerat. Id testatur Lucan. lib. IV.

Nec solum studiis civilibus arma parabat,
Privatae sed bella dabat Juba concitus irae.
Hunc quoque quo superos humanaque polluit anno,
Lege tribunitia solio depellere avorum
Curio tentârat, Libyamque auferre tyranno,
Dum regnum te Roma facit. Memor ille doloris,
Hoc bellum sceptri fructum putat esse retenti.

3 *Vela direxisset.*] Dicitur et *vela dare.* Virg. Aeneid. I.

Vix è conspectu Siculae telluris in altum
Vela dabant laeti.——

et *vela facere.* Item Virg. Aeneid. 5.

Vela facit tamen, et plenis subit ostia velis.

4 *Imperator appellatur.*] Post ducis factum militare paullo insignius hic titulus honoris caussâ solebat in ducem conferri, ut passim apud Autores legitur.

5 *Ab rege missa.*] Juba.

celeriter in oppidum recepit, magnum peditum numerum interficiunt.

XXVII. Proximâ nocte centuriones Marsi II ex castris Curionis, [1] cum manipularibus suis XXII, ad Attium Varum perfugiunt. Ii, seu verè, quam habuerant, opinionem perferunt, sive etiam auribus Vari serviunt, (nam quae volumus, et credimus libenter, et, quae sentimus ipsi, reliquos sentire speramus ;) confirmant quidem certè totius exercitûs animos alienos esse à Curione : maximè opus esse in conspectu exercitum venire, et colloquendi dare facultatem. Quâ opinione adductus Varus, postero die manè legiones ex castris educit. Facit idem Curio : atque unâ valle non magnâ interjectâ, suas uterque copias instruit.

XXVIII. Erat in exercitu Vari [2] Sext. Quinctilius Varus, quem fuisse Corfinii suprà demonstratum est. Hic, dimissus à Caesare, in Africam venerat : legionesque eas transduxerat Curio, quas superioribus temporibus Corfinio receperat Caesar ; adeò ut, paucis mutatis centurionibus, iidem ordines, manipulique constarent. Hanc nactus appellationis caussam Quinctilius, circumire aciem Curionis, atque obsecrare milites coepit, ne primi sacramenti, quod apud Domitium, atque apud se quaestorem dixissent, memoriam deponerent ; neu contra eos arma ferrent, qui eâdem essent usi fortunâ, eademque in obsidione perpessi : neu pro iis pugnarent, à quibus contumeliâ perfugae appellarentur. His pauca ad spem largitionis addit, quae ab suâ liberalitate, si se atque Attium secuti essent, exspectare deberent. Hâc habitâ oratione, nullam in partem ab exercitu Curionis fit significatio : atque ita suas uterque copias reducit.

XXIX. At in castris Curionis magnus omnium incessit timor : nam is variis hominum sermonibus celeriter augetur. Unusquisque enim opiniones fingebat ; et [3] ad id quod ab alio audierat, sui aliquid timoris addebat. [4] Hoc ubi uno auctore ad plures permanaverat, atque alius alii transdiderat, plures auctores ejus rei videbantur. [5] Civile bellum : [6] genus hominum ; [7] quod liceret liberè facere, et sequi quod vellet. Legiones eae, quae paullò antè apud adversarios fuerant (nam etiam Caesaris beneficium mutaverat con-

NOTAE.

1 *Cum manipularibus suis.*] Duo enim centuriones manipulo praeerant, qui duabus constabat centuriis.

2 *Sext. Quinctilius Varus.*] Is post cladem in Philippis acceptam, propria manu periit, cujus filius Quinctilius Varus longo post tempore cum tribus legionibus in Germaniâ caesus est, Augusto imperante.

3 *Ad id quod ab alio audierat*, &c.] Ad id quod audierat dici à milite quodam paulo iniquius et adversum imperatori suo Curioni, addebat aliquid aliud praeterea de suo, quod ipse auditor formidaret, non dixisset ille qui locutus fuerat de Curione.

4 *Hoc ubi uno auctore*, &c.] Atque adeo terrebat magis, quasi fuisset haec omnium sententia, quae perhibebatur à tam multis.

5 *Civile bellum*, &c.] Ab hoc loco usque ad *Quibus de caussis concilio convocato*, omnia sunt mutila et mendosa, unde nihil boni et sani sensus possit confici, nisi locus ope cujusdam exemplaris melioris restituatur. *Civile bellum*, in quo nihil sanctum, nihil turpe.

6 *Genus hominum.*] Quod fidem Pompeii erat ante secutum.

7 *Quod liceret libere facere.*] Emendo cum Flavio Ursino : *Quod liberet, licere fa-*

suetudo) qua offerrentur municipia etiam adversis partibus conjuncta. Neque enim ex Marsis Pelignisque veniebant, ut qui superiore nocte in contuberniis, commilitonesque nonnulli graviores sermones militum vulgo duriùs accipiebant. Nonnulla etiam ab iis qui diligentiores videri volebant, fingebantur.

XXX. Quibus de caussis, concilio convocato, de summâ rerum deliberare incipit. Erant sententiae, quae conandum omnibus modis, castraque Vari oppugnanda censerent; [1] quòd, hujusmodi militum consiliis otium maximè contrarium esse arbitrarentur. Postremo praestare dicebant, per virtutem in pugnâ belli fortunam experiri, quâm desertos, et circumventos à suis gravissimum supplicium pati. Porrò erant, qui censerent de tertia vigilia in castra Corneliana recedendum; ut, majore spatio temporis interjecto, militum mentes sanarentur; simul, si quid gravius accidisset, magna multitudine navium et tutiûs et faciliùs in Siciliam receptus daretur.

XXXI. Curio utrumque improbans consilium, [2] quantum alteri sententiae deesset animi, [3] tantum alteri superesse dicebat: hos turpissimae fugae rationem habere, illos etiam iniquo loco dimicandum putare. Qua enim, inquit, fiducia et opere, et natura loci munitissima castra expugnari confidimus? Aut verò quid proficimus, si, accepto magno detrimento, ab oppugnatione castrorum discedimus? Quasi non et felicitas rerum gestarum, exercitus benevolentiam imperatoribus, et res adversae odia concilient. Castrorum autem mutatio quid habet nisi turpem fugam, et desperationem omnium, et alienationem exercitûs? Nam neque prudentes suspicari oportet, sibi parum credi; neque improbos scire, sese timeri: quòd illis licentiam timor augeat, nostris studia deminuat. Quod si jam, inquit, haec explorata habemus, quae de exercitûs alienatione dicuntur; quae quidem ego aut omnino falsa, aut certè minora opinione esse confido: quantò haec dissimulare, et occultare, quàm per nos confirmari, praestat? An non utì corporis vulnera, ita exercitûs incommoda sunt tegenda, ne spem adversariis augeamus? At etiam, ut media nocte proficiscamur, addunt: quò majorem, credo, licentiam habeant, qui peccare conentur. Namque hujusmodi res aut pudore aut metu tenentur; quibus rebus nox maximè adversaria est. Quare neque tanti sum animi, ut sine spe castra oppugnanda censeam;

NOTAE.

cere et sequi quod vellet, quod ait esse in suo vetustissimo codice, quod et adstruit Lucanus, lib. iv.

Hac igitur regis trepidat jam Curio fama,
Et quod Caesareis nunquam devota juventus
Illa nimis castris, nec Rheni miles in undis
Exploratus erat, Corfini captus in arce,
Infidusque novis ducibus dubiusque priori
Fas utrumque putat——

1 *Quod hujusmodi militum consiliis otium*, &c.] Id est, nocet. Si enim ad verbum accipitur, otium favet potius his consiliis quam contrarium est. Lucanus, lib. IV.

——*varium semper dant otia mentem.*
Eripe consilium pugnae, cum dira voluntas
Ense subit presso, galea texere pudorem,
Quis conferre duces meminit? Quis pendere caussas?
Qua stetit, inde favet——

2 *Quantum alteri sententiae deesset animi.*] Posteriori.

3 *Tantum alteri*, &c.] Quae castra Vari censebat oppugnanda.

neque tanti timoris, ut ipse deficiam: atque omnia priùs experienda arbitror: magnâque ex parte jam me unà vobiscum de re judicium facturum confido.

XXXII. [1] Dimisso concilio, concionem advocat militum; commemorat, quo sit eorum usus studio ad Corfinium Caesar, ut magnam partem Italiae, beneficio atque auctoritate eorum, suam fecerit. Vos enim, vestrumque factum, inquit, omnia deinceps municipia sunt secuta, neque sine caussâ et Caesar amicissimè de vobis, et illi gravissimè judicaverunt. Pompeius enim, nullo proelio pulsus, vestri facti praejudicio demotus, Italiâ excessit: Caesar me, quem sibi carissimum habuit, provinciamque [2] Siciliam atque Africam, sine quibus urbem atque Italiam tueri non potest, vestrae fidei commisit. Adsunt qui vos hortentur, ut à nobis desciscatis. Quid enim est illis optatius, quàm uno tempore et nos circumvenire, et vos nefario scelere obstringere? Aut quid irati gravius de vobis sentire possunt, quam ut eos prodatis, qui se vobis omnia debere judicant? in eorum potestatem veniatis, qui se per vos perîsse existimant? An verò in Hispaniâ res gestas Caesaris non audîstis? duos pulsos exercitus? [3] duos superatos duces? [4] duas receptas provincias? [5] haec acta diebus XL, quibus in conspectu adversariorum venerit Caesar. An qui incolumes resistere non potuerunt, perditi resistant? Vos autem, incertâ victoriâ Caesarem secuti, dijudicatâ jam belli fortunâ victum sequamini, quum vestri officii praemia percipere debeatis? Desertos enim se ac proditos à vobis dicunt, et prioris sacramenti mentionem faciunt. Vosne verò L. Domitium, an vos L. Domitius deseruit? Nonne extremam pati fortunam paratos projecit ille? Non sibi, clam vobis, salutem fugâ petivit? Non, proditi per illum, Caesaris beneficio estis conservati? Sacramento quidem vos tenere quî potuit? Quum projectis fascibus, et deposito imperio, privatus et captus ipse in alienam venisset potestatem? Relinquitur nova religio, ut, eo neglecto sacramento, quo nunc tenemini, [6] respiciatis illud, quod deditione ducis et capitis diminutione sublatum est. At credo, si Caesarem probatis, in me offenditis; qui de meis in vos meritis praedicaturus non sum, quae sunt adhuc et meâ voluntate et vestrâ expectatione leviora. Sed tamen sui laboris milites semper, eventu belli, praemia petiverunt; qui qualis sit futurus, ne vos quidem dubi-

NOTAE.

1 *Dimisso concilio concionem advocat militum.*] Diversa enim concio à concilio. In concilium pauci conveniunt, in concionem omnes, ut supra dictum.

2 *Siciliam atque Africam.*] Quia utraque fertilissima est. Consilium autem Pompeii fuit, istis occupatis provinciis, Italiam fame conficere.

3 *Duos superatos duces.*] Afranium et Petreium.

4 *Duas receptas provincias.*] Hispaniam, citeriorem et ulteriorem.

5 *Haec acta diebus* XL, *quibus*, &c.] Facto numerandi initio ab eo die quo ante exercitum hostilem coepit esse. Sic Cicero dicit: *Venit in senatu.* Sic Phaedrus: *In conspectu meo audet venire.* Sic Varro, sic alii. Ubi *in* praepositio jungitur cum ablativo, quamvis motus significetur.

6 *Respiciatis illud, quod deditione ducis.*] Mi-

tatis: Diligentiam quidem nostram, aut quem ad finem adhuc res processit, fortunamque, cur praetercam? An poenitet vos quòd salvum atque incolumem exercitum, nullâ omnino nave desideratâ, transduxerim? quòd classem hostium primo impetu adveniens profligaverim? quòd bis per biduum equestri proelio superaverim? quòd ex portu sinuque adversariorum, CC naves onerarias adduxerim? eoque illos compulerim, ut neque pedestri itinere, neque navibus commeatu juvari possint? Hàc vos fortuna, atque his ducibus repudiatis, Corfiniensem ignominiam, [an] Italiae fugam, [an] Hispaniarum deditionem, [an] Africi belli praejudicia sequimini? Equidem me Caesaris militem dici volui: vos me Imperatoris nomine appellavistis. Cujus si vos poenitet; vestrum vobis beneficium remitto, mihi meum restituite nomen, ne ad contumeliam honorem dedisse videamini.

XXXIII. Quâ oratione permoti milites, crebrò etiam dicentem interpellabant; ut magno cum dolore infidelitatis suspicionem sustinere viderentur. Discedentem verò ex concione universi cohortantur, magno sit animo, neu dubitet proelium committere, at suam fidem virtutemque experiri. Quo facto, commutatâ omnium voluntate et opinione, consensu summo constituit Curio, quum primùm sit data potestas, proelio rem committere. Postero die productos, loco eodem quo superioribus diebus constiterat, in acie collocat. Ne Varus quidem Attius dubitat copias producere; sive sollicitandi milites, sive aequo loco dimicandi detur occasio, ne facultatem praetermittat.

XXXIV. Erat vallis inter duas acies, ut suprà demonstratum est, non ita magno ac difficili et arduo adscensu. Hanc uterque, si adversariorum copiae transire conarentur, exspectabat; quo aequiore loco proelium committeret. Simul à sinistro cornu P. Attii equitatus omnis, et unà levis armaturae interjecti complures, quum se in vallem demitterent, cernebantur. Ad eos Curio equitatum, et duas Marrucinorum cohortes, mittit: quorum primum impetum equites hostium non tulerunt: sed, admissis equis, ad suos refugerunt: relicti ab iis, qui unà procurrerant, levis armaturae, circumveniebantur atque interficiebantur ab nostris. Huc tota Vari conversa acies, suos fugere et concîdi videbat. Tum Rebilus legatus Caesaris, quem Curio secum ex Siciliâ duxerat, quòd magnum habere usum in re militari sciebat: Perterritum, inquit, hostem vides, Curio. Quid dubitas uti temporis opportunitate? Ille unum elocutus, ut memoriâ tenerent milites ea, quae pridie sibi confirmâssent, sequi sese jubet, et praecurrit ante omnes:

NOTAE.

lites duo fecerant sacramenta, unum apud Domitium, alterum apud Caesarem. Hic quaeritur an capto duce solvatur prius sacramentum? Si adversus hostes exteros res gereretur, non solveretur sacramentum. Pugnant enim hostes de excidio patriae tuae, non vero cives in civili bello de tollenda pugnant, atque adeo non ibi censendi desertores qui à duce ad ducem adversae partis transeunt, toliturque facile primum sacramentum. Ea sententia est Jurisconsulti Ulpiani. Caput apud jurisconsultos statum significat, et capite diminutus dicitur, qui cum sui juris esset, alieno subjectus esse coepit. Sed hoc acerbè hic dictum. Non enim sunt captivitates inter cives pugnantes. Sed illud jus inter hostes tantum manet.

adeòque erat impedita vallis, ut in adscensu, nisi sublevati à suis, primi non facilè eniterentur. Sed praeoccupatus animus Attianorum militum timore et fugâ et caede suorum, nihil de resistendo cogitabat; omnesque jam se ab equitatu circumveniri arbitrabantur. Itaque priùs quàm telum adjici posset, aut nostri propriùs accederent, omnis Vari acies terga vertit, seque in castra recepit.

XXXV. Quâ in fugâ Fabius Pelignus quidam, ex infimis ordinibus, de exercitu Curionis, primum agmen fugientium consecutus, magnâ voce Varum nomine appellans requirebat; utì unus esse ex ejus militibus, et monere aliquid velle ac dicere videretur. Ubi ille saepius appellatus adspexit, ac restitit; et quis esset, aut quid vellet, quaesivit; humerum apertum gladio adpetit; paullùmque abfuit, quin Varum interficeret. Quod ille periculum, sublato ad ejus conatum scuto, vitavit. Fabius, a proximis militibus circumventus, interficitur; ac fugientium multitudine ac turbâ portae castrorum occupantur, atque iter impeditur; pluresque in eo loco sine vulnere, quàm in proelio aut fugâ intereunt. Neque multùm abfuit, quin etiam castris expellerentur; ac nonnulli protinus eodem cursu in oppidum contenderunt. Sed quum loci natura, tum munitio castrorum aditum prohibebat; quòd ad proelium egressi Curionis milites, iis rebus indigebant, quae ad oppugnationem castrorum erant usui. Itaque Curio exercitum in castra reducit, suis omnibus praeter Fabium incolumibus; ex numero adversariorum circiter DC intersectis, ac mille vulneratis: qui omnes discessu Curionis, multique praeterea, per simulationem vulnerum, ex castris in oppidum, propter timorem, sese recipiunt. Quâ re animadversâ, Varus, et terrore exercitûs cognito, [1] buccinatore in castris, et paucis ad speciem tabernaculis relictis, de tertiâ vigiliâ silentio exercitum in oppidum reducit.

XXXVI. Postero die Curio Uticam obsidere, et vallo circummunire instituit. Erat in oppido multitudo insolens belli, diuturnitate otii; [2] Uticenses, pro quibusdam Caesaris in se beneficiis, illi amicissimi; conventus, qui ex variis generibus constaret: terror ex superioribus proeliis magnus. Itaque de deditione omnes palàm loquebantur, et cum P. Attio agebant, ne suâ pertinaciâ omnium fortunas perturbari vellet. Haec quum agerentur, nuntii praemissi ab rege Jubâ venerunt; qui illum cum magnis copiis adesse dicerent, et de custodiâ ac defensione urbis hortarentur: quae res eorum perterritos animos confirmavit.

XXXVII. Nuntiabantur haec eadem Curioni; sed aliquandiu fides fieri non poterat: tantam habebat suarum rerum fiduciam. Jamque Caesaris in Hispaniâ res secundae in Africam nuntiis ac litteris perferebantur. Quib u omnibus rebus sublatus, nihil contra se regem nisu-

NOTAE.

1 *Buccinatore.*] Buccinator in castris vigiliarum tempora cantu designabat, quem hic in castris reliquit.

2 *Uticenses pro quibusdam,* &c.] Beneficium erat legis Juliae, qua sua illis libertas relinquebatur.

rum existimabat. Sed ubi certis auctoribus comperit, minùs v et xx millibus (longè) ab Uticâ ejus copias abesse: relictis munitionibus, sese in castra Corneliana recepit. Huc frumentum comportare, castra munire, materiam conferre coepit; statìmque in Siciliam misit, utì II legiones, reliquusque equitatus ad se mitteretur. Castra erant ad bellum ducendum aptissima, naturà, et loci munitione, et maris propinquitate, et aquae et salis copiâ; cujus magna vis jam ex proximis erat salinis eò congesta. Non materia, multitudine arborum; non frumentum, cujus erant plenissimi agri, deficere poterat. Itaque suorum omnium consensu Curio reliquas copias exspectare, et bellum ducere parabat.

XXXVIII. His constitutis rebus, probatisque consiliis, ex perfugis quibusdam oppidanis audit, [1] Jubam revocatum finitimo bello, et controversiis [2] Leptitanorum, restitisse in regno; Saburam ejus praefectum cum mediocribus copiis missum, Uticae appropinquare. His auctoribus temere credens, consilium commutat, et proelio rem committere constituit. [3] Multum ad hanc rem probandam adjuvat adolescentia, magnitudo animi, superioris temporis proventus, fiducia rei bene gerendae. His rebus impulsus, equitatum omnem primâ nocte ad castra hostium mittit, ad flumen Bagradam, quibus praeerat Sabura, de quo antè erat auditum. Sed rex omnibus copiis insequebatur, ėt VI millium passuum intervallo à Saburâ consederat. Equites missi nocte iter conficiunt. Imprudentes, atque inopinantes hostes aggrediuntur. Numidae enim, quâdam barbarâ consuetudine, nullis ordinibus passìm consederant. Hos oppressos somno et dispersos adorti, magnum eorum numerum interficiunt. Multi perterriti profugiunt. Quo facto ad Curionem equites revertuntur, captivosque ad eum reducunt.

XXXIX. Curio cum omnibus copiis quartâ vigiliâ exiêrat, cohortibus v castris praesidio relictis. Progressus millia passuum VI, equites convenit; rem gestam cognovit; ex captivis quaerit, quis càstris ad Bagradam praesit? Respondent, Saburam. Reliqua, studio itineris conficiendi, quaerere praetermittit; proximaque respiciens signa, Videtisne, inquit, milites, captivorum orationem cum perfugis convenire? abesse regem; exiguas esse copias missas, quae paucis equitibus pares esse non potuerunt. Proinde ad praedam, ad gloriam, properate; ut jam de praemiis vestris, et de referendâ gratiâ, cogitare incipia-

NOTAE.

1 *Jubam revocatum finitimo bello.*] Frontinus stratagemati Jubae assignat quod sit à perfugis Curio deceptus, quos rex miserit: sic enim habet lib. II. Statagematum: *Juba rex in Africa bello civili, Curionis animum, simulato regressu, impulit in vanam alacritatem, cujus rei vanitate deceptus Curio, dum tanquam fugientem Saburam regium prefaectum persequitur, devenit in patentes campos, ubi, Numidarum circumventus equitatu, perdito exercitu, cecidit.* Lucanus, lib. IV.

Hoc solum metuens incautus ab hoste timeri.

2 *Leptitanorum.*] Leptis urbs est Africae, imo duae sunt ejus nominis; utra hic dicatur, non facile est statuere.

3 *Multum od hanc rem probandam adjuvat adolescentia.*] Temeritatem esse florentis aetatis, prudentiam senectutis, ait Cicero lib. de senectute.

mus. Erant per se magna, quae gesserant equites; praesertim quum eorum exiguus numerus cum tantâ multitudine Numidarum conferretur. Haec tamen ab ipsis inflatiùs commemorabantur; ut de suis homines laudibus libenter praedicant. Multa praeterea spolia praeferebantur. Capti homines, equitesque producebantur: ut, quidquid intercederet temporis, hoc omne victoriam morari videretur. Ita spei Curionis militum studia non deerant. Equites sequi jubet sese; iterque accelerat, ut quam maximè ex fugâ perterritos adoriri posset. At illi, itinere totius noctis confecti, subsequi non poterant; atque alii alio loco resistebant. Ne haec quidem res Curionem ab spe morabatur.

XL. Juba, certior factus à Saburâ de nocturno proelio, II millia Hispanorum et Gallorum equitum, quos suae custodiae caussâ circum se habere consueverat, et peditum eam partem, cui maximè confidebat, Saburae submittit; ipse cum reliquis copiis, elephantisque XL, lentiùs subequitur; suspicatus, praemissis equitibus, ipsum affore Curionem. Sabura copias equitum peditumque instruit: atque his imperat, ut simulatione timoris paullatim cedant, ac pedem referant: sese, quum opus esset, signum proelii daturum, et, quod rem postulare cognovisset, imperaturum. Curio, ad superiorem spem additâ praesentis temporis opinione, hostes fugere arbitratus, copias ex locis superioribus in campum deducit. Quibus ex locis quum longiùs esset progressus, confecto jam labore exercitu, XVI millium spatio, consistit. Dat signum suis Sabura, aciem constituit, et circumire ordines, atque hortari incipit. Sed peditatu duntaxat procul ad speciem utitur; equites in aciem mittit.

XLI. Non deest negotio Curio; suosque hortatur, ut spem omnem in virtute reponant. Nec militibus quidem, ut defessis; neque equitibus, ut paucis et labore confectis, studium ad pugnandum virtusque deerat: sed ii erant numero CC; reliqui in itinere substiterant. Hi quamcunque in partem impetum fecerant, hostes loco cedere cogebant. Sed neque longiùs fugientes prosequi, nec vehementiùs equos incitare poterant. At equitatus hostium ab utroque cornu circumire aciem nostram, et aversos proterere incipit. Quum cohortes ex acie procurrissent, Numidae integri celeritate impetum nostrorum effugiebant: rursusque ad ordines suos se recipientes circumibant, et ab acie excludebant. Sic neque in loco manere, ordinesque servare; neque procurrere, et casum subire, tutum videbatur. Hostium copiae, summissis ab rege auxiliis, crebrò augebantur. Nostris vires lassitudine deficiebant. Simul ii, qui vulnera acceperant; neque acie excedere, neque in locum tutum referri poterant; quòd tota acies equitatu hostium circumdata tenebatur. Hi de suâ salute desperantes, ut extremo vitae tempore homines facere consueverunt, aut suam mortem miserabantur, aut parentes suos commendabant, si quos ex eo periculo fortuna servare potuisset. Plena erant omnia timoris et luctûs.

XLII. Curio, ubi perterritis omnibus neque cohortationes suas, neque preces audiri intelligit; unam, ut in miseris rebus, spem reliquam

salutis esse arbitratus, proximos colles capere universos, atque eò inferri signo jubet. Hos quoque praeoccupat missus à Saburâ equitatus. Tum verò ad summam desperationem nostri perveniunt; et partìm fugientes ab equitatu interficiuntur, partìm integri procumbunt. [1] Hortatur Curionem Cn. Domitius praefectus equitum, cum paucis equitibus circumsistens, ut fugâ salutem petat, atque in castra contendat: et se ab eo non discessurum pollicetur. At Curio, nunquam amisso exercitu, quem â Caesare fidei suae commissum acceperit, se in ejus conspectum reversurum, confirmat; [2] atque ita proelians interficitur. Equites perpauci ex proelio se recipiunt. Sed ii, quos ad novissimum agmen, equorum reficiendorum caussâ, substitisse demonstratum est, fugâ totius exercitûs procul animadversâ, se e incolumes in castra conferunt. Milites ad unum omnes interficiuntur.

XLIII. His rebus cognitis, M. Rufus quaestor, in castris relictus à Curione, cohortatur suos, ne animo deficiant. Illi orant, atque obsecrant, ut in Siciliam navibus reportentur. Pollicetur: magistrisque imperat navium, ut primo vespere omnes scaphas ad littus appulsas habeant. Sed tantus fuit omnium terror, ut alii adesse copias Jubae dicerent, alii cum legionibus instare Varum, jamque se pulverem venientum cernere, quarum rerum nihil omnino acciderat: alii classem hostium celeriter advolaturum suspicarentur. Itaque perterritis omnibus, sibi quisque consulebat. Qui in classe erant, proficisci properabant. Horum fuga navium onerariarum magistros incitabat. Pauci [3] lenunculi ad officium imperiumque conveniebant. Sed tanta erat completis littoribus contentio, qui potissimùm ex magno numero conscenderent; ut multitudine atque onere nonnulli deprimerentur, reliqui ob timorem propiùs adire tardarentur.

XLIV. Quibus rebus accidit, ut pauci milites, patresque familiae, qui aut gratiâ aut misericordiâ valerent, aut naves adnare possent, recepti in Siciliam incolumes pervenirent. Reliquae copiae, missis ad Varum noctu legatorum numero centurionibus, sese ei dediderunt. Quorum cohortes militum Juba postero die ante oppidum conspicatus, suam esse praedicans praedam, magnam partem eorum

NOTAE.

1 *Hortatur Curionem Cn. Domitius.*] Hic evasit incolumis; nam sequenti libro non nihil egit pro Caesare, Tisdraeque cum legionibus duabus relictus est, ut Confidium obsideret, ut merito dictum videatur,

Ἀνὴρ δὲ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

Vir fugiens rursùm pugnabit.

2 *Atque ita proelians interficitur.*] Casum Curionis vindictae Deorum tribuit Lucanus, lib. iv.

——*Luitis jugulo sic arma potentes.*
Felix Roma quidem civesque habitura beatos,
Si libertatis superis tam cura placeret,
Quam vindicta placet, &c.

Deinde ejus addit elogium, quod quia singulare, addere operae pretium esse judico:

Haud alium tanta civem tulit indole Roma,
Aut cui plus leges deberent recta sequenti.
Perdita tunc urbi nocuerunt saecula, postquam
Ambitus et luxus et opum metuenda facultas
Transverso mentem dubiam torrente tulerunt,
Momentumque fuit mutatus Curio rerum,
Gallorum captus spoliis et Caesaris auro.
Jus licet in jugulos nostros sibi fecerit ense
Sylla potens, Mariusque ferox, et Cinna cruentus
Caesareaeque domus series, cui tanta potestas
Concessa est, emere omnes, hic vendidit urbem.

5 *Lenunculi.*] Lenunculus genus navigii piscatorii.

interfici jussit: paucos electos in regnum remisit. Cùm Varus suam fidem ab eo laedi quereretur, neque resistere auderet; ipse equo in oppidum vectus, prosequentibus compluribus senatoribus, quo in numero erat Ser. Sulpicius, et [1] Licinius Damasippus; paucis diebus,

NOTAE.

1 *Licinius Damasippus.*] Postea in eadem Africa periit cum Scipione, ut videre est in libro de bello Africano, quia pertinaciore studio Pompeio adhaeserat. Incolumitatem tamen ejus liberis Caesar concessit. Haec fuit gens illustrissima quamvis Plebeia in multas familias divisa, Calvorum, Crassorum, Lucullorum et Muraenarum.

Ex tertio libro qui proximus est, item ex aliquot aliorum scriptorum locis, constat multa in hoc desiderari, quae, quia ad Caesaris laudem minimè pertinent, existimo ab ipso vel suppressa, vel adeo tenuitèr et levitèr delibata ut facilè perierint. Solet enim Caesar ut scopulos ea loca declinare, unde nihil laudis, vel non nihil dedecoris in se redundare praevideret. Sic aerarii expilationem Metello trib. plebis fortiter reclamante, cui mortem minatus est, nisi alii autores scripsissent, vix cognovissemus ex his Commentariis. Haec porro sunt quae vel indicta vel amissa sunt in hoc Commentario, quae sic supplebimus. Orosius lib. vi. cap. 15. *At verò Dolabella partium Caesaris in Illyrico per Octaviam et Libonem victus, copiisque exutus ad Antonium fugit: Basilus et Sallustius dividentes singulas legiones quibus praeerant, similiter et Antonius Hortensius quoque ab intimo mari cum classe concurrens, omnes pariter adversus Octavium et Libonem profecti et victi sunt. Antonius cum se Octavio cum* XV. *cohortibus dedisset, omnes ad Pompeium à Libone deducti sunt.* Dio lib. XLI. Ἐν ῷ δὲ δὴ ταῦτα ἔν τε τῃ Ῥώμῃ καὶ ἐν τῃ Ἰϐηρια ἐγίγνετο, Μάρκος μὲν Ὀκτάυιος καὶ Λύκιος Σκριϐώνιος Λίϐων Πύπλιον Κορνήλιον Δολοϐέλλαν τά τε τοῦ Καίσαρος πράττοντα καὶ ἐν τῃ Δαλματία ὄντα ἐξήλασαν ἐξ αυτῆς, τῷ τοῦ Πομπηΐου ναυτικῷ χρωμενοι· καὶ μετὰ τοῦτο Γαΐον Ἀντώνιον ἐπαμῦναι οἱ ἐθελήσαντα ἔς γε νησίδιον τι κατέκλεισαν, κἀν ταῦθα πρὸς τε τῶν ἐπιχωρίων ἐγκαταλειφθέντα καὶ λιμῷ πιεσθέντα πασσυδὶ πλὴν ὀλίγων εἶλον· εἴς τε γὰρ τὴν ἤπειρον ἔφθησαν τινες αυτῶν διαφυγόντες, καὶ ἕτεροι ἐν σχεδίαις διαπλέοντες, και ἁλισκόμενοι αυτοὺς ἀπεχρήσαντο. *Dum haec Romae et in Hispania geruntur, M. Octavius et L. Scribonius Libo P. Cornelium Dolabellam Caesaris administrum, ex Dalmatia, in qua tum forte erat, ejecerunt, classe Pompeii usi. Dehinc C. Antonium subvenire ei volentem in exiguam quandam insulam concluserunt, ibique ab incolis desertum fameque pressum paucis demptis, cum omni manu quam secum habuerat, ceperunt. Nonnulli enim in continentem effugerunt, aliique quidem ratibus mare trajicientes, cum interciperentur, mortem sibi consciverunt.* Quod à Lucano lib. IV. fuit eleganter descriptum, et est in epitome Liviana lib. CX. Appianus verò lib. II. bello civili, sic habet: Καὶ των αὐτων ἡμερῶν Ἀντώνιος τε περὶ τὴν Ἰλλυρίδα ἡσσᾶτο ὑπὸ Ὀκταουΐου Πομπηΐῳ στρατηγοῦντος, καὶ Δολαϐέλλα καὶ στρατεία Καίσαρος ἄλλη περὶ Πλακεντίαν στασιάσασα τῶν ἀρχόντων κατεϐόησεν ὡς ἔν τε τῇ στράτεια βραδυνοντες, καὶ τὰς πέντε μνᾶς οὐ λαϐόντες, ἣν τινα δωρεὰν αυτοῖς ὁ Καῖσαρ ἔτι περὶ Βρεντεσιον υπεσχητο ὧν ὁ Καῖσαρ πυθόμενος, ἐκ Μασσαλιας ἐς Πλακεντίαν ἠπείγετο συντόμως· καὶ ἐς ἔτι στασιάζοντας ἐπελθὼν, ἔλεγεν ὧδε· Τάχει μὲν ὅσω περὶ ἕκαστα χρῶμαι συνιστε μοι· βραδυνει δ' ὁ πόλεμος, οὐ δι' ἡμᾶς, ἀλλὰ διὰ τοὺς πολεμίους ὑποφευγοντας ἡμᾶς· ὑμεῖς δ' ἔντε Γαλατία πολλὰ τῆς ἐμης ἀρχῆς ὀνούμενοι καὶ ἐς τόνδε τὸν πόλεμον ὅλον, οὐκ ἐς μέρος αὐτοῦ μοι συνομόσαντες, ἐν μέσοις ἔργοις ἡμὰς ἀπολείπετε, καὶ τοῖς ἄρχουσιν ἐπανιστασθε, καὶ προστάττειν ἀξιοῦτε, παρ' ὧν χρη προσταγματα λαμϐανειν· μαρτυράμενος οὖν ἐμαυτὸν τῆς εἰς ὑμᾶς μέχρι δεῦρο φιλοτιμίας, χρήσομαι τῷ Πετρείῳ νόμῳ, καὶ τοῦ ἐνάτου τέλους (ἐπειδὴ μαλιστὰ τῆς στάσεως κατῆρξε) τὸ δεκατον κληρώσω θανεῖν. Θρηνου δὲ ἀθρόως ἐξ ἅπαντος τοῦ τελους γενομενου, οἱ μὲν ἄρχοντες αυτοῦ προσπεσόντες ἱκέτευον· ὁ δὲ Καῖσαρ μόλις τε καὶ κατ' ὀλίγον ἐνδιδοὺς, ἐς τοσοῦτον ὅμως ὑφῆκεν, ὡς ἑκατον καὶ εἴκοσι μόνους (οἱ κατάρξαι μάλιστα εδοκουν) διακληρῶσαι, καὶ δυόδεκα αυτῶν τοὺς λαχόντας ἀνελεῖν· τῶν δε δυοδεκα τῶν δε ἐφανη τις οὐδ' ἐπιδημῶν, ὅτε ἡ στάσις ἐγίγνετο, καὶ ὁ Καῖσαρ τὸν ἐμφήναντα λοχαγὸν ἔκτεινεν ἀντ' αυτοῦ. *Iisdem fere diebus Antonius circa Illyricum a Dolabella Pompeiano duce superatur, et Caesais exercitus alius circa Placentiam seditiosè suis praefectis reclamabat, bellum eos trahere, nec sibi quinas minas reddere, quas donativi nomine Caesar pollicitus eis Brundusii fuerat. Ille hoc cognito Placentiam advolavit è Massilia. Et turbulentos etiam tum repertos sic allocutus est. Nota est vobis solita mea celeritas. Nos vero in mora non sumus; sed hostes qui nos fugiunt. Vos qui in Gallia me duce magna percepistis commoda et fidem vestram non in partem hujus belli, sed in universum mihi obligästis, in praefectos*

quae fieri vellet, Uticae constituit atque imperavit: diebusque post paucis se in regnum cum omnibus copiis recepit.

NOTAE

insurgitis, imperare vultis his quorum oportebat imperata facere. Quum igitur meipsum testem habeam meae perpetuae in hanc usque diem erga vos observantiae. tractabo vos lege Petreia, et nonam legionem decimabo, quandoquidem inde ortum est seditionis initium. His auditis, in legione fuit comploratio. Tribuni verò supplices rogabant veniam. Caesar aegrè cunctanterque exoratus, hactenus tamen poenam remisit, ut ex CXX *solis qui praecipui seditionis autores videbantur, in duodecim sorte ductos animadverteret. Ex his duodecim unum compertum est abfuisse seditionis tempore. Pro quo Caesar centurionem occidit, qui eum detulerat.* Pauloque infra: ἡ μὲν περὶ Πλακεντίαν στάσις οὕτως ἐλέλυτο, ὁ δὲ Καῖσαρ ἐς Ῥώμην παρῆλθε, *Hoc modo seditione sopita apud Placentiam, Caesar in urbem venit.* Suetonius in Julio, cap. 36. *Omnibus civilibus bellis cladem nullam nisi per legatos suos passus est, quorum C. Curio in Africa periit; C. Antonius in Illyrico in adversariorum devenit potestatem; P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Calvinus in Ponto exercitum amiserunt.* Idem cap. 69. *Nonam legionem apud Placentiam, quanquam adhuc in armis Pompeius esset, totam cum ignominia missam fecit, aegrèque post multas et supplices preces, nec nisi exacta de sontibus poena, restituit.*

LIBER III.

ARGUMENTUM.

Hoc libro narrat quae vires et auxilia ad bellum Pompeio fuerint: pacem item per Vibullium frustra oblatam: tum levia aliquot proelia ad Dyrrachium sibi infelicia: tandem pugnam Pharsalicam, quam consecuta est mors Cn. Pompeii; tum Alexandrini belli initia.

I. [1] DICTATORE habente comitia Caesare, consules creantur [2] (Julius) Caesar et P. Servilius. [3] Is enim erat annus, quo per leges ei consulem fieri liceret. His rebus confectis, [4] quum

NOTAE.

1 *Dictatore habente comitia Caesare.*] De dictatura satis multa supra dicta sunt, quae semestris tantum erat. Fiebat ad eas res, ubi unius requiritur dominatio, juxta Homericum illud:

> *Ουκ ἀγαθὸν πολυκοιρανὶη, εἷς κοίρανος ἔςω.*
> *Non plures regnare bonum est, rex unicus esto.*

Nempe reip. regendae, sedandae seditionis senatusque legendi causâ, levioribus etiam aliquando de caussis, ut ludorum Romanorum causa. Quod ea lege XII, tabularum continetur, quam refert Cicero lib. de legibus: *Si quando duellum gravius discordiaeve civium essent, unus ne amplius sex menses, nisi senatus creverit, idem juris quod duo consules teneto, isque ave sinistrâ magister populi esto.* Id est bono omine; nam sinistra fausta in sacris. Quique postea dictator dictus est, magister populi dicebatur, à consule quidem, nec nisi consularis, nec extra Italiam. Haec porro prima Caesaris dictatura fuit dierum XI altera semestris, quae erat saltem spatio legitima, tertia annua, quarta decennalis quinta perpetua sed brevis. Vitâ enim et dictaturâ, simul fuit privatus.

2 *(Julius) Caesar et P. Servilius.*] Maluit Caesar fieri consul quam diutiùs uti dictaturâ, qui magistratus propter nimiam potestatem erat invidiosus, exemplum secutus L. Posthumii interregiis, qui comitia cum haberet, se consulem fecit, item Q. Fabii. Hic porrò consulatus gestus est anno ab urbe condita DCCVI. cum P. Servilio Isaurico qui amicus erat Caesaris. Hoc nomen invenit ejus pater P. Servilius Vatia ab Isauro praecipuo Cilicum Piratarum oppido quod cepit, de quibus consul triumphavit. Fuit P. Servilius consul anno ab urbe cond. DCCXIII, sed alius ab hoc fortasse ejus filius. Interea Pompeiani Thessalonicae novos magistratus non creaverunt, sed superiorum nomina mutaverunt, ita ut consules proconsules dicerentur, praetores propraetores, et ad idem exemplum alii.

3. *Is enim erat annus, quo per leges, &c.*] Non enim licebat illi qui jam consul fuisset, consulatum secundum adipisci, nisi decimo post anno. Livius lib. VII. *Aliis plebiscitis cautum ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, neu duos magistratus uno anno gereret.* Id tamen postea non fuisse observatum arguunt fasti consulares. Sed verisimile est fuisse per populum legibus solutos. Sic idem T. Livius, seu potius in epitome Liv. lib. LVI. *Delatus est ultro Scipioni Africano à S. P. Q. R. consulatus, quem cum ille cupere ob legem quae vetabat quenquam intra decem annos iterùm consulem fieri licere, minimè vellet, sicuti priore consulatu legibus est solutus.* Sed tandem teste Appiano L. Sylla odio C. Marii, qui septies consul fuerat, eam legem revocavit.

4 *Quum fides tota Italiâ esset angustior.*] Cicero lib. 1. de officiis, docet quid sit fides: *Ex quo credamus quod fiat quod dictum*

fides totâ Italiâ esset angustior, neque creditae pecuniae solverentur; [1] constituit, ut arbitri darentur: per eos fierent aestimationes possessionum et rerum, [2] quanti quaeque earum ante bellum fuissent, atque eae creditoribus transderentur. [3] Hoc et ad timorem novarum tabularum tollendum minuendumque, qui ferè bella et civiles dissentiones sequi consuevit, et ad debitorum tuendam existimationem esse aptissimum existimavit. Item, [4] praetoribus, tribunisque pl. rogationes ad populum ferentibus, [5] nonnullos ambitûs Pompeiâ lege damnatos, illis temporibus, quibus in urbe praesidia legionum Pompeius ha-

NOTAE.

est appellatum esse fidem. Et lib. IV. de Rep. citante Nonio; *Fidei nomen ipsum videtur habere, cum sit quod dicitur.* Sed eo sensu sumpsit quo hic sumptum, in orat. pro lege Manilia: *Nam tum cum in Asia res magnas permulti amiserunt, scimus Romae solutione impeditâ fidem concidisse.* Gallicè *Credit.* Sueton. *labefactatam*, Plaut. *sublestam*, Tacit. *afflictam* appellat. Hic non dicitur labefactata aut afflicta fides, aut concidisse, sed, quod minus est, angustior, quod modo dicitur *res angusta domi.*

1 *Constituit, ut arbitri darentur.*] Qui tamen sorte deligerentur, ut scribit Dio lib. XLI. Appianus vero lib. II. de bellis civilibus scribit iis arbitris hoc datum esse negotii, ut aestimarent possessiones, creditoresque cogerent eas in solutionem debiti accipere.

2 *Quanti quaeque earum ante bellum fuissent.*] Nam si pretium praesens esset constitutum, tanta pecuniae inopia, non solvissent aes suum alienum debitores, quamvis possessionibus suis fuissent ejecti. Nam vili pretio omnia vendebantur. Addit Suetonius deductam esse summam aeris alieni, si quid usurae nomine numeratum aut prescriptum fuisset.

3 *Hoc et ad timorem novarum tabularum.*] Tabulae dicebantur omne genus scripturarum quibus causam suam possent confirmare, quo nomine censebantur omnia instrumenta publica contractuum. Tabulae autem novae dicebantur, quum tabulis superiorum temporum antiquatis, solae tabulae novae quae in posterum fierent essent valiturae. Quo nomine designabant quod Gallice *banqueroute.* Coelius Rhodiginus lib. VII. sic eas explicat: *Quod cum pecuniae creditae obaeratis condonantur, novae mox cooriuntur tabulae, quibus nomina continebantur nova.* Vide Livium lib. VI. Hoc est quod Plutarchus ait *σεισαχθείᾳ τινὶ τοὺς χρεωφειλέτας ἐκούφισε.* *Sublevavit creditores quadam sisactia.* Quam in gratiam pauperum Solon invenit. Talem rem egentibus pollicebatur Catilina, ut legitur apud Sallustium. Porro rei totius iniquitatem breviter explicat Cicero lib. II. de offic. dum dicit: *Tabulae novae quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum, et cum tu habeas, ego non habeam pecuniam?*

4 *Praetoribus, tribunisque pl. rogationes,* &c.] Rogationes ferri dicebantur, cum rogabat aliquis populum, ut aliquam legem ferret. Rogare itaque legem nihil aliud est quàm proponere, dicebatque rogator: *Velitis, jubeatis, Quirites,* &c. Deinde rogatio pro ipsa lege sumpta est. Hic autem ferebant praetores tribunique pl. rogationes, sed ad nutum Caesaris, qui ad populum eos summittebat, ne arrogantiae tribueretur, si ipse per se et pro sua autoritate ageret, praesertim nondum victo Pompeio.

5 *Nonnullos ambitus Pompeia lege damnatos.* &c.] Multae leges de ambitu latae sunt. Sed postrema fere omnium, quae Pompei ab autore legis dicta fuit. Ambitus autem dicebatur, cum petebantur magistratus impensiùs quam mores legesve civitatis ferebant, aut pecunia praesertim redimebantur suffragia civium: cui ambitui multis, ut praedictum est, legibus obviàm itum, sed praesertim hac Pompeia quae lata est anno ab urbe condita DCCI, cum inter consulatus competitores Scipionem, Hypsaeum et Milionem non pecunia tantum, sed factionibus et armis res gereretur. Tunc enim per interregem Pompeius solus creatus consul de legibus novis ferendis retulit, duasque promulgavit, unam de vi, alteram, hanc scilicet, de ambitu, poenam graviorem, et formam judiciorum breviorem constituendo. Uno enim atque eodem die ab accusatore et reo jubebat perorari, duasque horas accusatori, tres reo dabat. Testis Asconius. Propterea hic dicitur, *singulis*

buerat, ([1] quae judicia, aliis audientibus judicibus, alias sententiam ferentibus, singulis diebus erant perfecta) in integrum restituit, qui se illi initio civilis belli obtulerant, si suâ operâ in bello uti vellet; perinde aestimans ac si usus esset, quoniam suî fecissent potestatem. Statuerat enim hos prius judicio populi debere restitui, quàm suo beneficio videri receptos; ne aut ingratus in referendâ gratiâ, aut arrogans in praeripiendo populi beneficio videretur.

II. [2] His rebus, et feriis Latinis, comitiisque omnibus perficiundis, XI dies tribuit, [3] dictaturâque se abdicat, et ab urbe proficiscitur, Brundisiumque pervenit. Eò legiones XII, equitatum omnem venire jusserat. Sed tantum navium reperit, ut angustè XX millia legionariorum militum, et DC equites transportare possent. Hoc unum ([4] inopia navium) Caesari ad conficiendi belli celeritatem defuit. Atque eae ipsae copiae hoc infrequentiores imponuntur, quòd multi Gallicis tot bellis defecerant, longumque iter ex Hispania magnum numerum diminuerat, et gravis autumnus [5] in Apuliâ circumque Brundusium, ex saluberrimis Galliae et Hispaniae regionibus omnem exercitum valetudine tentaverat.

III. Pompeius annuum spatium ad comparandas copias nactus, quod vacuum à bello, atque ab hoste otiosum fuerat, magnam

NOTAE.

diebus perfecta. Sed satis Caesar ipse ambitus repressit, cum rerum potitus comitia cum populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus, de caetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populos vellet pronuntiarentur, pro parte altera, quos ipse dedisset, et edebat per libellos circum tribus missos: *Caesar dictator illi tribui: Commendo vobis illum et illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneat.* Acriùs etiam ambitum repressit Augustus, cum statuit, ut in quinquennium à magistratibus arceretur qui esset damnatus ambitùs. Sed acriùs omnibus Tiberius qui suffragia à populo ad senatum, et à senatu ad se transtulit, atque ita omnem ambitum sustulit. Porro quod hìc fit à Caesare, sagacissimè fuerat oriente illo bello à M. Tullio provisum, epist. ad Atticum 3. libri VII. *Omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione ignominiaque dignos illac facere, omnem fere juventutem, omnem illam urbanam ac perditam plebem, tribunos valentes addito C. Crasso, omnes qui aere alieno premantur, quos plures esse intelligo quam putaram.*

1 *Quae Judicia.*] *Judicia populi*, qua de causa leges illas per tribus rogandas curaverat.

2 *His rebus et feriis Latinis.*] *Feriarum* ut docet Cicero lib. II. de legibus, *festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium et jurgiorum, in servis operum et laborum quia compositio anni conferre debet, et ad perfectionem operum rusticorum et ad remissionem animorum.* Feriae vero Latinae à Tarquinio Superbo fuerant institutae, dictae à Latinis populis, quibus in Albano monte è sacris carnem petere jus fuit cum Romanis, quarum dies indicebatur à consule. His autem feriis Latinis operam dare Caesar in magno negotio habuit, quod consules non ante paludati exire in provincias soliti essent, quam in monte Albano iis cum Latinis magistratibus operam dedissent, veriti, ne malè res ipsis in expeditionibus succederent, si secus fecissent. Porro hae feriae Latinae de numero erant conceptivarum, id est, quarum consul diem condicebat, nec erant annales, id est, stato anni die faciendae.

3 *Dictaturâque se abdicat.*] In quà nihil asperum gessit, imo omnibus exulibus praeter Milonem reditum concessit, in sequentem annum magistratus constituit, Gallisque cisalpinis jus civitatis Rom. concessit.

4 *Inopia navium.*] Videtur è margine in textum irrepsisse.

5 *In Apulia.*] Apuliae Italiae regio duplex, alter Daunia, nunc *Puglia Piana*; altera Peucetia, nunc *Terra di Bari*.

[1] ex Asiâ, [2] Cycladibusque insulis, [3] Corcyrâ, [4] Athenis, [5] Ponto, [6] Bithyniâ, [7] Syria, [8] Ciliciâ, [9] Phoenice, et [10] Aegypto classem coëgerat, magnam omnibus locis aedificandam curaverat; magnam imperatam Asiae, Syriae, regibusque omnibus, et [11] dynastis, et [12] tetrarchis, et liberis [13] Achaiae populis pecuniam exegerat; magnam [14] societates earum provinciarum, quas ipse obtinebat, sibi numerare coëgerat.

IV. Legiones effecerat civium Romanorum IX. V ex Italiâ, quas transduxerat, unam ex Siciliâ veteranam, quam, factam ex duabus,

NOTAE,

1 *Ex Asiâ.*] Non tertiam mundi partem intelligit, sed eam Asiae, partem, in qua erat Ionia, cujus caput Ephesus; nam nominat multas provincias, quae Asia latè sumpta continentur.

2 *Cycladibusque.*] Cycladas à promontorio Geresto circa Delum insulam (quae harum media est et clarissima) in orbem sitae; unde et nomen traxere, ut ait Plin. κύκλος enim *circulum* significat. Virgilius vocat.

> ——*sparsasque per aequor*
> *Cycladas.*——

3 *Corcyra.*] Insula maris Ionii, Phaecia Homero dicta, regis Alcinoi regnum, nunc in Venetorum ditione, frustra tentata à Solimanno Turcarum Imperatore anno MDXXVII habet urbem cognomine *Corfu.*

4 *Athenis.*] Athenae urbs Graeciae quondam primaria, clara ingeniis et fortibus ausis, caput Atticae regionis, sic dicta à Minerva Graecè Ἀθηνᾶ, quae quidem cum contenderet cum Neptuno de imponendo urbi nomine, convenissetque, ut qui utiliorem humano generi rem procreâsset, caussam obtineret; Equum Neptunus, Oleam vero Minerva creavit, quae visa melior.

5 *Ponto.*] Pontus Asiae regio, Mithridatis, olim, tunc Pharnacis ejus filii regnum. Est et alius Pontus in Europa circa Danubii ostia ubi exulavit Ovidius, de quo nunc non agitur.

6 *Bithynia.*] Asiae regio nobilissima, in qua Nicaea, Prusias, Nicodemia clarae urbes, cujus Nicomedes rex erat.

7 *Syria.*] Syria à Cicilia ad Arabiam usque pertinens, in Palaestinem, Phoeniciam, Antiochenen, Comagenem, et Coelen dividitur.

8 *Cilicia.*] Cilicia Taurum inter et mare porrigitur, cujus metropolis erat Tarsus. Nunc dicitur *Caramania.* Ad orientem habet Amanum montem, ad occasum Pamphyliam a meridie mare Mediterraneum, à septentrione Cappadociam.

9 *Phoenice.*] Phoenice Syriae pars est in qua jacet Tyrus et Sidon urbes nobilissimae, Cherseo et Eleuthero fluminibus terminata. *Ipso gens Phoenicum in gloria magna litterarum inventionis, et syderum navaliumque ac bellicarum artium*, ait Plinius.

10 *Aegypto.*] Aegyptus Ptolemaeorum regnum, intersecatur Nilo flumine, nomenque adhuc retinet.

11 *Dynastis.*] Dynasta, vox Graeca, quae potestatem significat, tribuiturque regibus exoticis, qui non satìs amplam terram in sua potestate habent, à qua regium nomen promereantur.

12 *Tetrarchis.*] Tetrarchae qui partem regni alicujus quartum habent, quales erant in Judaeâ qui Herodis regnum inter se diviserant, de quibus legitur in Evangelio.

13 *Achaiae.*] Achaia propriè est Peloponnesus, ut ex Homero probat Strabo: postea vero totam ferè Peloponnesum complexa, è qua tantum excipiebantur Arcadia et Lacedaemonia; sed et illa olim accensebatur Achaiae, imò tandem sub Philopoemene in Achaeorum societatem venit. Achaei postremi omnium Graecorum libertatem retinuerunt. Propterea hìc dicuntur liberi Achaeorum populi. Achaiam *meram Graeciam* vocat Plinius VIII. epist. Alia etiam est Achaia inter Macedoniam ex Peloponnesum.

14 *Societates earum provinciarum.*] Societates ejusmodi erant, publicanorum, qui publica tributa redemerant, nunc Gallicè dicuntur *Compagnies.* Item corpora et collegia lib. I. Digest, quique eis praeerant, magistri societatem dicebantur, lib. IV. Digest. de pactis

gemellam appellabat; unam ex [1] Cretâ et [2] Macedoniâ, ex veteranis militibus, qui dimissi à superioribus imperatoribus in iis provinciis consederant; II ex Asiâ, quas Lentulus conscribendas curaverat. Praeterea magnum numerum ex [3] Thessalia, [4] Boeotia, Achaia, [5] Epiroque supplementi nomine in legiones distribuerat. [6] His Antonianos milites admiscuerat. Praeter has exspectabat cum Scipione ex Syria legiones II: sagittarios ex Creta, [7] Lacedaemone, Ponto, atque Syria, reliquisque civitatibus, III millia numero habebat: funditorum cohortes VI: mercenarias II: equites VII millia: ex quibus DC [8] Gallos Dejotarus adduxerat, D [9] Ariobarzanes ex [10] Cappadocia: ad eundem nume-

NOTAE.

1 *Creta.*] Creta olim centum urbibus et Jovis clara natalibus, propterea dicta Hecatompolis, fortè pagi illâ tempestate urbes dicebantur, quarum primaria est Matium, secunda Canea olim Cydon, unde mala Cydonia. Ida mons est in media insula. Nunc ante aliquot annos in Turcarum potestatem redacta, *Candie.*

2 *Macedoniae.*] Macedonia olim Alexandri magni regnum, tunc autem in provinciam à Romanis redacta: habet ad septentrionem montes Dalmatiae, ad meridiem Thessaliam et Epirum, ad orientem Aegaeum, ad occidentem Ionium mare. Graecos superavit, quia sola Graecorum monarchico utebatur imperio, quod ad propagando imperia est aptissimum, et Graecis pótita, facilè per eos totum orientem domuit, qui populorum omnium erant primi fortitudine et sapientiâ.

3 *Thessalia.*] Thessalia, cujus metropolis Larissa, habet ob occidente Epirum, ab oriente Thermaicum sinum, a septentrionibus Macedoniam, à meridie verò Boetiam.

4 *Boeotia.*] Boeotia cujus metropolis Thebae, Lucros, Opuntios, Thessalosque à septentrione habet, à meridie Atticam, ab occidente Phocidem, ab oriente mare Euboicum, à quo ad Corinthiacum sinum exporrigitur.

5 *Epiroque.*] Epirus quondam Pyrrhi regnum, à septentrionibus habet Dardanos et Triballos, ab oriente Macedoniam et Thessaliam, varias gentes complectitur.

6 *His Antonianos milites.*] C. Antonius Marci frater, T. Pulcionis opera proditus in Pompeii potestatem venerat, cujus militum voluntati diffusus, eos suis immiscuerat, suis ne nocere possent. Florus lib. IV. cap. II. rem ita narrat: *Quippe cum fauces Adriatici maris jussi occupare Dolabella et Antonius, ille Illyrico, hic Cocyraeo littore castra profuissent, jam maria late tenente Pompeio, repente castra legatus ejus Octavius et Libo ingentibus copiis classicorum utrumque circumvenit; deditionem fames extorsit Antonio.* Idem habet Suetonius in Caesare XXVI. Hic Antonius à Bruto post mortem Caesaris caesus est, fueratque humaniter ab eo exceptus, sed cum ad defectionem sollicitare suos milites comperisset, jussus est interfici.

7 *Lacedaemone.*] Lacedaemon totius Peloponnensi clarissima, Athenis aequalis, quacum de principatu diu contendit, ad Eurotam fluvium; quae tamdiu floruit, quamdiu legibus Lycurgi usa fuit. Duos reges habebat, quorum tamen potestas autoritate Ephororum fraenabatur. In potestatem tandem Romanorum cum reliquis Graecis urbibus devenit, nunc in tenuis vici formam redacta, dicitur *Misithra.*

8 *Gallos Dejotarus,* &c.] Hi sunt Galatae vel Gallo Graeci. Galli enim in Asiam pervaserant, regnumque ibi condiderant Galatiae, quia Galli à Graecis Galatae dicti, quorum erat ea tempestate rex Dejotarus.

9 *Ariobarzanes.*] Cappadociae rex, erat appellatus amicus pop. Rom. de quo multa scribuntur à Cicerone in epist. ad Famil. ut à senatu decretum fuerit, ut ejus regis salus, incolumitas, regnumque defenderetur; item ejus salutem populo senatuique Romano magnae curae esse. Qua ex autoritate senatus eum ab insidiis popularium eripuerit.

10 *Cappadocia.*] Cappadocia habet ab oriento Armeniam, à septentrione Pontum, ab occasu Paphlagoniam, Galatiam et partem Pamphyliae, à meridie Ciliciam.

rum [1] Cotus ex [2] Thraciâ, dederat, et [3] Sadalem filium miserat. Ex Macedoniâ CC erant, quibus [4] Rascipolis praeerat, excellenti virtute: D [5] ex Gabinianis [6] Alexandriâ, Gallos Germanosque quos ibi A Gabinius praesidii caussâ apud regem Ptolemaeum reliquerat: [7] Pompeius filius cum classe adduxerat DCCC [8] quos ex servis suis pastorumque suorum coëgerat: CCC [9] Tarcundarius Castor, et Donilaus ex Gallo-Graeciâ dederant; horum alter unà venerat, alter filium miserat: CC ex Syriâ [10] à Comageno Antiocho, cui magna praemia Pompeius tribuit, missi erant; in his plerique [11] hippotoxotae. Huc [12] Dardanos, [13] Bessos,

NOTAE.

1 *Cotus.*] Erat Thraciae rex, studuitque Pompeii partibus. Erat natura paulò iracundior, ut proditum est à Plutarcho. Itaque cum accepisset vasa quaedam fictilia insignis cujusdam operis, remuneratus prius hospitem, vasa illa omnia propria manu fregit, ne, si postea à ministris frangerentur, in ipsos saeviendi causam habere. Idem pardalim sibi danti leonem obtulit, ut accepto datum par esset.

2 *Thracia.*] Thracia Europae regio propè Macedoniam, nunc *Romania*; in ea est Constantinopolis, olim populosissima, multitudineque hominum soli cedens Galliae, teste Pausania.

3 *Sadalem.*] Dicitur à Dione Sadalus, cui Caesar postea pepercit, quanquam in praelio ipse adfuerat. Sexennio post sine liberis decedens regionem pop. Rom. reliquit.

4 *Rascipolis.*] A Suet. *Trasipolis*, à Tacit. *Rascuporis* dicitur: fratres erant Thraces, qui cum Romanos civile bellum in regionem suam Thraciam transferre vidissent, operas partiri; alter Rascus Caesaris partes, alter Rascipolis Pompeii secutus est. Idem fecerunt bello quod inter Brutum et Antonium, Octavianumque exarsit. Rascus enim Octavio, Rascipolis Bruto studuit. Confecto bello Rascus petiit à victoribus ut esset frater incolumis, quod facilè impetravit; hanc enim unam laborum mercedem petiêrat.

5 *Ex Gabinianis.*] Gabinius enim Ptolomaeum in suum regnum reduxerat, et milites plures regni tuendi causa Alexandriae reliquerat, cum esset exilio multatus, fuit à Caesare restitutus et ipsò bello civ. Salonis in Dalmatia morbo implicitus, decessit. Ex iis autem intelligere licet, Ptolemaeum, à quo fuit postea Pompeius interfectus, in Pompeii partibus fuisse, et ante proelium quidem Pharsalicum Gabinianos milites miserat. Imo et totus oriens in ejus partibus, quod patet ex Lucan. lib. v. ubi numerat Pompeianos. Hic Gabinius fuit Caesari addictissimus, cui et in consulatu cum Pisone successit.

6 *Alexandria.*] Metropolis Aegypti.

7 *Pompeius filius.*] Cneius Pompeius natu maximus, cum quo Caesar in Hispania postea bellavit.

8 *Quos ex servis suis*, &c.] Mendum suspicatur Lipsius, legitque: *Quos ex servitiis pastoribusque suorum coëgerat.* Ciaconius vero: *Servis pastoribusque suis*, nec temerè. Sic suprà factum à Domitio. Sic infrà Caelius milonem ad solicitandos pastores misit.

9 *Tarcundarius Castor.*] Erat nepos Dejotari regis Galatiae, qui postea avum suum apud C. Caesarem accusavit, ut videtur ex oratione Ciceronis pro Dejotaro. Dio. lib. XLI. et Cicero lib. v. epistolarum, vocant *Tarcondimotum.* Itaque in alterutra lectione mendum fuerit.

10 *A Comageno Antiocho.*] Ab Antiocho rege Comagene, quae regio Syriae est ad Euphratem, quo ab Arabia disterminatur. Caput regni est Samosata.

11 *Hippotoxotae.*] Hippotoxota vox Graeca, quae equites sagittarios significat.

12 *Dardanos.*] Dardani Illyrica gens. Incolunt Moesiam Mediterraneam, quae Pannoniae jungitur ad Pontum usque decurrens. Incipit à confluente Savi cum Danube. In ea Dardani, Calegeri, Triballi, Trimachi, Moesi, Thraces, Pontoque contermini Scythae, *Bossine.*

14 *Bessos.*] Bessi Thraciae populus ad Nessum amnem et ad Haemum montem. Si qua fides nominum esset similitudini, essent *Bossine.* Sed videntur esse propriores Danubio, si qua fides Ovidio.

Vivere quam miserum est inter Bessosque Getasque.

partim mercenarios, partim Imperio aut gratiâ comparatos, item, [1] Macedonas, Thessalos, et reliquarum gentium et civitatum adjecerat; atque eum, quem suprà demonstravimus, numerum expleverat.

V. Frumenti vim maximam ex [2] Thessalia, Asiâ, Aegypto, [3] Cretâ, [4] Cyrenis, reliquisque regionibus comparaverat. Hiemare [5] Dyrrhachii, [6] Apolloniae, omnibusque oppidis maritimis constituerat, ut mare Caesarem transire prohiberet. Ejus rei caussa omni orâ maritimâ classem disposuerat. Praeerat Egyptiis navibus Pompeius filius; Asiaticis, [7] D. Laelius et C. Triarius; Syriacis, C. [8] Cassius: [9] Rhodiis, C. Marcellus [10] cum C. Coponio; [11] Liburnicae atque Achaicae classi, Scribonius [12] Libo et [13] M. Octavius. Toti tamen officio maritimo [14] M. Bibulus praepositus cuncta administrabat. Ad hunc summa imperii respiciebat.

VI. Caesar, ut Brundisium venit, conciónatus apud milites; quoniam propè ad finem laborum ac periculorum esset perventum, aequo animo mancipia atque impedimenta in Italiâ relinquerent: ipsi expe-

NOTAE.

1 *Macedonas.*] De Macedonibus dictum est supra.

2 *Thessaliâ.*] De Thessaliis item.

3 *Cretâ.*] De Cretâ item.

4 *Cyrenis.*] Cyrene metropolis Cyreniacae regionis in Africâ, à Graecis conditâ, qui ex insulâ Therâ maris Aegaei eo fuerant profecti.

Haec tum nomina erant, nunc sunt sine nomine terrae.

Videtur fuisse è regione Peloponnesi. Aliis *Corene*, aliis *Corona*, aliis *Assadib*, aliis *Cairoan.* Eadem fuit Pentapolis dicta ab urbibus quinque, Berenice, Arsinoë, Ptolemaide, et Apolloniâ.

5 *Dyrrhachi.*] Dyrrhachium portus Epidamni, nunc *Duraz*, Brundisio LXX leucis aut circiter distat. Trajectus est in Graeciam ex Italiâ. Epidamnus autem inauspicatum nomen cum haberet, illud Romani mutaverunt, et Dyrrhachium dixerunt.

6 *Apolloniae.*] Apollonia, teste Plinio, à mari abest VII millibus passuum, estque in Macedoniâ. A. Marciano Heracleota dicitur fuisse per Corinthios et Corcyraeos condita. Duorum dierum itinere abest ab Epidamno, à mari autem stadiis L, ut testatur Scylax antiquissimus scriptor; ut vero Strabo, LX.

7 *D. Laelius et C. Triarius.*] Hunc Laelium et Triarium Cicero loquentes inducit in lib. de Finibus. Laelius, teste Appiano, lib. IV. triumviratus tempore à militibus Arabionis regis in Africâ interfectus est. De Triario infra.

8 *Cassius.*] Hic unus de interfectoribus Caesaris fuit, et apud Philippos propriâ manu periit.

9 *Rhodiis.*] Rhodus maris Carpathii clarissima insula, à Rosis dicta, cujus incolae viri fuerunt nautici, et rei maritimae peritissimi. Equites sancti Joannis, postquam eam Saracenis ademissent, in ea sedes suas posuerunt, quibus rursus Solimannus Turcarum Imp. eripuit ann. Christi MDXXII.

10 *Cum C. Coponio.*] Frustra habent aliqua exemplaria *Pomponio.* Cicero certe lib. I. de Divinatione scribit sibi ad castra Pompeii transeunti obviam itum esse cum navibus Rhodiis à C. Coponio: is praetor fuerat C. Marcello et Lentulo coss. ut patet ex epistola Pompeii quae habetur lib. VIII. epist. 17. ad Atticum. Is tandem, ut Appianus refert lib. IV. à triumviris proscriptus, uxoris operâ servatus est, quae pudica licet et casta, Antonio tamen pudicitiâ prostratâ, vitam redemit conjugis.

11 *Liburnicae.*] Liburnia pars est Dalmatiae, in quâ genus navis celeris et levis inventum, quae Liburnicae dictae sunt naves, quarumque usus invaluit, postquam magno in Actiacâ pugnâ usui fuisse cognitum est.

12 *Libo.*] De Libone supra.

13 *M. Octavius.*] Quis fuerit nescitur. Certe de eo posthac agitur in lib. de bello Alexandrino, ubi à Vatinio superatus est.

14 *M. Bibulus.*] Caesaris in consulatu collega fuerat, anno U. C. DCXCV; sed cum se Caesari legem Agrariam promulganti opponeret, ab eo pene fuit interfectus, totoque

diti naves conscenderent, quo major numerus militum posset imponi; omniaque ex victoria et ex sua liberalitate sperarent. Conclamantibus omnibus, imperaret quod vellet; quodcunque imperavisset, se aequo animo esse facturos; pridie Non. Januar. naves solvit, impositis, ut supra demonstratum est, legionibus VII. Postridie terram attigit, [1] Cerauniorum saxa inter et alia loca periculosa, quietam nactus stationem: et portus omnes timens, quos teneri ab adversariis arbitrabatur, ad eum locum qui appellatur [2] Pharsalus, omnibus navibus ad unam incolumibus, milites exposuit.

VII. Erat [3] Orici Lucretius Vespillo, et Minucius Rufus, cum Asiaticis navibus XVIII; quibus jussu D. Laelii praeerant: M. Bibulus cum navibus CX [4] Corcyrae. Sed neque ii sibi confisi ex portu prodire sunt ausi; quum Caesar omnino XII naves longas praesidio duxisset, in quibus erant constratae IV. Bibulus, impeditis navibus, dispersisque remigibus, [5] satis maturè occurrit, quòd priùs ad continentem visus est Caesar, quàm de ejus adventu fama omnino in eas regiones perferretur.

VIII. Expositis militibus, naves eâdem nocte Brundisium à Caesare remittuntur, ut reliquae legiones equitatusque transportari possent. Huic officio praepositus erat Fusius Kalenus legatus, qui celeritatem in transportandis legionibus adhiberet. Sed seriùs à terra provectae naves, neque usae nocturna aura, in redeundo offenderunt. Bibulus enim Corcyrae certior factus de adventu Caesaris, sperans se alicui parti onustarum navium occurrere posse, inanibus occurrit; et nactus circiter XXX, in eas indiligentiae suae ac doloris iracundia erupit, omnesque incendit; eodemque igne nautas dominosque navium interfecit, magnitudine poenae reliquos deterrere sperans. Hoc confecto negotio, à [6] Salonis ad Orici portum sta-

NOTAE.

consulatus tempore se domi continuit, foroque caruit. Unde jocus urbanorum scribentium, non *Caesare et Bibulo*, sed *Julio et Caesare Consulibus*. Unde et hi versus:

Non Bibulo quicquam nuper, sed Caesare factum est,
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

1 *Cerauniorum.*] Ceraunios hos vocat à Cerauniis ab Acrocerauniis montibus, qui in illâ Epiri parte apparent, crebris tempestatibus infames. Virg. lib. III. Aeneid.

Provehimur pelagi vicina Ceraunia juxta.

Ubi Servius: *Sunt montes Epiri à crebris fulminibus propter altitudinem nominati; κεραυνὸς* enim Graece *fulmen*. Est ibi finis Ionii maris. Quicquid enim inde ad Septentriones pertinet, Adria dicitur. Dicuntur vulgo *Chimariauti.*

2 *Pharsalus.*] Non est locus ille in quo postea de summâ rerum dimicatum est, qui est in Thessaliâ. Sed, si Lucano credimus, et quidni credamus, quam cuiquam magis, quandoquidem ratio carminis errorem non admittit, locus ille *Palestus* vel *Palesto* dicebatur:

——————fluctuque secundo
Lapsa Palestinas uncis confixit arenas.

Eandem lectionem vetusti comprobant codices. Itaque sic potius legere certum est.

3 *Orici.*] Oricum prima Epiri urbs, nunc alii dicunt esse *Valonam*, alii *Orcho*, Brundisino portui opposita. Ptolemaeus eam in Chaoniâ statuit. Ex eâ solebant exercitus Italici traduci. Plinius scribit distare à Salentino Italiae promontorio XC mill. pass. et à Colchis fuisse conditam.

4 *Corcyriae.*] De Corcyra supra.

5 *Satis mature.*] Videtur mendum, quod emendare tutum. Nam est addendum *non*, ut legatur *non satis mature.*

6 *Salonis.*] Salona vel Salonae Dalmatiae metropolis, patria postea Dioclesiani Impera-

tiones, littoraque omnia longè latèque classibus occupavit; custodiisque diligentiùs dispositis, ipse gravissima hieme in navibus excubabat, neque ullum laborem aut munus despiciens, [1] neque subsidium exspectans, si in Caesaris complexum venire posset.

IX. Sed [2] post discessum Liburnârum, ex [3] Illyrico M. Octavius, cum iis quas habebat navibus, Salonas pervenit: ibique concitatis [4] Dalmatis, reliquisque barbaris, [5] Issam à Caesaris amicitia avertit: [6] conventum Salonas, quum neque pollicitationibus, neque denuntiatione periculi permovere posset, oppidum oppugnare instituit. Est autem oppidum et loci natura et colle munitum. Sed celeriter cives Romani, ligneis effectis turribus, iis sese munierunt: et, quum essent infirmi ad resistendum, propter paucitatem hominum, crebris confecti vulneribus, ad extremum auxilium descenderunt: [7] servosque omnes puberes liberaverunt; et, [8] praesectis omnium mulierum crinibus, tormenta effecerunt. Quorum cognitâ sententiâ, Octavius quinis castris oppidum circumdedit, atque uno tempore obsidione et oppugnationibus eos premere coepit. Illi, omnia perpeti parati, maximè à re frumentaria laborabant. Quare missis ad Caesarem legatis, auxilium ab eo petebant: reliqua, ut poterant, per se incommoda sustinebant: et longo interpo-

NOTAE.

oris. Fertur esse eversam, prope Spalatro vel Clissam. Siquidem Spalatensis Archiepiscopus Salonitanum se dicit.

1 *Neque subsidium exspectans, si in Caesaris complexum venire posset.*] Videtur mendum: sed emendare non tutum. Forte *congressum* est reponendum.

2 *Sed post discessum Liburnarum*] Non tantum aliquid deest, sed et temporis superioris historia narratur, quae gesta sit ante Caesaris adventum.

3 *Illyrico.*] Illyrica regio pars Dalmatiae, quam statuit Strabo circa Corcyram, continet Sclavoniam, Croatiam, Bosniam atque Dalmatiam.

4 *Dalmatis.*] Dalmatiam eam partem Panноniae, quae Hadriaticum mare spectat, Plinius appellat lib. III cap. 25.

5 *Issam.*] Issa insula et urbs opposita Dalmatiae, ipsisque Salonis. *Lissa* dicitur Sophiano. De qua sic Marcianus Heracleota:

Νῆσος κατ' αὐτὰς δ' ἐστιν Ἴσσα λεγομένη,
Συρακουσίων δ' ἔχουσα τὴν ἀποικίαν.
Insula juxta hos est Issa dicta,
Syracusanorum habens coloniam.

6 *Conventum Salonas.*] Is conventus erat civum Romanorum qui negotiabantur, et plurimi erant in provinciis, populi Romani. Quod testatur Cicero in orat. pro Fonteio: *Referta est Gallia negotiatorum, plena civium Romanorum, unum ex toto negotiatorum, colonorum publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant.* Item in epistol. ad Quintum fratrem: *Constat Asia primum ex eo genere sociorum, quod est ex omni genere hominum humanissimum, deinde ex eo genere civium, qui aut publicani sunt, aut ita negotiantur, ut locupletes sint.*

7 *Servosque omnes puberes liberaverunt.* Ut nempe militare possent. Non enim licebat servis militare. Sic Florus scribit in bello Punico secundo. *Elicit in sacramentum militia liberata servitia.*

8 *Praesectis omnium mulierum crinibus.*] Non quod ex illis tormenta constarent, sed quod balistarum funes inde conficerent, si cannabe et nervis deficerentur. Porro hoc idem factum à Romanis in Capitolio obsessis, autor est Lactantius lib. II. adversus gentes: quapropter aedem *Veneri Calvae* consecrarunt. Strabo verò in fine lib. XVII. idem factum Carthagine docet. Ctesibius in lib. de machinis bellicis hanc rationem conficiendorum funium sic explicat, quos Graeci tonos appellant: *Τόνος καὶ ἐκ τριχῶν γίνεται γυναικείων, αὐταὶ γὰρ λεπταὶ τε οὖσαι καὶ μακραὶ καὶ πολλῷ ἐλαίῳ τραφεῖσαι, ὅταν πλέκωσιν εὐτονίαν πολλὴν λαμβάνουσι ὥστε μὴ ἀποδεῖν τῆς διὰ τῶν νεύρων ἰσχύος. Tonus et ex capillis fit muliebribus, illi enim cum sint tenues et longi, multoque oleo nutriti*

sito spatio, [1] quum diuturnitas oppugnationis negligentiores Octavianos effecisset, nacti occasionem meridiani temporis, discessu eorum, pueris mulieribusque in muro dispositis, ne quid quotidianae consuetudinis desideraretur: ipsi, manu factâ, cum iis quos nuper manumissos liberaverant, in proxima Octavii castra irruperunt. His expugnatis, eodem impetu altera sunt adorti, inde tertio, et quarta, et deinceps reliqua: omnibusque eos castris expulerunt; et, magno numero interfecto, reliquos atque ipsum Octavium in naves confugere coëgerunt. Hic fuit oppugnationis exitus. [2] Jamque hiems appropinquabat; et, tantis detrimentis acceptis, Octavius desperatâ oppugnatione oppidi, Dyrrhachium sese ad Pompeium recepit.

X. Demonstratum est L. [3] Vibullium Rufum, Pompeii praefectum bis in potestatem pervenisse Caesaris, atque ab eo esse dimissum; semel ad Corfinium, iterum in Hispania. Hunc pro suis beneficiis Caesar judicaverat idoneum, quem cum mandatis ad Cn. Pompeium mitteret: eundemque apud Cn. Pompeium auctoritatem habere intelligebat. Erat autem haec summa mandatorum: debere utrumque pertinaciae finem facere, et ab armis discedere, neque ampliùs fortunam periclitari: satis esse magna utrinque incommoda accepta, quae pro disciplina et praeceptis habere possent, ut reliquos casus timerent. Illum ab Italiâ expulsum, amissâ Siciliâ, et Sardiniâ, duabusque Hispanis, et cohortibus in Italia atque Hispania civium Romanorum C atque XXX: se, morte Curionis, et detrimento Africani exercitûs tanto, [4] militumque deditione ad Corcyram. Proinde sibi ac reipubl. parcerent, quantumque in bello fortuna posset, jam ipsi incommodis suis satis essent documento: hoc unum esse

NOTAE.

cum plectuntur, magnam firmitatem accipiunt, ut non differant à nervorum robore. Vitruvius vero lib. x. cap. 16. de balistis et catapultis, hoc solitum ostendit: *Nam quae fiunt in capitibus foramina, per quorum spatio contenduntur capillo maxime muliebri vel nervo funes.* Item Julius Capitolinus in vita Maximi, et Plutarchus in lib. de foenore.

1 *Quum diuturnitas oppugnationis negligentiores Octavianos effecisset.*] Hoc ut caveatur praeçipit Vegetius, lib. IV. cap. 28. *Cum negligentia intervenerit, paribus insidiis subjacent obsidentes. Nam sive cibo sive somno fuerint occupati, sive otio, aut aliquâ necessitate dispersi, tunc oppidani repente prorumpunt, ignorantes perimunt, arietes, machinas ipsosque aggeres ignibus concremant, omniaque in perniciem suam fabricata opera subvertunt.*

2 *Jamque hiems appropinquabat,* &c.] Cum superiùs sit scriptum Nonis Januariis à Brundisio fuisse discessum, hic autem scribatur appropinquare hiemem, Octavii historiam in superiorem autumnum oportet rejicere, quae et mutila fuerit, ut supra fuit observatum.

3 *Vibullium Rufum.*] Praefectum fabrum intelligo. Namque Caesar in epistola ad Oppium scribit se duos praefectos fabrûm Cn. Pompeii deprehendisse, ambosque missos fecisse, quorum unus hic fuit, alter Cn. Magius. Porro Vibullius dicitur nominatim fuisse dimissus in Hispania, non nominatim dicitur captus. Sed cum Afranius et Petreius in potestatem Caesaris venerint, vult intelligi illum in eorum fuisse numero.

4 *Militumque deditione ad Corcyram*] Non tamen omnes se dediderunt fame premente. Nam cohors una Opitergina, id est, ex Opitergio Veneti tractus oppido,

tempus de pace agendi, dum sibi uterque confideret, et pares ambo viderentur: si verò alteri paullum modò tribuisset fortuna, non esse usurum conditionibus pacis eum, qui superior videretur, neque fore aequa parte contentum, qui se omnia habiturum confideret: conditiones pacis, quoniam anteà convenire non potuissent, Romae à senatu et à populo peti debere: interea et reipubl. et ipsis placere oportere, si uterque in concione statim juravisset, se triduo proximo exercitum dimissurum: depositis armis auxiliisque, quibus nunc confiderent, necessario populi senatûsque judicio fore utrumque contentum. Haec quò faciliùs Pompeio probari possent, [1] omnes suas terrestres urbiumque copias dimissurum.

XI. Vibullius, his expositis à Caesare, non minus necessarium esse existimavit, de repentino adventu Caesaris Pompeium fieri certiorem, utì ad id consilium capere posset, antequam de mandatis agi inciperet: atque ideò, continuato et nocte et die itinere, atque [2] mutatis ad celeritatem jumentis, ad Pompeium contendit; ut adesse Caesarem omnibus copiis nuntiaret. Pompeius erat eo tempore [3] in Candaviâ, iterque ex Macedoniâ in hiberna, [4] Apolloniam, [5] Dyrrhachiumque habebat: sed, re novâ perturbatus, majoribus itineribus Apolloniam petere coepit, ne Caesar, orae maritimae civitates occuparet. At ille, expositis militibus, eodem die [6] Oricum proficiscitur. Quò quum venisset, [7] L. Torquatus, qui jussu Pompeii oppido praeerat, praesidiumque ibi [8] Parthinorum habebat, conatus portis clausis oppidum defendere, Graecos murum adscendere atque

NOTAE.

quam ducebat Vulteius tribunus, ubi rate factâ, ne velis indicium sui hostibus faceret, effugere conata, id efficere non potuit, et hostes magno numero sibi imminere cognovit, quibus minime par erat, ferox consilium cepit mutuis vulneribus occumbendi, quod implevit in conspectu hostis. Locum Dionis qui hanc rem narrat, citavimus in fine libri II. Rem illam perstringit Epitome Liviana, fuse describit Lucanus.

1 *Omnes suas terrestris urbiumque copias dimissurum.*] Se Caesarem missos facturum non tantum exercitus suos, sed praesidia quae habebat in urbibus.

2 *Mutatis ad celeritatem jumentis.*] Non novum inventum est dispositis certas per stationes equis uti ad celeritatem.

3 *In Candaviâ.*] Candavia tractus est Macedoniae própe Heracleam Senticam Plinius enim lib. III. cap. 23. *montes Candaviae* commemorat. Ii ab occidente Macedoniam cingunt.

4 *Apolloniam.*] Apollonia Taulantiorum oppidum, quanquam Plinius illud constituat in Macedoniâ. Sed non ita videtur. Quandoquidem ex Macedoniâ ad id Pompeius contendit. Sic Plinius: *Apollonia quondam Corinthiorum colonia* VII *millibus passuum à mari recedit.* Hanc Strabo dicit esse praestantibus legibus instructam. Forte ob eam caussam Augustus puer eo missus ad disciplinas parandas. Sophianus dicit nomen retinere. Alii dicunt *Issopolim* vocari. Plinius addit eam esse è regione Hidrunti.

5 *Dyrrhachiumque.*] Jam de Dyrrhachio.

6 *Oricum.*] De Orico supra.

7 *L. Torquatus.*] De hoc sic M. Tullius in Bruto: *Erant in eo plurimae litterae, nec eae vulgares, sed interiores quaedam et reconditae, divina memoria, summa verborum et gravitas et elegantia. Atque haec omnia vitae decorabat gravitas et integritas.* Is, teste Appiano, mansit postea cum Caesare in honore ab illo habitus. Verum postea ad Scipionem in Africam transiit, ibique cum eo et Damasippo periit.

8 *Parthinorum.*] Parthenia urbs Illyrica; cujus cives eo nomine Caesar appellat. Vide Plinium lib. III. cap. 23.

arma capere jubet. [1] Illi autem quum se contra imperium populi Rom. pugnaturos esse negarent: oppidani autem suâ sponte Caesarem recipere conarentur: desperatis omnibus auxiliis, portas aperuit, et se atque oppidum Caesari dedit, incolumisque ab eo conservatus est.

XII. Recepto Caesar Orico, nullâ interpositâ morâ, Apolloniam proficiscitur. Ejus adventu audito, L. Staberius, qui ibi praeerat, aquam comportare in arcem atque eam munire, obsidesque ab Apolloniatibus exigere coepit. Illi verò daturos se negare, neque portas consuli praeclusuros, neque sibi judicium sumpturos, contra atque omnis Italia populusque R. judicavisset. Quorum cognitâ voluntate, clam profugit. Apolloniates ad Caesarem legatos mittunt, oppidoque recipiunt. Hos sequuntur [2] Bullidenses, Amantiani et reliquae finitimae civitates, totaque Epirus; et legatis ad Caesarem missis, quae imperaret, facturos pollicentur.

XIII. At Pompeius, cognitis iis rebus, quae erant Orici atque Apolloniae gestae, Dyrrhachio timens, [3] diurnis eò nocturnisque itineribus contendit. Simul ac Caesar appropinquare dicebatur, tantus terror incidit ejus exercitui, quòd properans noctem diei conjunxerat, neque iter intermiserat, ut penè omnes in Epiro finitimisque regionibus signa relinquerent, complures arma projicerent, ac fugae simile iter videretur. Sed, quum prope Dyrrhachium Pompeius constitisset, castraque metari jussisset; perterrito etiam tum exercitu, [4] princeps Labienus procedit; juratque se eum non deserturum, eundemque casum subiturum, quemcunque ei fortuna tribuisset. Hoc idem reliqui jurant legati. Hos tribuni mil. centurionesque sequuntur; atque idem omnis exercitus jurat. [5] Caesar, praeoccupato itinere ad Dyrrhachium, finem properandi facit: castraque ad flumen [6] Apsum ponit in finibus Apolloniatium; [7] ut vigiliis castellisque benè meritae civitates tutae essent praesidio: ibique reliquarum ex

NOTAE.

1 *Illi autem quum se contra imperium populi Rom. pugnaturos esse negarent.*] Quia Caesar erat consul, videbantur contra pop. R. imperium pugnaturi, qui illi resisterent.

2 *Bullidenses, Amantiani.*] De iis ita Plinius lib. III. cap. 23. *Accolunt barbari Amantes et Buliones.* Quos et sequenti libro *Amantinos et Bullidenses* appellat. Ptolemaeus Elimiotarum scribit esse *Bullidem, Orestidos Amantiam.* Scylax vero vetustissimus scriptor, sic de iis habet: Βουλινοὶ δ' εἰσιν ἔθνος Ἰλλυρικὸν. *Bullini autem sunt gens Illyrica.*

3 *Diurnis eo nocturnisque itineribus contendit.*] Appianus scribit tantâ lassitudine affectos fuisse Pompeii milites, ut oneribus suis abjectis se latenter subducerent, praesentem requiem pluris facientes, quam metum ab imminentibus hostibus. Ipse vero Pompeius ad tardandum Caesaris iter concaedes faciebat, pontes fluminum interrumpebat, commeatus incendebat.

4 *Princeps Labienus.*] Is est qui legatus ejus fuerat in Galliâ, et ab eo cum primis defecerat ad Pompeium.

5 *Caesar praeoccupato,* &c.] A Pompeio qui praecurrerat.

6 *Apsum.*] Apsus Macedoniae fluvius dicitur Theneto *Spirnasse,* Nigro *Urcum,* vel *Thapsum.* Mihi non videtur inventu difficilis, si Apollonia nomen antiquum retinuit. Cum enim Strabo lib. VII. scribat Apolloniam esse sitam ad Aoum fluvium, deinde sinum Hadriaticum versus statuat Apsum, praetereaque dicat esse post Dyrrachium, facile cognosci potest. Ibi tum classe missa, Oricum recepit Pompeius quod amiserat, ut testatur Appianus.

7 *Ut vigiliis, castellisque.*] Latet mendum. Forte pro *vigiliis* est reponendum *vicis.*

Italiâ legionum adventum exspectare, et [1] sub pellibus hiemare constituit. Hoc idem Pompeius facit; et trans flumen Apsum positis castris, eò copias omnes auxiliaque conduxit.

XIV. Kalenus, legionibus equitibusque Brundisii in naves positis, ut erat praeceptum à Caesare, quantum navium [facultatem] habebat, naves solvit: paullumque à portu progressus, litteras à Caesare accipit; quibus est certior factus, portus littoraque omnia classibus adversariorum teneri. Quo cognito, se in portum recipit, navesque omnes revocat. Una ex iis, quae perseveravit, neque imperio Kaleni obtemperavit, quòd erat sine militibus, privatoque consilio administrabatur, [2] delata Oricum, atque à Bibulo expugnata est: qui de servis liberisque omnibus ad impuberes supplicium sumit, et ad unum interfecit. Ita, exiguo tempore, magno casu totius exercitûs salus constitit.

XV. Bibulus, ut supra demonstratum est, erat cum classe ad Oricum: et, sicut mari portubusque Caesarem prohibebat, ita ipse omni terrâ earum regionum prohibebatur. Praesidiis enim dispositis, omnia littora à Caesare tenebantur; neque lignandi, neque aquandi, neque naves ad terram religandi, potestas fiebat. Erat res in magnâ difficultate: summisque angustiis rerum necessariarum premebantur: adeò ut cogerentur, sicuti reliquum commeatum, ita ligna atque aquam Corcyrâ navibus onerariis supportare: atque uno etiam tempore accidit, ut difficilioribus usi tempestatibus, ex pellibus, quibus erant tectae naves, nocturnum excipere rorem cogerentur: quas tamen difficultates patienter et aequo animo ferebant: neque sibi nudanda littora et relinquendos portus existimabant. Sed quum essent in quibus demonstravi angustiis, ac se Libo cum Bibulo conjunxisset; loquuntur ambo ex navibus cum [3] M. Acilio et Statio Murco legatis, quorum alter oppidi muris, alter praesidiis terrestribus praeerat; velle se de maximis rebus cum Caesare loqui, si sibi ejus facultas detur. Huic addunt pauca rei confirmandae caussâ, ut de compositione acturi viderentur. Interim postulant, ut sint induciae; atque ab iis impetrant. Magnum enim, quod asserebant, videbatur; et Caesarem id summè sciebant cupere; et [4] profectum aliquid Bibuli mandatis existimabatur.

NOTAE.

1 *Sub pellibus.*] Sub tentoriis quae ex pellibus fiebant.

2 *Delata Oricum.*] Ergo erat in potestate Pompeii, quod ut Appianus testatur, à Cesare fuerat amissum, forteque eo fuerant decepti, quod à Pompeio receptum ignorabant.

3 *M. Acilio et Statio Murco.*] Aciliorum gens Plebeia divisa fuit in duas familias, Glabriorum et Balborum, multis consulatibus triumphisque clara. Statia gens pariter Plebeia fuit. Hic Caesaris legatus rem fortissime felicissimeque gessit. Post ejus mortem ad Brutum Cassiumque transivit, illis victis ad Sextum Pompeium cum multis navibus pervenit. Sed Menas et Menecrates, qui apud ipsum nihil non poterant, invidiâ commoti, quod apud ipsum in honore esset, curaverunt occidi, ut refert Dio lib. XLVIII. et Velleius lib. II.

4 *Profectum aliquid Bibuli mendatis, &c.*] Latet mendum. Forte, *perfectum iri existimabatur aliquid,* si Bibulus inimicissimus Caesari ad pacem Pompeium hortatus esset.

XVI. Caesar eo tempore cum legione unâ profectus ad recipiendas ulteriores civitates, et rem frumentariam expediendam, quâ angustè utebatur, erat ad [1] Buthrotum, oppositum Corcyrae. Ibi ab Acilio certior et Murco per litteras factus de postulatis Libonis et Bibuli, legionem relinquit; ipse Oricum revertitur. Eò quum venisset, evocantur illi ad colloquium Prodit Libo, atque excusat Bibulum, quod is iracundiâ summâ erat, inimicitiasque habebat etiam privatus cum Caesare [2] ex aedilitate et praeturâ conceptas: ob eam rem colloquium vitâsse, ne res maximae spei maximaeque utilitatis ejus iracundia impedirentur. Pompeii summam esse ac fuisse semper voluntatem, ut componeretur, atque ab armis discederetur: sed potestatem se ejus rei nullam habere, propterea quòd de concilii sententiâ summam belli rerumque omnium Pompeio permiserint: sed postulatis Caesaris cognitis, missuros ad Pompeium, atque illum reliqua per se acturum, hortantibus ipsis: interea manerent induciae, dum ab illo rediri posset; neve alter alteri noceret. Huc addit pauca de caussâ, et de copiis, auxiliisque suis.

XVII. Quibus rebus neque tum respondendum Caesar existimavit; neque nunc, ut memoriae prodantur, satis caussae putamus. [3] Postulabat Caesar, ut legatos sibi ad Pompeium sine periculo mittere liceret; idque ipse fore reciperent, aut acceptos per se ad eum perducerent. Quod ad inducias pertineret; sic belli rationem esse divisam, ut illi classe naves auxiliaque sua impedirent; [4] ipse ut aquâ terrâque eos prohiberet: et, si hoc sibi remitti vellent, remitterent ipsi de maritimis custodiis; sin illud tenerent, se quoque id retenturum: nihilominùs tamen agi posse de compositione, ut haec non remitterentur; neque hanc rem esse impedimenti loco. Illi neque legatos Caesaris recipere, neque periculum [5] praestare eorum, sed totam rem ad

NOTAE.

1 *Buthrotum.*] Oppidum Epiri oppositum Corcyrae, à quâ II millibus passuum distat, nunc *Butrinto.*

2 *Ex aedilitate et praeturâ conceptas.*] Imo et ex consulatu, de quo Caesar nihil commemorat, ne suae quoque injuriae meminerit. De praeturâ nihil usquam est. De aedilitate scripsit Suetonius, usque adeo Caesarem communium impensarum gratiam cepisse, ut non dissimularet Bibulus sibi evenisse quod Polluci. Ut enim geminis fratribus aedes in foro constituta tantum Castoris vocaretur, ita suam et Caesaris munificentiam unius Caesaris dici. Interim notetur mos Caesaris, qui inimicos suos impotentes animi videri velit, cujus tamen factum modestissimum legitur apud Valer. Max. in titulo de moderatione animi lib. IV. cap i. cùm enim duorum ejus egregiae indolis filiorum interfectores ad eum vinctos regina Cleopatra misisset, *carnifices sanguinis sui intactos, è vestigio ad Cleopatram reduci jussit; dicendo potestatem ejus vindictae, non suam, sed senatus esse deberi.*

3 *Postulabat Caesar, ut legatos sibi ad Pompeium sine periculo mittere liceret.*] Quia cum civi et hoste nullum legationis jus commune patriae. Hosti mittere legatos licet, sed perduelli non licet. Caesar porro hostis patriae judicatus erat atque adeo suis legatis cavit, ne illo nomine vis iis à Pompeio inferretur, quasi non legitimis.

4 *Ipse ut aquâ terrâque eos prohiberet.*] Aquâ dulci, quae ex terrae fontibus erumpit. Nec enim marina aqua ullo modo potabilis. Id est tempus, cum aliunde revertens Caesar ad laevam habens paludem, ad dextram vero mare, unde Pompeiana classis adnavigans jaculis ac telis missis vulnera dabat, ipse jussit milites à laevâ ad dextram scutum transferre, atque hoc pacto hostium impetus evitavit. Autor Polyaenus.

5 *Praestare.*] Est forense vocabulum.

Pompeium rejicere: unum instare de induciis, vehementissimèque contendere. Quos ubi Caesar intellexit, praesentis periculi atque inopiae vitandae caussâ, omnem orationem instituisse, neque ullam spem, aut conditionem pacis afferre; ad reliquam cogitationem belli sese recepit.

XVIII. Bibulus multos dies terrâ prohibitus, et graviore morbo ex frigore ac labore implicitus, quum neque curari posset, neque susceptum officium deserere vellet, vim morbi sustinere non potuit. Eo mortuo, ad neminem unum summa imperii redit; sed separatim suam quisque classem ad arbitrium suum administrabat. Vibullius, sedato tumultu, quem repentinus adventus Caesaris concitaverat, ubi primùm rursus adhibito Libone, et [1] L. Lucceio, et [2] Theophane, quibus communicare de maximis rebus Pompeius consueverat, [3] de mandatis Caesaris agere instituit; eum ingressum in sermonem Pompeius interpellavit, et loqui plura prohibuit. Quid mihi, inquit, aut vitâ aut civitate opus est, quam beneficio Caesaris habere videbor? Cujus rei opinio tolli non poterit, quum in Italiam, ex quâ profectus sum, reductus existimabor, bello perfecto. Ab iis Caesar haec dicta cognovit, qui sermoni interfuerunt. Conatus tamen nihilo minus est aliis rationibus per colloquia de pace agere.

XIX. Inter bina castra Pompeii atque Caesaris unum flumen tantùm intererat Apsus: crebraque inter se colloquia milites habebant: neque ullum interim telum, per pactiones colloquentium, transjiciebatur. Mittit P. Vatinium legatum ad ripam ipsam fluminis, qui ea, quae maximè ad pacem pertinere viderentur, ageret; et crebrò magnâ voce pronuntiaret, Liceretne civibus ad cives de pace legatos mittere? quod etiam [4] fugitivis ab saltu Pyrenaeo, predonibusque licuisset: praesertim ut id agerent, ne cives cum civibus armis decertarent. Multa suppliciter locutus, ut de suâ atque omnium salute debebat, silentioque ab utrisque militibus auditus, responsum est ab alterâ parte, A. Varronem profiteri se altera die ad colloquium venturum; atque unà etiam utrinque admodum tutò legati venire, et quae

NOTAE.

1 *L. Lucceio.*] L. Lucceius scriptor Romanae historiae, ad quem sunt epistolae Ciceronis lib. v. ad Famil.

2 *Theophane.*] Theophanes erat Mitylenaeus, rerum gestarum Pompeii scriptor, à quo quidem civitate donatus, et multis opibus fuit; de quo Cic. in orat. pro Archiâ Poetâ. Inde cognoscitur quanta esset illi Imperatori cura memoriae suae apud posteros propagandae, qui duos haberet ad manum scriptores, alterum Latinum, alterum Graecum.

3 *De mandatis Caesaris agere instituit.*] Ideo Caesar de pace agebat, qui nondum Antonium cum suis copiis transiisse mare dolebat, nec superior erat Pompeio, teste Dione; ideo et tam ferociter colloquium disturbatam ad Apsum.

4 *Fugitivis ab saltu Pyrenaeo.*] Hieronymus lib. II. contra Vigilantium qui erat Convena, sic de ipso scribit: *Nimirum respondet generi suo, ut qui de latronum et convenarum natus est semine, quos Cn. Pompeius edomita Hispania ad triumphum ire festinans de Pyrenaei jugis deposuit, et in unum oppidum congregavit, unde et Convenarum nomen accepit.* Quae nunc dicitur *Cominge.* Hic Hieronymi locus docet qui sint illi de Pyrenaeo saltu fugitivi, cum quibus Pompeius de pace egit, ut ne gravetur idem cum civibus facere.

vellent, exponere possent: certumque ei rei tempus constituitur. Quo quum esset postero die ventum, magna utrinque multitudo convenit; magnaque erat ejus rei expectatio, atque omnium intenti animi ad pacem esse videbantur. Quâ ex frequentiâ T. Labienus prodiit: summissâ oratione loqui de pace, atque altercari cum Vatinio incipit. Quorum mediam orationem interrumpunt undique subitò tela immissa; quae ille, obtectus armis militum, vitavit. Vulnerantur tamen complures: in his Cornelius Balbus, M. Plotius, L. Tiburtius centuriones, militesque nonnulli. Tum Labienus, Desinite ergo de compositione loqui: nam nobis, nisi Caesaris capite relato, pax esse nulla potest.

XX. Iisdem temporibus Romae, [1] M. Caelius Rufus praetor, caussâ debitorum susceptâ, [2] initio magistratûs tribunal suum juxta C. Trebonii praetoris urbani sellam collocavit: et, si quis appellâsset de aestimatione, et de solutionibus quae per arbitrium fierent, ut Caesar praesens constituerat, fore auxilio pollicebatur. Sed fiebat aequitate decreti, et humanitate Trebonii, qui his temporibus clementer et moderatè jus dicendum existimabat; ut reperiri non posset, à quibus initium appellandi nasceretur. Nam fortasse inopiam excusare, et calamitatem aut propriam suam, aut temporum queri, et difficultates auctionandi proponere, etiam mediocris est animi: integras verò tenere possessiones, qui se debere fateantur, cujus animi, aut cujus impudentiae est? Itaque, qui hoc postularet, reperiebatur nemo. Atque ipsis, ad quorum commodum pertinebat, durior inventus est Caelius. Et ab hôc profectus initio, ne frustra ingressus turpem caussam videretur, legem promulgavit, ** ut [3] sexies seni dies sine usuris creditae pecuniae solvantur.

NOTAE.

1 *M. Caelius.*] Hic Caelius est orator et Ciceronis discipulus, cujus et ad quem est liber VIII. epistolarum Ciceronis ad Famil. qui, ut Asconius scripsit, Milonis studiosissimus erat, et tribunus quidem pleb. quo anno ab eo occisus est P. Clodius. Is Curionem quaestor secutus est in Africam, ubi et classis praefectus fuit, ut libro superiore legimus. Idem praetoriam à Caesare dignitatem accepit, sed peregrinam, indignatusque quod ab eodem Caesare praeturam urbanam Trebonius accepisset, de Caesare in Macedoniâ bellum gerente falsos rumores sparsit, quasi is mortuus victusque esset, et tandem ea fecit quae hic leguntur. Quo in tumultu cum sellam ejus curulem consul Isauricus fregisset, alteram posuit loris intentam. Dicebatur autem consul aliquando à patre caesus flagris. Quo facto risus conciliatus interim admista gravitate, autor Quintilianus, lib. VI. cap. 3. Hunc porro Caelianum tumultum sic describit Epitome Livinia: *Caelius Rufus praetor cum seditiones in urbe quam maxime concitaret, novarum tabularum spe plebe solicitatâ, abrogato magistratu, pulsus urbe, Miloni exuli qui fugitivorum exercitum contraxerat, se conjunxit. Uterque, cum bellum molirentur interempti sunt.* Eum Cicero non illaudatum praeterit in libro de claris oratoribus, et in oratione pro Dejotaro scribit Caelium tumultuari coepisse circa initia belli Africani, quod plus uno anno Caesar anticipat.

2 *Initio magistratus tribunal suum,* &c.] Esse potest sensus duplex, vel ut M. Caelius praetor fuerit peregrinus, seque urbano praetori aequare voluerit Trebonio; vel quia litibus dirimendis ex aequo uterque datus esset, ab alteroque ad alterum appellare liceret.

3 *Sexies seni.*] Mendum est, quod tamen difficilem habet emendationem. Res omnis tamen aliquam lucem accipit à Livio, lib. VI.

XXI. Quum resisteret Servilius consul, reliquique magistratus; et minùs opinione suâ efficeret: ad hominum excitanda studia, sublata priore lege, duas promulgavit; unam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donavit; [1] alteram tabularum novarum: impetuque multitudinis in C. Trebonium facto, et nonnullis vulneratis, eum de tribunali deturbavit: de quibus rebus Servilius consul ad senatum retulit: [2] senatusque Caelium ab rep. removendum censuit. Hoc decreto eum consul senatu prohibuit, et concionari conantem de [3] rostris deduxit. Ille ignominia et dolore permotus palam se proficisci ad Caesarem simulavit, clam nuntiis [4] ad Milonem missis, qui Clodio interfecto, eo nomine erat damnatus; [5] atque, eo in Italiam evocato, quòd [6] magnis muneribus datis, gladiatoriae familiae reliquias habebat, sibi conjunxit, atque eum [7] in Turinum ad sollicitandos pastores praemisit. Ipse quum [8] Casilinum veniret, unoque tempore signa ejus militaria atque arma [9] Capuae essent comprehensa, familia [10] Neapoli visa, atque proditio oppidi appareret; patefactis consiliis, exclusus Capua, et periculum veritus, quòd [11] conventus arma ceperat, atque eum hostis loco habendum existimabat, consilio destitit, atque eo itinere sese avertit.

NOTAE.

ubi sic legimus: *Creati Tribuni C. Licinius et L. Sextius promulgavere leges omnes adversus opes Patriciorum et pro commodis plebis, unam de aere alieno, ut deducto eo de capite quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset triennio aequis portionibus persolveretur.* Glareanus negat quibusdam in libris reperiri voces *seni dies*, quibus quidem sublatis haec erit sententia, ut creditae pecuniae sex pensionibus sine usuris pendantur. Paulus Manutius legit *sexenni die*, quod Latine dicitur ut *annua die, bina, trina*, &c. *sexenni die* ita erit *sex annis. Sexies et seni dies* idem est. Erit alterum horum interpretamentum, quod in textum translatum fuerit.

1 *Alteram tabularum novarum*, &c.] De quibus supra, ut antiquatis et abrogatis superioribus tabulis, novae tantum valerent.

2 *Senatusque Coelium ab rep. removendum, censuit.*] Alio vocabulo circumscribendum, id est, interdicendum curià et foro.

3 *Rostris.*] Quae sint rostra docet T. Livius lib. VIII. *Domitis Latinis, naves Antiatium partem in navalia Romae subductae, partim incensae, rostrisque earum suggestum in foro extructum adornari placuit, rostraque id templum appellatum*, ubi solitae conciones haberi apud populum.

4 *Ad Milonem.*] Est hic pro quo insignis legitur Ciceronis oratio.

5 *Atque, eo in Italiam evocato*, &c.] Massilia scilicet, ubi propter occisum Clodium exulabat, eo nomine Caesari infensus, quod cum omnes exules dictator in patriam revocasset, se solum eo numero excepisset.

6 *Magnis muneribus datis.*] Sic dicebantur spectacula, quibus ambitiosi homines plebem deliniebant, sui studium concitantes.

7 *In Turinum.*] In agrum oppido Turiorum adjacentem. Dion Caelium in Brutios venisse narrat, ubi sunt Thurii, diversi quidem illi à Thurinis Appulis, quorum urbs *Thurium* antea *Sybaris* dicta. Velleius habet *Compsam* in Hirpinis.

8 *Casilinum.*] Dicitur à Livio situm ad ostium Vulturni fluminis in Campania, quod DXL militum Prenestinorum ibi ab Annibale obsessorum celebratur patientia, ubi CC drachmis venditus est tritici medimnus, quem qui vendidit mortuus est, salvus vero fuit qui emerat. Sed et pomoerium cum rapis consererent, miratus est Annibal quod sperarent obsidionem sustinere, donec crevisset rapum. Extremam etiam famem nucibus sustentabant, quas Gracchus in amnem abjiciebat, ipsi ad se delatas cratibus et canistris hauriebant. Hodie dicitur *Castelluzo.*

9 *Capuae.*] De Capuâ supra dictum.

10 *Neapoli.*] Neapolis nunc regni Neapolitani caput, urbs etiam nunc totius Italiae amoenissima et pulcherrima, nomen retinet.

11 *Conventus.*] Conventus erat civium R. in urbibus, ubi potissimum erant coloniae.

XXII. Interim Milo, dimissis circum municipia litteris, ea quae faceret, jussu atque imperio facere Pompeii, quae mandata ad se per Bibulum delata essent: quos ex aere alieno laborare arbitrabatur, sollicitabat. Apud quos quum proficere nihil posset, quibusdam solutis [1] ergastulis, [2] Cosam in agro Turino oppugnare coepit. Eò quum à [3] Q. Pedio praetore cum legione ** [4] lapide ictus esset ex muro, periit: et Caelius profectus, ut dictitabat, ad Caesarem, pervenit Thurios: ubi, quum quosdam ejus municipii sollicitaret, equitibusque Caesaris Gallis atque Hispanis, qui eò praesidii caussá missi erant, pecuniam polliceretur, ab iis est interfectus. Itaque magnarum initia rerum quae occupatione magistratuum et temporum sollicitam Italiam habebant, celerem et facilem exitum habuerunt.

XXIII. Libo profectus ab Orico cum classe, cui praeerat, navium L, Brundisium venit, insulamque, quae contra Brundisinum portum est, occupavit; quòd praestare unum locum arbitrabatur, quà necessarius nostris erat egressus, quàm omnium littora ac portus custodiâ clausos teneri. Hic repentino adventu naves onerarias quasdam nactus incendit; et unam frumento onustam abduxit: magnumque nostris terrorem injecit, et noctu militibus et sagittariis in terram expositis, praesidium equitum ejecit; et adeò loci opportunitate profecit, ut ad Pompeium litteras mitteret, naves reliquas, si vellet, subduci et refici juberet; sua classe auxilia sese Caesaris prohibiturum.

XXIV. Erat eo tempore Antonius Brundisii: qui virtuti militum confisus, scaphas navium magnarum circiter IX cratibus pluteisque contexit; eòque milites delectos imposuit; atque eas in littore pluribus locis separatim disposuit; navesque triremes II, quas Brundisii faciendas curaverat, per caussam exercendorum remigum ad fauces portûs prodire jussit. Has quum audaciùs progressas Libo vidisset, sperans intercipi posse, quadriremes V ad eas misit. Quae quum navibus nostris appropinquâssent, nostri veterani in portum refugerunt: illi studio incitati incautiùs sequebantur. Jam ex omnibus partibus subitò Antonianae scaphae, signo dato, se in hostes incitaverunt; primoque impetu unam ex his quadriremem, cum remigibus defensoribusque suis, ceperunt; reliquas turpiter fugere coëgerunt. Ad hoc detrimentum accessit, ut equitibus per oram maritimam ab Antonio dispositis aquari prohiberentur. Quâ necessitate et ignominiâ permotus Libo, discessit à Brundisio, obsessionemque nostrorum omisit.

NOTAE.

1 *Ergastulis.*] Ergastula erant carceres, ubi victi servi opus faciebant. Ergastulus dicitur, teste Nonio, custos hujus loci.

2 *Cosam.*] Cosam Velleius Paterculus in Hirpinis statuit. Stephano est Oenotriorum, cum duplici *ss Cossa*. Hodie *Cosano*.

3. *Q. Pedio.*] Pedius hic tum praetor, fuit consul post mortem Julii Caesaris, à quo haeres ex quadrante scriptus; in consulatu, legem fecit contra percussores Caesaris. Unde proscriptiones postea secutae.

4 *Lapide ictus esset ex muro, periit.*] Quod praesignificatum prodigio putat Plinius: *Lana pluit circa castellum Larissanum, juxta quod post annum T. Annius Milo occisus est.* Hic est lacuna.

XXV. Multi jam menses transiêrant; et [1] hiems jam praecipitaverat, neque Brundisio naves legionesque ad Caesarem veniebant; ac nonnullae ejus rei praetermissae occasiones Caesari videbantur; quòd certè saepè flaverant venti, quibus necessariò [2] committendum existimabat. Quantoque ejus amplius processerat temporis, tanto erant alacriores ad custodias, qui classibus praeerant; majoremque fiduciam prohibendi habebant; et crebris Pompeii litteris castigabantur, quoniam primò venientem Caesarem non prohibuissent, ut reliquos ejus exercitus impedirent: [3] duriusque quotidie tempus ad transportandum lenioribus ventis exspectabant. [4] Quibus rebus permotus Caesar, Brundisium ad suos severiùs scripsit, ut nacti idoneum ventum, ne occasionem navigandi dimitterent, si vel ad littora Apolloniatium cursum dirigerent; [5] quod eò naves ejicere possent. Haec à custodiis classium loca maximè vacabant; quòd se longiùs portibus committere non auderent.

XXVI. Illi adhibitâ audaciâ et virtute, administrantibus M. Antonio et Fusio Kaleno, multùm ipsis militibus hortantibus, neque ullum periculum pro salute Caesaris recusantibus, nacti [6] austrum, naves solvunt, atque alterâ die Apolloniam Dyrrhachiumque praetervehuntur; qui cum essent ex continenti visi, [7] Q. Coponius, qui Dyrrhachii classi Rhodiae praeerat, naves ex portu educit; et quum jam nostri remissiore vento appropinquâssent, idem auster increbuit, nostrisque praesidio fuit. Neque verò ille ob eam

NOTAE.

1 *Hiems jam praecipitaverat.*] Ut apud Virgilium:

———et jam nox humida coelo
Praecipitat, suadentque cadentia sydera somnum.

Ad quos versus Servius: *Nam ea verba invicem ponuntur quae passiva et activa esse possunt, ut* averto, *et* avertor, praecipito *et* praecipitor. Quod fieri necesse fuit, si v Januarii Brundisio solvit, multique jam menses ab eo tempore abierant.

2 *Committendum existimabat.*] Impersonaliter.

3 *Duriusque quotidie tempus.*] Facilius enim erat vitare custodias saeva tempestate quam molliori, quà pro animi sui sententiâ utebantur persequentes.

4 *Quibus rebus permotus Caesar.*] Tempus illud fuit, cùm servili veste latens, ingressus est navigium parvulum, et jam saeviente fluctu despondentique animum gubernatori, sese, quis esset, aperuit, et Perge, age, inquit, aude et nihil time, Caesarem vehis, unaque Caesaris fortunam. Quod factum dictumque à Plutarcho, Appiano, Val. Max. Suetonioque narratur. Lucanus lib. v. precibus minisque à Caesare evocatum Antonium fuisse scribit. Appianus vero diffisum ait jam post id factum latere posse, Posthumium in Italiam pro se misisse, qui juberet Gabinium è vestigio ad se trajicere exercitum, qui, si nollet, eadem imperaret Antonio, tertioque post Antonium Caleno. Quod si tres cunctarentur, epistolam aliam universo exercitui legeret, in qua prescriptum erat, ut qui sequi vellet Posthumium, naves cum ipso conscenderet, appelleretque quo posset, etiam cum navium periculo; neque enim Caesari navibus, sed viris opus esse. Caesar enim nihil jam usus consilio, fortunae omnia permittebat. Ac Posthumius quidem cum mare transiisset, mandataque exposuisset, Gabinius, qui sequi se voluerunt ad Caesarem, duxit per Illyricum, nullibi moratus; sed omnes fere milites interfecti sunt ab Illyricis, nec ulcisci potuit Caesar, Antonius vero trajecit mare.

5 *Quod eò naves ejicere possent.*] Cum navis in importuosum littus agitur, ubi frangitur, salvis tamen et expositis in terram militibus.

6 *Austrum*] Auster ventus meridianum cardinem tenet.

7 *Q. Coponius.*] Caius dicitur à Cicerone lib. 1. de Divinatione, qui nonnulla habet

caussam conatu desistebat, sed labore et perseverantiâ nautarum se vim tempestatis superare posse sperabat; praetervectosque Dyrrhachium magnâ vi venti nihilo seciùs sequebatur. Nostri usi fortunae beneficio, tamen impetum classis timebant, si fortè ventus remisisset. Nacti portum, qui appellatur [1] Nymphaeum, ultra [2] Lissum millia passuum III, eò naves introduxerunt: (qui portus ab [3] Africo tegebatur, ab austro non erat tutus:) leviùsque tempestatis quâm classis periculum aestimaverunt. [4] Quò simul atque intus est itum, incredibili felicitate auster, qui per biduum flaverat, in Africum se vertit.

XXVII. Hic subitam commutationem fortunae videre licuit. [5] Qui modò sibi timuerant, hos [6] tutissimus portus recipiebat [7] qui nostris navibus periculum intulerant, de suo timere cogebantur. Itaque tempore commutato tempestas et nostros texit, et naves Rhodias afflixit, ita ut ad unum constratae omnes, numero XVI, eliderentur et naufragio interirent; et ex magno remigum propugnatorumque numero pars ad scopulos allisa interficeretur, pars à nostris distraheretur: quos omnes conservatos Caesar domum remisit.

XXVIII. Nostrae naves II tardiùs cursu confecto, in noctem conjectae, quum ignorarent quem locum reliquae cepissent, contra Lissum in anchoris constiterunt. Has, scaphis minoribusque navigiis compluribus summissis, [8] Otacilius Crassus, qui Lissi praeerat, expugnare parabat: simul de deditione eorum agebat, et incolumitatem deditis pollicebatur. Harum altera navis ducentos viginti ex legione tironum sustulerat; altera ex veteranâ paullò minus ducentis [se compleverat.] Hic cognosci licuit quantum esset hominibus praesidii in animi firmitudine. Tirones enim multitudine navium perterriti, et [9] salo nauseâque confecti, jurejurando accepto, nihil iis nocituros hostes, se Otacilio dediderunt: qui omnes ad eum perducti contra religionem jurisjurandi in ejus conspectu crudelissimè interficiuntur. At veteranae legiones milites, item conflictati et tempestatis et sentinae vitiis, non ex pristinâ virtute remittendum aliquid putaverunt; sed tractandis conditionibus, et simulatione deditionis extracto primo noctis tempore, gubernatorem in terram navem ejicere cogunt; ipsi idoneum locum nacti reliquam noctis partem ibi confecerunt, et luce primâ missis ad eos ab Otacilio equitibus, qui eam partem

NOTAE.

eo loco huc pertinentia: *C. Coponium ad te venisse Dyrrhachio cum praetorio imperio, classi Rhodiae praeesse, cum primis hominum prudentem et doctum, eumque dixisse remigem quendam in quinqueremi Rhodiorum vaticinatum madefactum iri minus* XXX *diebus Graeciam sanguine,* &c.

1 *Nymphaeum.*] Plinius Promontorium vocat lib. III. cap. 22.

2 *Lissum.*] Lissus oppidum Illyricum, quod Dyrrhachio distat C millibus passuum, autore Plinio. Hodie *Alesio,* Sophiano.

3 *Africo.*] Africus ventus qui flat ab occasu hiberno.

4 *Quo simul atque intus est itum.*] *Intro* solet dici, ubi motus significari contingit.

5 *Qui modo sibi timuerant.*] Caesariani.

6 *Tutissimus portus.*] Nymphaeum.

7 *Qui nostris navibus periculum intulerunt.* Pompeiani.

8 *Otacilius Crassus.*] Ille victo Scipione fugit ex Africâ, ut est autor Plutarchus in Catone.

9 *Salo.*] Quod postea explicat, nempe jactatione.

orae maritimae asservabant, circiter CD, quique eos armati ex praesidio secuti sunt, se defenderunt: et nonnullis eorum interfectis, incolumes ad nostros sese receperunt.

XXIX. Quo facto, conventus civium Romanorum qui Lissum obtinebat, quod oppidum iis antea Caesar attribuerat, muniendumque curaverat, Antonium recepit, omnibusque rebus juvit. Otacilius sibi timens, oppido fugit, et ad Pompeium pervenit. [1] Ex omnibus copiis Antonius, quarum erat summa, veteranorum III legionum, uniusque tironum, et equitum DCCC, plerasque naves in Italiam remittit, ad reliquos milites equitesque transportandos: [2] pontones, quod est genus navium Gallicarum, Lissi reliquit; hôc consilio, ut, si fortè Pompeius vacuam existimans Italiam eò transjecisset exercitum, quae opinio erat edita in vulgus, aliquam Caesar ad insequendum facultatem haberet: nuntiosque ad eum celeriter mittit, quibus regionibus exercitum exposuisset, et quid militum transvexisset.

XXX. Haec eodem ferè tempore Caesar atque Pompeius cognoscunt. Nam praetervectas Apolloniam Dyrrachiumque naves viderant: ipsi iter secundum eas terrâ direxerant: sed quò essent eae delatae, primis diebus ignorabant: cognitâque re, diversa sibi ambo consilia capiunt; Caesar, ut quamprimum se cum Antonio conjungeret; Pompeius, ut venientibus in itinere se opponeret, et, si imprudentes ex insidiis adoriri posset. Eodemque die uterque eorum [3] ex castris stativis à flumine Apso exercitum educunt: Pompeius clam et noctu, Caesar palam atque interdiu. Sed Caesari circuitu majore iter erat longius, adverso flumine, ut vado transire posset. Pompeius, quia expedito itinere flumen ei transeundum non erat, magnis itineribus ad Antonium contendit; atque, ubi eum appropinquare cognovit, idoneum locum nactus, ibi copias collocavit: suosque omnes castris continuit, ignesque fieri prohibuit; quò occultior esset ejus adventus. Haec ad Antonium statim per Graecos deferuntur. Ille, missis ad Caesarem nuntiis, unum diem sese castris tenuit. Altero die ad eum pervenit Caesar. Cujus adventu cognito Pompeius, ne duobus circumcluderetur exercitibus, ex eo loco discedit; omnibusque copiis ad [4] Asparagium Dyrrhachinorum pervenit, atque ibi idoneo loco castra ponit.

NOTAE.

1 *Ex omnibus copiis*, &c.] Non frustra sollicitabatur Caesar, nondum recepto Antonio. Neque enim satis habebat copiarum ad victoriam, quod ipsi summae semper curae esse consueverat; et sic omnes Pompeiania etiam judicabant. Sed sua eum et hic fortuna tutata est. Sed enim, ut refert Appianus, Pompeius eo tempore non differendum ratus, in eum instructam aciem cum duceret, duoque ex ejus militibus praetentaret vadum medio fluminis alveo, Caesarianorum unus ambos impetu facto occidit. ipse, ut omen infaustum aversatus in sua castra copias reduxit, omnibus amitti occasionem querentibus.

2 *Pontones.*] Naves trajiciendis equis et vehiculis idoneae, *bacs*, aut certe ad earum formam accedentes.

3 *Ex castris stativis.*] Castra hiberna distant à stativis, quod stativa sub pellibus sunt tumultuario opere facta, hiberna vero in oppidis sunt, tabernaculis accuratius extructis, ut videtur Livio.

4 *Asparagium.*] Ignoratur.

XXXI. His temporibus [1] Scipio, detrimentis quibusdam circa montem [2] Amanum acceptis, sese Imperatorem appellaverat. Quo facto civitatibus tyrannisque magnas imperaverat pecunias: item a publicanis suae provinciae debitam biennii pecuniam exegerat, et ab eisdem insequentis anni mutuam praeceperat: equitesque toti provinciae imperaverat. Quibus coactis, finitimis hostibus [3] Parthis post se relictis, qui paullo antè M. Crassum imperatorem interfecerant, et [4] M. Bibulum in obsidione habuerant, legiones equitesque ex [5] Syriâ deduxerat: summâque in solicitudine ac timore Parthici belli in provinciam quum venisset, ac nonnullae militum voces audirentur, sese, contra hostem si ducerentur, ituros; contra civem et consulem arma non laturos; deductis [6] Pergamum atque in locupletissi-

NOTAE.

1 *Scipio.*] Cui Syriam obvenisse regendam, supra dictum.

2 *Amanum.*] Mons Amanus Ciliciam Syriamque disterminat; hodie quibusdam *Montenegro*, aliis *Scanderone.* Sed hoc loco vix potest abesse mendum. Quomodo enim quis, detrimento accepto, victoriae insignia ausit poscere, nisi tamen fuerit victoria dubia? Nec certe dubitarem esse mendum, nisi hoc anno et hoc bello, quo nunc tota fere ardet Europa, vidissemus hostes Gallici nominis suis cladibus tanquam remedia quaedam, epinicia falsa adhibere.

3 *Parthis.*] Quoniam creberrima ubique Parthorum oboritur mentio, operae pretium est aliquid de eâ gente dicere. Plinius lib. VI. cap. 25. tradit Persidem in Parthorum jam pridem translatum nomen, deinde, inquit, *Regna Parthorum duo de viginti sunt omnia. Ita enim dividunt provincias circa duo maria. Rubrum à meridie, Hyrcanum à septentrione. Ex iis undecim, quae superiora dicuntur, incipiunt à confinio Armeniae Caspiisque littoribus, pertinent ad Scythas, cum quibus ex aequo degunt. Reliqua septem regna inferiora appellantur. Quod ad Parthos attinet; semper fuit Parthia in radicibus montium saepius dictorum qui omnes eas praetexunt. Habet ab ortu Arios, a meridie Carmaniam et Arianos, ab occasu Pratitas, Medos, à septentrione Hyrcanos, undique desertis cincta.* Eorum imperium ortum habuit circa annum urb. cond DIV, cum ab Antiocho cognomento Theo Asiae et Syriae rege tertio, ab Alexandro, ducem nacti Arsacem defecerunt. Orodes qui Crassum vicit nonus ab illo fuit, et quanquam de illis L. Ventidius Bassus triumphaverit, tamen parum abfuit quin Marcum Antonium eodem, quo Crassum modo exceperint. Augustus Caesar Phraatem hoc nomine tertium eorum regem, signa capta reddere coëgit, pacemque cum iis iniit, quae usque ad imperatorem Caracallam perduravit, quo à Macrino interfecto, iterum coïit, octoque post annis Artabano eorum rege interfecto ab Artaxerxe, Parthorum regni finis fuit anno Christi CCXXVI. Ibidem regnaverunt Persae usque ad Hormisdam ejus nominis tertium, quo ann. Christi DCXXXIX, regnante victi sunt Persae à Mahomedis successore Omare. Atque haec de Parthis et eorum successoribus Persis.

4 *M. Bibulum in obsidione habuerant.*] Ejus exemplum sequendum Cicero proponit Cornificio, lib. XII. Epist. ad Famil. *Quod si pares copias ad confligendum non habebis, non te fugiet uti consilio M. Bibuli, qui se oppido munitissimo et copiosissimo tam diu tenuit, quamdiu in provincia Parthi fuerunt.*

5 *Syria.*] Scipionis erat provincia. Maximae fuit amplitudinis. A Posidonio apud Strab. *Aramaea* dicta; quo nomine insignitur apud sacras scripturas. Eustathius dividit in quinque partes in *Comagenem*, *Seleucidem*, *Caelosyriam*, *Phoenicem*, *et Judaeum*, ad ortum Euphrati, ad occidentem mari Mediterraneo, à meridie Arabiâ, à septentrione Ciliciâ et parte Cappadociae terminatur, sub regibus primo, deinde sub Persis, sub Alexandri posteris Graecis postea, tandem à Pompeio Romanis subdita, donec à Cosroe Persarum rege erepta Phocae Imperatori, recuperata ab Heraclio, haud ita multo post à Saracenis capta est.

6 *Pergamum.*] Pergamus Galeni medici patria in Mysia, quam Caycus amnis praeterfluit, in qua Pergamena membrana inventa esse dicitur. Nomen hodie retinet.

mas urbes in hiberna legionibus, maximas largitiones fecit; et confirmandorum militum causssâ, diripiendas iis civitates dedit.

XXXII. Interim acerbissimè imperatae pecuniae totâ provinciâ exigebantur. Multa praeterea generatim ad avaritiam excogitabantur. In capita singula servorum ac liberorum, tributum imponebatur. [1] Columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturae imperabantur. Cujus modò rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur. Non solùm urbibus, sed penè vicis, castellisque singulis cum imperio praeficiebantur. Qui horum quid acerbissimè crudelissimèque fecerat, is et vir et civis optimus habebatur. Erat plena lictorum et imperiorum provincia, differta praefectis atque exactoribus: qui, praeter imperatas pecunias, suo etiam privato compendio serviebant. Dictitabant enim, se domo patriâque expulsos, omnibus necessariis egere rebus, ut honestâ praescriptione rem turpissimam tegerent. Accedebant ad haec gravissimae usurae, quod in bello plerumque accidere consuevit, universis imperatis pecuniis; [2] quibus in rebus, prolationem diei donationem esse dicebant. Itaque aes alienum provinciae eo biennio, multiplicatum est. Nec minùs ob eam caussam civibus Romanis ejus provinciae, sed [3] in singulos conventus, singulasque civitates certae pecuniae, imperabantur: mutuasque illas ex S. C. exigi dictitabant: publicanis, uti in sorte fecerant, insequentis anni vectigal promutuum. Praeterea [5] Ephesi à fano Dianae depositas antiquitus pecunias Scipio tolli jubebat [5] caeterasque ejus Deae statuas.

XXXIII. Quum in fanum ventum esset, adhibitis compluribus senatorii ordinis, quos advocaverat Scipio, litterae ei redduntur à Pompeio, mare transîsse cum legionibus Caesarem; properaret ad se cum exercitu venire, omniaque posthaberet. His litteris acceptis, quos advocaverat, dimittit: ipse iter in Macedoniam parare incipit: paucisque post diebus est profectus. Haec res Ephesiae pecuniae salutem attulit.

XXXVI. Caesar, Antonii exercitu conjuncto, deductâ Orico legione, quam tuendae orae maritimae caussâ posuerat: tentandas sibi provincias, longiùsque procedendum existimabat: et, quum ad eum

NOTAE.

1 *Columnaria.*] Cicero lib. XIII. ad Att. *Columnarium vide nullum ne debeamus.* Tributum in singulas columnas, quod ideo institutum erat, ut ab insanis aedificiorum sumptibus deterrerent cives.

2 *Quibus in rebùs prolationem diei,* &c.] Quia ut plus ille petit qui ante diem petit, ita minus solvit, qui tardius et non ad diem solvit.

3 *In singulos conventus.*] De quibus supra.

4 *Ephesi.*] Ephesus primaria Ioniae urbs eximio Dianae templo, quod tota extruente Asia cccc annis peractum est, nobilitata. Nomen nunc retinet, sed est diruta. Porro res carissimas in templis antiqui deponebant, tanquam Deorum fidei commendatas. Haec omnia faciebat Scipio in aliena provincia, sed ut videtur, munitus senatusconsulto Pompeianorum, quale Cassius, apud Ciceronem Philip. II. legitur habuisse: *Ut quamcumque in provinciam ejus belli gerendi caussâ advenerit, ibi majus imperium C. Cassi proconsulis sit, quam ejus erit qui eam provinciam obtinebit.* Nimirum ut supra mutuas pecunias ex senatusconsulto colligi dictitabant.

5 *Caeterasque ejus Deae statuas.*] Quippe quae ex auro, argento, et aere erant conflatae.

legati venissent ex [1] Thessaliâ, [2] Aetoliâque, qui praesidio misso pollicerentur earum gentium civitates imperata facturas, L. Cassium Longinum cum legione Tironum, quae appellabatur XXVII, atque equitibus CC in Thessaliam, [3] C. Calvisium Sabinum cum cohortibus V, paucisque equitibus in Aetoliam misit. Maximè eos, quod erant propinquae regiones, de re frumentariâ, ut providerent, hortatus est. [4] Cn. Domitium Calvinum cum legionibus duabus, XI, et XII, et equitibus D, in Macedoniam proficisci jubet; cujus provinciae [5] ab eâ parte, quae Libera appellabatur, Menedemus, princeps earum regionum, missus legatus, omnium suorum excellens studium profitebatur.

XXXV. Ex his Calvisius, primo adventu summâ omnium Aetolorum receptus voluntate, praesidiis adversariorum [6] Calydone et [7] Naupacto rejectis, omni Aetoliâ potitus est. Cassius in Thessaliam cum legione pervenit. Hîc quum essent factiones duae, variâ voluntate civitatum utebatur. [8] Egesaretus veteris homo potentiae, Pompeianis rebus studebat. Petreius, summae nobilitatis adolescens, suis ac suorum opibus Caesarem enixè juvabat.

XXXVI. Eodemque tempore Domitius in Macedoniam venit: et, quum ad eum frequentes civitatum legationes convenire coepissent, nunciatum est adesse Scipionem cum legionibus, magnâ et opinione et famâ omnium. Nam plerumque in novitate fama antecedit. Hic, nullo in loco Macedoniae moratus, magno impetu contendit ad Domitium; et, quum ab eo millia passuum XX abfuisset, subito se ad Cassium Longinum in Thessaliam convertit. Hoc adeò celeriter fecit, ut simul adesse et venire nuntiaretur. Et, quo iter expeditiùs faceret, M. [9] Favonium ad flumen [10] Haliacmonem, quod Macedo-

NOTAE.

1 *Thessaliâ.*] Nobilis Graeciae regio, montibus undique cincta; à septentrione Macedoniam, à meridie Boeotiam, ab oriente mare habet, in quod influit Peneus amnis.

2 *Aetoliaque.*] Aetolia Achaiae regio, cujus incolae erant bellicosissimi, qui junctis cum Romanis viribus Philippum Macedoniae regem fregerunt. Deinde ipsi postea à Romanis domiti sunt, de quibus triumphavit Flavius Nobilior.

3 *C. Calvisium Sabinum.*] Hic Calvisius Sabinus Africam postea administravit, triumvirisque regnantibus, consul factus est anno ab urbe condita DCCXV. Huic legionem unam exceptis DCCC hominibus adventu Scipionis fuisse concisam, proditum est ab Appiano, lib. 11.

4 *Cn. Domitium Calvinum.*] Cneius Domitius Calvinus consulatu jam functus fuerat quarto ante anno, quam civile bellum oriretur, et iterum functus est triumviris regnantibus.

5 *Ab ea parte quae libera appellabatur.*] Strabo lib. VII. *Τὰ περὶ Λίγκυστὸν καὶ Πελαγωνίαν καὶ Ορεστιάδα, καὶ Αιμίαν τὴν ἄνω Μακεδονίαν ἔκάλουν, οἱ δὲ ὕστερον καὶ Ελευθέραν. Superiorum Macedoniam, in qua erant Lyncestus, Pelagonia, Orestias et Aemia, posteriores Liberam appellarunt.*

6 *Calydone.*] Calydon metropolis Aetoliae, Meleagro heroe et celebri apri Calydonii venatione nobilis ad Evenum amnem, non procul à mari.

7 *Naupacto.*] Naupactus vel Naupactum urbs Aetoliae ad sinum Corinthiacum, Christianorum adversus Turcas victoriâ anno MDLXXI insignis, nunc *Lepanto.*

8 *Egesaretus.*] Agesaretus Larissaeus dicitur Ciceroni, lib. XIII epist. ad Famil.

9 *Favonium.*] Favonius erat imitator Catonis, qui post mortem Caesaris atque Bruti periit, ob caedem Caesaris proscriptus.

10 *Haliacmonem.*] Aliacmon sine aspiratione alibi scribitur. *Pelecas* est Sophiano, Mercatori *Platamona*, in Thermaicum sinum influit.

tuam à Thessaliâ dividit, cum cohortibus VIII praesidio impedimentis legionum reliquit, castellumque ibi muniri jussit. Eodem tempore equitatus [1] regis Coti ad castra Cassii advolavit, qui circum Thessaliam esse consueverat. Tum timore perterritus Cassius, cognito Scipionis adventu, visisque equitibus, quos Scipionis esse arbitrabatur, [2] ad montes se convertit, qui Thessaliam cingunt, atque ex his locis [3] Ambraciam versùs iter facere coepit. At Scipionem properantem sequi litterae sunt consecutae à M. Favonio, Domitium cum legionibus adesse, nec se praesidium, ubi constitutus esset, sine auxilio Scipionis tenere posse. Quibus litteris acceptis, consilium Scipio iterque commutat; Cassium sequi desistit; Favonio auxilium ferre contendit. Itaque die ac nocte continuato itinere ad eum pervenit, tam opportuno tempore, ut simul Domitiani exercitûs pulvis cerneretur, et primi antecursores Scipionis viderentur. Ita Cassio industria Domitii, Favonio Scipionis celeritas salutem attulit.

XXXVII. Scipio, [4] in castris stativis biduum moratus ad flumen, quod inter eum et Domitii castra fluebat, Haliacmonem, tertio die, primâ luce, exercitum vado transducit; et, castris positis, postero die manè copias ante frontem castrorum instruit. Domitius tum quoque sibi dubitandum non putavit, quin productis legionibus proelio decertaret. Sed quum esset inter bina castra campus circiter millium passuum VI, castris Scipionis aciem suam subjecit. Ille à vallo non discedere perseveravit. Attamen, aegrè retentis Domitianis militibus, est factum, ne proelio contenderetur; et maximè, quod rivus difficilibus ripis castris Scipionis subjectus, progressus nostrorum impediebat. Quorum studium alacritatemque pugnandi quum cognovisset Scipio, suspicatus fore, ut postero die aut invitus dimicare cogeretur, aut magnâ cum infamiâ castris se continere, qui magnâ exspectatione venisset, temerè progressus, turpem habuit exitum: et noctu, ne conclamatis quidem vasis, flumen transit, atque in eandem partem, ex qua venerat, rediit: ibique propè flumen, edito naturâ loco, castra posuit. Paucis diebus interpositis, noctu insidias equitum collocavit: quo in loco superioribus ferè diebus nostri pabulari consueverant. Et quum quotidianâ consuetudine Q. Varus praefectus

NOTAE.

1 *Regis Coti.*] De quo supra.

2 *Ad montes se convertit, qui Thessaliam cingunt;*] Plinius lib. IV. cap. 8. scripsit esse id Thessaliâ montes XXXIV, omnes theatrali modo inflexos, caveatis ante eos LXXV urbibus.

3 *Ambraciam.*] Ambracia, de quâ hic Marcianus Heracleota.

Μετὰ τοὺς Μολόττους δ' Ἀμβρακία Κορινθίων
Ἀποικός ἐστιν· ᾤκισεν δ' ὁ Κυψέλου
Αὐτὴν πρότερον παῖς Γοργός.

Post Molossos autem Ambracia Corinthiorum Colonia est: habitavit autem Cypseli Eam prius filius Gorgus.

Regia Pyrrhi quondam regis, urbs Epiri ad sinum Ambracium, unde Graeciae initium ab antiquis Geographis petebatur, proxima Aetolis et Acarnanibus fluvioque Acheronti, quem Poetae fabulantur unum de IV inferorum fluminibus. In ejus vicinia deinde fuit condita Nicopolis ab Augusto, in memoriam Actiacae de Antonio victoriae. Nomen retinet *Ambracia.*

4 *In castris stativis.*] Vegetius lib. VII. cap. 8. *Stativa castra aestate vel hieme, hoste vicino, majori ac habere cura firmantur.*

equitum Domitii venisset; subitò illi ex insidiis consurrexerunt. Sed nostri fortiter eorum impetum tulerunt, celeriterque ad suos quisque ordines rediit, atque ultro universi in hostes impetum fecerunt. Ex his circiter LXXX interfectis, reliquis in fugam conjectis, nostri duobus amissis, in castra se receperunt.

XXXVIII. His rebus gestis, Domitius sperans Scipionem ad pugnam elici posse, simulavit sese, angustiis rei frumentariae adductum castra movere; vasisque militari more conclamatis, progressus millia passuum III, loco idoneo et occulto omnem exercitum equitatumque collocavit. Scipio, ad sequendum paratus, equitatum magnamque partem levis armaturae ad explorandum iter Domitii et cognoscendum praemisit. Qui quum essent progressi, primaeque turmae insidias intravissent, ex fremitu equorum illatà suspicione, ad suos se recipere coeperunt; quique hos sequebantur, celerem eorum receptum conspicati restiterunt. [1] Nostri, cognitis hostium insidiis, ne frustra reliquos exspectarent, duas nacti hostium turmas exceperunt. In his fuit M. Opimius praefectus equitum. Reliquos omnes earum turmarum aut interfecerunt, aut captos ad Domitium deduxerunt.

XXXIX. Deductis orae maritimae praesidiis Caesar, ut suprà demonstratum est, [2] III cohortes Orici, oppidi tuendi caussâ, reliquit, iisque custodiam navium longarum transdidit, quas ex Italiâ transduxerat. Huic officio oppidoque praeerat Acilius legatus. Is naves nostras in interiorem partem post oppidum reduxit, et ad terram deligavit, faucibusque portus navem onerariam submersam objecit, et huic alteram conjunxit, super qua turrim effectam ad ipsum introitum portûs opposuit, et militibus complevit, tuendamque ad omnes repentinos casus transdidit.

XL. Quibus cognitis rebus Cn. Pompeius filius, qui classi Aegyptiae praeerat, ad Oricum venit; submersamque navim [3] remulco, multisque contendens funibus, abduxit: atque alteram navem, quae erat ad custodiam ab Acilio posita, pluribus aggressus navibus, in quibus [4] ad libram fecerat turres, ut ex superiori pugnans loco, integrosque semper defatigatis submittens, et reliquis partibus simul ex terrâ scalis, et classe moenia oppidi tentans, ut adversariorum manus diduceret, labore et multitudine telorum nostros vicit: dejectisque defensoribus, qui omnes scaphis excepti refugerunt, etiam navem expu-

NOTAE.

1 *Nostri, cognitis hostium insidiis.*] *Hosti* ut deleatur *um*, id est ab hoste.

2 III *Cohortes Orici tuendi caussâ reliquit.*] Ergo receptum fuerit quod amissum fuerat, aut aliquid ὕστερον πρότερον inest.

3 *Remulco.*] In Ablativo tantum casu, de quo supra.

4 *Ad libram fecerat turres.*] Est magnitudine eâ turres facere, qua sunt aliae, cum quibus conferuntur: unde librare aquam dixere veteres, cum altitudo loci unde deducebatur, cum eo quo deducebatur quasi libri imaginaria componebatur. Frontinus lib. de aquaeductibus: *Aquae omnes diversa in urbem libra proveniunt.* Turres autem in navibus extruebant. Unde Virg.

Tanta mole viri turritis puppibus instant.

et alibi:

——credas innare revulsas
Cycladas.——

gnavit: eodemque tempore [1] ex alterâ parte molem tenuit naturalem objectam, quae penè insulam contra oppidum effecerat: IV biremes subjectis [2] scutulis impulsas vectibus in interiorem partem traduxit. Ita ex utrâque parte naves longas aggressus, quae erant deligatae ad terram, atque inanes, IV ex his abduxit, reliquas incendit. Hoc confecto negotio, D. Laelium ab Asiaticâ classe abductum reliquit, qui commeatus [3] Bullide atque Amantiâ importari in oppidum prohibebat; ipse Lissum profectus naves onerarias XXX, à M. Antonio relictas, intra portum aggressus, omnes incendit: Lissum expugnare conatus, defendentibus civibus Romanis, qui ejus erant conventûs, militibusque, quos praesidii caussâ miserat Caesar, triduum moratus, paucis in oppugnatione amissis, re infectâ inde discessit.

XLI. Caesar postquam Pompeium ad Asparagium esse cognovit, eòdem cum exercitu profectus, et expugnato in itinere oppido [4] Parthinorum, in quo Pompeius praesidium habebat, III die in Macedoniam ad Pompeium pervenit, juxtaque eum castra posuit; et postridie, eductis omnibus copiis, acie instructâ, decernendi potestatem Pompeio fecit. Ubi eum suis locis se tenere animadvertit; reducto in castra exercitu, aliud sibi consilium capiendum existimavit. Itaque postero die omnibus copiis magno circuitu, difficili angustoque itinere, Dyrrhachium profectus est, sperans Pompeium aut Dyrrhachium compelli, aut ab eo intercludi posse, quòd omnem commeatum, totiusque belli apparatum is eo contulisset; ut accidit. Pompeius enim primò ignorans ejus consilium, quod diverso ab eâ regione itinere profectum videbat, angustiis rei frumentariae compulsum discessisse existimabat: postea per exploratores certior factus, postero die castra movit: breviore itinere se occurrere ei posse sperans. Quod fore suspicatus Caesar, militesque adhortatus ut aequo animo laborem ferrent, parvâ parte noctis itinere intermisso, manè Dyrrhachium venit, quum primum agmen Pompeii procul cerneretur; atque ibi castra posuit.

XLII. Pompeius interclusus Dyrrhachio, ubi propositum tenere non potuit, secundo usus consilio, edito loco, qui appellatur Petra, aditumque habet navibus mediocrem, atque eas à quibusdam protegit ventis, castra communit. Eò partem navium longarum convenire, frumentum commeatumque ab Asiâ, atque omnibus regionibus quas tenebat, comportari imperat. Caesar longiùs bellum ductum

NOTAE.

1 *Ex alterâ parte molem tenuit naturalem objectam.*] Quia legitur apud Plinium, lib. II. cap. 89. *Epidaurus et Oricum insulae esse desiere.* Nonnulli suspicantur mendum esse in voce *naturalem*, quod tamen ita verum esse posset, si quotidiano terrae aggestu moles illa sensim aggesta sit et compacta.

2 *Scutulis.*] Scutulae sunt cylindri lignei perforati, quorum in foramina induuntur vectes ad movenda praegrandia onera. Alio nomine dicuntur phalangae, de quibus supra.

3 *Bullide atque Amantiâ.*] De his supra.

4 *Parthinorum.*] De Parthinis ita Plinius, lib. III. cap. 23. *A Lisso Parthini, Macedoniae provincia, gentes Parthini, à tergo eorum Dassaretae.* Dio vero et Pomponius Mela contra Plinii autoritatem eos populos Illyrico assignant.

iri existimans, et de Italicis commeatibus desperans, quòd tantâ diligentiâ omnia littora à Pompeianis tenebantur, classesque ipsius, quas hieme in Siciliâ, Galliâ, Italiâ, fecerat, morabantur, in Epirum rei frumentariae caussâ, L. Canuleium legatum misit: quodque hae regiones aberant longiùs, locis certis horrea constituit; vecturasque frumenti finitimis civitatibus descripsit. Item Lisso Parthinisque, et omnibus castellis, quod esset frumenti, conquiri jussit. Id erat perexiguum, quum ipsius agri naturâ, quòd sunt loca aspera et montuosa, ac plerumque utuntur frumento importato; tum quòd Pompeius haec providerat, et superioribus diebus praedae loco Parthinos habuerat, frumentumque omne conquisitum, spoliatis effossisque eorum domibus, per equites comportaverat.

XLIII. Quibus rebus cognitis, Caesar consilium capit ex loci naturâ. Erant enim circum castra Pompeii permulti editi atque asperi colles. Hos primùm praesidiis tenuit; castellaque ibi communit. Inde ut loci cujusque natura ferebat, ex castello in castellum perductâ munitione, circumvallare Pompeium instituit: haec spectans, quòd angustâ re frumentariâ utebatur; quòd Pompeius multitudine equitum valebat, quo minore periculo undique frumentum commeatumque exercitui supportare posset: simul, ut pabulatione Pompeium prohiberet, equitatumque ejus ad rem gerendam inutilem efficeret; tertiò, ut auctoritatem, quâ ille maximè apud exteras nationes niti videbatur, minueret; quum fama per orbem terrarum percrebuisset, illum â Caesare obsideri neque audere proelio dimicare.

XLIV. Pompeius neque à mari Dyrrhachioque discedere volebat; quod omnem apparatum belli, tela, arma, tormenta ibi collocaverat, frumentumque exercitui navibus supportabat; neque munitiones Caesaris prohibere poterat, nisi proelio decertare vellet; quod eo tempore statuerat non esse faciendum. Relinquebatur, ut extremam rationem belli sequens, quamplurimos colles occuparet, et quam latissimas regiones praesidiis teneret, Caesarisque copias, quàm maximè posset, distineret. Idque accidit. Castellis enim XXIV effectis, XV millia passuum circuitu amplexus, hôc spatio pabulabatur; multaque erant inter eum locum [1] manu sata, quibus interim jumenta pasceret. Atque ut nostri, qui perpetuas munitiones habebant, perductas ex castellis in proxima castella, ne quo loco erumperent Pompeiani, et nostros post tergum adorirentur, timebant: ita illi interiore spatio perpetuas munitiones efficiebant; ne quo loco nostri intrare, atque ipsos à tergo circumvenire, possent. Sed illi operibus vincebant; quod et numero militum praestabant, et interiore spatio minorem circuitum habebant. Quae quum erant loca Caesari capienda, etsi prohibere Pompeius totis copiis et dimicare non constituerat; tamen suis locis sagittarios funditoresque mittebat, quorum magnum habebat numerum; multique ex nostris

NOTAE

1 *Manu sata.*] Videntur esse quae legionibus, non aratro coluntur. Sic Virgilius Georgicon III. *Sed frumenta manu carpes sata*——

vulnerabantur: magnusque incesserat timor sagittarum; atque omnes ferè milites [1] aut ex coactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas aut tegumenta fecerant, quibus tela vitarent

XLV. In occupandis praesidiis magnâ vi uterque utebatur. Caesar, ut quam angustissimè Pompeium contineret; Pompeius, ut quamplurimos colles quam maximo circuitu occuparet Crebraque ob eam caussam proelia fiebant. In his quum legio Caesaris IX praesidium quoddam occupavisset, et munire coepisset; huic loco propinquum et contrarium collem Pompeius occupavit, nostrosque opere prohibere coepit: et quum unâ ex parte prope aequum aditum haberet, primùm sagittariis funditoribusque circumjectis, postea levis armaturae magnâ multitudine missa, tormentisque prolatis, munitiones impediebat. Neque erat facile nostris uno tempore propugnare et munire. Caesar, quum suos ex omnibus partibus vulnerari videret, recipere se statuit, et loco excedere. Erat per declive receptus: illi autem hôc acriùs instabant, neque regredi nostros patiebantur, quòd timore adducti locum relinquere videbantur. Dicitur eo tempore glorians apud suos Pompeius dixisse: Non recusare se, quin nullius usûs Imperator existimaretur, si sine maximo detrimento legiones Caesaris sese recepissent inde, quo temerè essent progressae.

XLVI. Caesar, receptui suorum timens, crates ad extremum tumulum contra hostem proferri, et adversas locari; intra has mediocri latitudine fossam, tectis militibus, obduci jussit, locumque in omnes partes quàm maximè impediri. Ipse idoneis locis funditores instruit, ut praesidio nostris se recipientibus essent. His rebus completis, legiones reduci jussit. Pompeiani hoc insolentiùs atque audaciùs nostros premere, et instare coeperunt; cratesque pro munitione objectas propulerunt, ut fossas transcenderent. Quod quum animadvertisset Caesar, veritus ne non reducti, sed rejecti viderentur, majusque detrimentum caperetur, à medio ferè spatio suos per Antonium, qui ei legioni praeerat, cohortatus, tubâ signum dari, atque in hostes impetum fieri jussit. Milites legionis IX subitò constipati pila conjecerunt; et ex inferiore loco adversùs clivum incitati cursu, praecipites Pompeianos egerunt, et terga vertere coëgerunt. Quibus ad recipiendum crates directae, longuriique objecti, et institutae fossae magno impedimento fuerunt. Nostri verò, qui satis habebant sine detrimento discedere, compluribus interfectis, V omnino suorum amissis, quietissimè se receperunt, paulloque citra eum locum, aliis comprehensis collibus, munitiones perfecerunt.

XLVII. Erat nova et inusitata belli ratio, quum tot castellorum numero, tantoque spatio, et tantis munitionibus, et toto obsidionis genere, tum etiam reliquis rebus. Nam, quicunque alterum obsi-

NOTAE.

1 *Aut ex coactis.*] Coacta Lana, è qua fiunt hodie pilei, *feutre.* Ulpianus *coactilia* vocat. Sic certe Plinius, *Lanae per se coactae vestem faciunt, et, si addatur acetum, etiam ferro resistunt, imo vero etiam ignibus novissimo sui purgamento.*

dere conati sunt, perculsos atque infirmos hostes adorti, aut proelio superatos, aut aliquâ offensione permotos continuerunt, quum ipsi numero militum equitumque praestarent. Caussa autem obsidionis haec ferè esse consuevit, ut frumento hostes prohibeantur. At contrà integras atque incolumes copias Caesar inferiore militum numero continebat; quum illi omnium rerum copiâ abundarent. Quotidiè enim magnus undique navium numerus conveniebat, quae commeatum supportarent: neque ullus flare ventus poterat, quin aliquâ ex parte secundum cursum haberet. Ipse autem, consumptis omnibus longè latèque frumentis, summis erat in angustiis. Sed tamen haec singulari patientiâ milites ferebant. [1] Recordabantur enim, eadem se superiore anno in Hispaniâ perpessos, labore et patientiâ maximum bellum confecisse. Meminerant, ad Alesiam magnam se inopiam perpessos, multò etiam majorem ad Avaricum, maximarum se gentium victores discessisse. Non illis hordeum quum daretur, non legumina recusabant: pecus verò, cujus rei summa erat ex Epiro copia, magno in honore habebant.

XLVIII. [2] Est etiam genus radicis inventum ab iis, qui fuerant [3] cum Valerio, quod appellatur Chara: quod admistum lacte multùm inopiam levabat. Id ad similitudinem panis efficiebant. Ejus erat magna copia: ex hoc effectus panes, quum in colloquiis Pompeiani famem nostris objectarent, vulgò in eos jaciebant, ut spem eorum minuerent.

XLIX. Jamque frumenta maturescere incipiebant; atque ipsa spes inopiam sustinebat; quòd celeriter se habituros copiam confidebant. Crebròque voces militum in vigiliis colloquiisque audiebantur, priùs se cortice ex arboribus victuros, quàm Pompeium è manibus dimissuros. Frequenter etiam ex perfugis cognoscebant, equos eorum vix tolerari, reliqua verò jumenta interîsse: uti autem ipsos valetudine non bonâ, quum angustiis loci, et odore tetro, et multitudine cadaverum, et quotidianis laboribus; insuetos operum, tum aquae summâ inopiâ [affectos:] omnia enim flumina, atque omnes rivos, qui ad mare pertinebant, Caesar aut averterat, aut magnis operibus obstruxerat. Atque, ut erant loca montuosa, et ad specus angustiae vallium, has sublicis in terram demissis praesepserat, terramque aggesserat, ut aquam continerent. Itaque illi necessariò loca sequi demissa ac palustria, et puteos fodere cogebantur: atque hunc laborem ad quotidiana opera addebant: qui tamen fontes à quibusdam praesidiis aberant longiùs, et celeriter aestibus exarescebant. At Caesaris exercitus optimâ

NOTAE.

1 *Recordabantur*, &c.] Cum castra Caesar inter Sicolim et Cingam posuisset.

2 *Est etiam genus radicis*, &c.] Plinius *Lapsanam* videtur appellare: nec velim tamen affirmare. Cum enim hic Caesar scribat milites legumina non recusasse, inter ea legumina poterit esse *lapsana* à Plinio commemorata, et *chara* fuisse aliud genus. Fortasse quod à Dioscoride describitur, lib. III. cap. 59. quod appellat *Caron*. Fortasse quod Gallicè *Carotes*, si sequi licet in his nominis similitudinem.

3 *Cum Valerio.*] Is est qui in Asiâ erat bello Mithridatico, quem ducem insidiose interficiendum curaverat Fimbria.

valetudine, summâque aquae copiâ utebatur; tum commeatûs omni genere praeter frumentum abundabat: quibus quòtidie melius succedere tempus, majoremque spem maturitate frumentorum proponi videbant.

L. In novo genere belli novae ab utrisque bellandi rationes reperiebantur. Illi, quum animadvertissent ex ignibus, noctu cohortes nostras ad munitiones excubare, silentio adversi universas intra multitudinem sagittas conjiciebant, et se confestim ad suos recipiebant. Quibus rebus nostri, usu docti, haec reperiebant remedia, ut alio loco ignes facerent, alio excubarent.

Desunt aliqua.

LI. [1] Interim certior factus P. Sylla, quem discedens castris praefecerat Caesar, auxilio cohorti venit cum legionibus II: cujus adventu facilè sunt repulsi Pompeiani. Neque verò conspectum aut impetum nostrorum tulerunt: primisque dejectis, reliqui se verterunt, et loco cesserunt. Sed insequentes nostros, ne longiùs prosequerentur, Sylla revocavit. At plerique existimant, si acriùs insequi voluisset, bellum eo die potuisse finiri. Cujus consilium reprehendendum non videtur. Aliae enim sunt legati partes atque Imperatoris. Alter [omnia] agere ad praescriptum; alter liberè ad summam rerum consulere debet. Sylla à Caesare castris relictus, liberatis suis, hôc fuit contentus, neque praelio decertare voluit; ([a] quae res tamen fortasse aliquem reciperet casum;) ne imperatorias sibi partes sumsisse videretur. Pompeianis magnam res ad receptum difficultatem afferebat: nam ex iniquo progressi loco in summo constiterant. Si per declive sese reciperent, nostros ex superiore insequentes loco verebantur. Neque multum ad solis occasum temporis supererat. Spe enim conficiendi negotii, propè in noctem rem deduxerant. Ita necessariò, atque ex tempore capto consilio, Pompeius tumulum quendam occupavit: qui tantum aberat à nostro castello, ut telum tormentumve missum adjici non posset. Hôc consedit loco, atque eum communit, omnesque ibi copias continuit.

LII. Eodem tempore duobus praeterea locis pugnatum est. Nam plura castella Pompeius pariter, distinendae manûs caussâ, tentave-

INTERPRETATIO.

a *Quod tamen forte aliquem habuisset* bonum *eventum.*

NOTAE.

1 *Interim certior factus, P. Sylla.*] Multa desunt, quae facile est supplere ex Dione, lib. XLI. qui scribit Caesarem spe occupandi per praesidiariorum proditionem Dyrrhachium progressum, cum in angustias venisset, magnum periculum adiisse, et complures milites amisisse. Quo etiam referendum est Caesaris stratagema quod à Polyaeno refertur, nempe cum Dyrrhachium volens capere parvum equitatum haberet, sub tribus cohortibus illum occulit, eique praecepit, aliud nihil quam ut summa vi quantum posset, pulverem excitaret maximum. Magna vero nubes pulveris excitata cum magni equitatus speciem praeberet hostibus, ea re perterritos profugisse. Ille vero Sylla qui castris à Caesare praefectus erat propinquus erat dictatoris, cujus meminit Cicero, lib. de offic. II. ubi dicit eum hastam, dictatore suo propinquo, vibrasse, et trigesimo sexto post anno à sceleratiore hasta non recessisse. Nec non. lib IX. epist. ad Fam. ubi scribit pop. R. ejus morte laetatum. Quo ergo tempore Dyrrhachium erat praefectus, Caesar, castellum aliquod à Pompeio fuit op-

rat; ne ex proximis praesidiis succurri posset. Uno loco Volcatius Tullus impetum legionis sustinuit cohortibus III, atque eam loco depulit. Altero Germani, munitiones nostras egressi, compluribus interfectis, sese ad suos incolumes receperunt.

LIII. Ita una die [1] VI proeliis factis, III ad Dyrrhachium, III ad munitiones, quum horum omnium ratio haberetur, [2] ad duorum millium numerum ex Pompeianis cecidisse reperiebamus, evocatos centurionesque complures. In eo fuit numero Valerius Flaccus L. filius ejus, qui praetor Asiam obtinuerat: signaque sunt VI militaria relata. Nostri non ampliùs XX omnibus sunt proeliis desiderati. Sed in castello nemo fuit omnino militum, quin vulneraretur; quatuorque ex unâ cohorte centuriones oculos amiserunt. Et quum laboris sui periculique testimonium afferre vellent, millia sagittarum circiter XXX in castellum conjecta Caesari renumeraverunt: scutoque ad eum relato [3] Scaevae centurionis, inventa sunt in eo foramina CCXXX. Quem Caesar, ut erat de se meritus, et de Rep. donatum [4] millibus ducentis [[5] aeris] [6] ab octavis ordinibus ad primipilum se transducere pronuntiavit. Ejus enim operâ castellum conservatum esse magnâ ex parte constabat: cohortemque [postea] [7] duplici stipendio, frumento, * vel [8] speciariis [9] militaribusque donis amplissimè donavit.

LIV. Pompeius noctu magnis additis munitionibus, reliquis diebus turres exstruxit: et in altitudinem pedum XV effectis operibus, vineis eam partem castrorum obtexit: et V intermissis diebus, alteram noc-

NOTAE.

pugnatum, quod à cohorte defendebatur, cui cohorti auxilio venit Sylla.

1 VI *proeliis factis*, &c.] Castra enim posita ad urbem, munitiones vero longius protendebantur.

2 *Ad duorum millium numero.*] Sic apud Nonium Sisenna: *Ad binum millium numero sauciis utrinque factis.*

3 *Scaevae centurionis.*] Suetonius et Plutarchus dicunt ei praeterea excussum oculum. Appianus vero lib. II. Minutium praefectum annumerat, cujus scutum CXX telis fuerat perforatum, cui etiam oculus excussus sex vulneribus.

4 *Millibus ducentis.*] Intelligitur nummûm vel sestertiûm.

5 *Aeris.*] In textum irrepsit.

6 *Ab octavis ordinibus ad primipilum.*] Per saltum, ut videtur facta, seu virtutis ergo promotio, quae alias non solebant fieri. Siquidem, ut prodidit Vegetius, lib. II. cap. 21. *Vetus consuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoveretur centurio primipili.*

7 *Duplici stipendio.*] Pedes, ait Polybius, accipiebat duos obolos quotidie, id est, XIV denarios turonicos. Duo oboli pars tertia drachmae. Drachma vero cum denario Romano eadem, vel paullo minor. Fortasse Caesaris aetate majus stipendium. Ait enim de Caesare Suetonius: *Stipendium in perpetuum duplicavit; frumentum, quoties copia esset, etiam sine modo mensuraque praebuit.*

8 *Speciariis.*] Mendum nonnulli suspicantur. Nullibi enim Latinorum autorum legitur illa vox. Aliqui interpretantur *frumentum, lardam, oleum, vinum,* quae passim apud autores, et potissimum Jureconsultos *species* dicuntur. Vegetius lib. III. cap. 3. Ut *pabula, frumentum, caeteraeque annonariae species quas à Provincialibus consuetudo deposcit, maturius exigantur.*

9 *Militaribusque donis.*] Militaria dona sunt duplicis generis. Alia mera honoris signa, ut palma, corona querna, graminea, et alia id genus, quae divitioribus civibus Romanis conveniebant, et nullius sunt pretii; alia vero pecuniaria, vel possessiones, quae à gregariis militibus magis expetebantur. Atque id sapientissime erat institutum. Praemiis enim et poenis omnia continentur.

tem subnubilam nactus, [a] exstructis omnibus castrorum portis, et ad impediendum objectis, tertiâ initâ vigiliâ, silentio exercitum eduxit, [1] et se in antiquas munitiones recepit.

LV. [2] Aetolia, [3] Acarnaniâ, [4] Amphilochis per Cassium Longinum et Calvisium Sabinum, ut demonstravimus, receptis; tentandam sibi Achaiam, ac paullò longiùs progrediendum, existimabat Caesar. Itaque eò Fusium Kalenum misit, et Q. Sabinum et Cassium cum cohortibus adjungit. Quorum cognito adventu, Rutilius Lupus, qui Achaiam missus à Pompeio obtinebat, [5] Isthmum praemunire instituit, ut Achaiâ Fusium prohiberet. Kalenus [6] Delphos, [7] Thebas, [8] Orchomenum, voluntate ipsarum civitatum, recepit: nonnullas per vim expugnavit: reliquas civitates, circummissis legationibus, amicitiae Caesaris conciliare studebat. In his rebus ferè erat Fusius occupatus.

LVI. Omnibus deinceps diebus Caesar exercitum in aciem aequum in locum produxit, si Pompeius proelio decertare vellet: ut penè castris Pompeii legiones subjiceret: tantumque à vallo ejus prima acies aberat, utì ne in eam telum tormentumve adjici posset. Pompeius autem, ut famam et opinionem hominum teneret, [9] sic pro castris exercitum constituebat, ut tertia acies vallum contingeret, omnisque ejus instructus exercitus telis ex vallo adjectis protegi posset.

LVII. Haec quum in Achaiâ atque apud Dyrrhachium gererentur,

INTERPRETATIO.

a *Obstructis.*

NOTAE.

1 *Et se in antiquas munitiones recipit.* Nempe ad editum illum locum, qui Petra appellabatur, et habebat auditum navibus mediocrem.

2 *Aetolia.*] De quâ supra.

3 *Acarnania.*] Acheloo flumine ab Aetoliâ dirempta, teste Plinio, ante Curetis appellata. Epiri parva regio, ad dextram ingredientibus Ambracium sinum, quam Ephorus initium dixit esse Graeciae ab occidente, de quâ sic Marcianus Heracleota:

Μετὰ τοὺς Ἀκαρνᾶνας μὲν ἐστ᾽ Αἰτωλία
Ἐξ Ἤλιδος λαβοῦσα τὴν ἀποικίαν.
Κουρῆτες αὐτὴν γὰρ κατῴκουν τὸ πρότερον,
Ἀφικόμενος δ᾽ Αἰτωλὸς ἐκ τῆς Ἤλιδος
Αἰτωλίαν ὠνόμασεν αὐτοὺς ἐκβαλών.

Post Acarnanes quidem est Aetolia
Ex Elide qua habuit coloniam,
Curetes enim illam incolebant prius
Profectus autem Aetolus ex Elide
Aetoliam appellavit illis ejectus.

4 *Amphilochis.*] Amphilochi Aetolicus populus, cujus urbs memoratur apud Plin. Amphilochium Argos, ab Amphilocho, teste Thucyd. conditum, qui offensus Argivis, inde in Aetoliam post reditum ex Trojâ migraverat. De quo sic etiam Marcianus idem:

——Εἶτ᾽ Ἀμφιλοχικὸν
Ἄργος λεγόμενον· τοῦτο δὲ κτίσαι δοκεῖ
Ἀμφίλοχος υἱὸς Ἀμφιαράου μάντεως.

——Post Amphilochium
Argos: hoc autem condidisse videtur
Amphilochus filius Amphiarai vatis.

5 *Isthmum praemunire instituit.*] Collum sive angustiae, quibus continenti jungitur Peloponnesus, quae munitae arcent ingressu Peloponnesi.

5 *Delphos.*] Delphi urbs Phocidis Apollinis oraculo clara, quod diu floruit, et tempore Ciceronis consenescebat, ut est in libro de divinatione. Locrorum urbs dicitur apud Plinium, lib. IV. cap. 3. Hodie *Castro.*

7 *Thebas.*] Thebae urbs Boeotiae metropolis, clara Herculis et Bacchi natalibus, ad Ismenum fluvium.

8 *Orchomenum.*] Orchomenus urbs Boetiae, ab Orchomeno condita Minyae filio, qui Minyas ditissimus primus Thesaurum aedificavit.

9 *Sic pro castris exercitum constituebat, ut tertia,* &c.] Argumentum est acies Romanas non fuisse profundas, sed latas tantum.

Scipionemque in Macedoniam venisse constaret; [1] non oblitu pristini instituti Caesar, mittit ad eum Clodium, suum atque illius familiarem, quem ab illo transditum initio, et commendatum in suorum necessariorum numero habere instituerat. Huic dat litteras, mandataque ad eum; quorum haec erat summa: Sese omnia de pace expertum, nihil adhuc arbitrari factum, vitio eorum, quos esse auctores ejus rei voluisset: quod sua mandata perferre non opportuno tempore ad Pompeium vererentur: Scipionem eà auctoritate esse, ut non solùm liberè, quae probâsset, exponere; sed magnâ etiam ex parte compellere, atque errantem regere posset: [2] praeesse autem suo nomine exercitui; ut, praeter auctoritatem, vires quoque ad coërcendum haberet: quod si fecisset, quietem Italiae, pacem provinciarum, salutem imperii, uni omnes acceptam relaturos.

LVIII. Haec ad eum mandata Clodius refert; ac primis diebus, ut videbatur, libenter auditus, reliquis ad colloquium non admittitur, castigato Scipione à [3] Favonio, ut postea confecto bello reperiebamus; infectâque re, sese ad Caesarem recepit. Caesar, quo faciliùs equitatum Pompeianum ad Dyrrhachium contineret, et pabulatione prohiberet; aditus duos, quos esse angustos demonstravimus, magnis operibus praemunivit, castellaque his locis posuit. Pompeius, ubi nihil profici equitatu cognovit, paucis intermissis diebus, rursum eum navibus ad se intra munitiones recipit. Erat summa inopia pabuli, adeò ut foliis ex arboribus strictis, et teneris arundinum radicibus contusis equos alerent. Frumenta enim, quae fuerant intra munitiones sata, consumpserant; et cogebantur [4] Corcyrâ atque Acarnaniâ, longo interjecto navigationis spatio, pabulum supportare; quoque erat ejus rei minor copia, hordeo adaugere, atque his rationibus equitatum tolerare. Sed postquam non modo hordeum pabulumque omnibus in locis, herbaeque desectae, sed etiam fructus ex arboribus deficiebat, corruptis equis macie, conandum sibi aliquid Pompeius de eruptione existimavit.

LIX. Erant apud Caesarem, ex equitum numero Allobroges duo fratres, Roscillus et Aegus, Adbucilli filii, qui principatum in civitate multis annis obtinuerat, singulari virtute homines, quorum operâ Caesar omnibus Gallicis bellis optimâ fortissimâque erat usus. His domi ob has caussas amplissimos magistratus mandaverat; atque eos extra ordinem in senatum legendos curaverat: agrosque in Galliâ ex hostibus captos, praemiaque rei pecuniariae magna tribuerat; locupletesque ex egentibus effecerat. Hi propter virtutem non solùm apud Caesarem in honore erant, sed etiam apud exercitum cari habebantur. Sed freti amicitiâ Caesaris, et stulta ac barbarâ arrogantiâ elati, despiciebant suos, stipendiumque equitum fraudabant, et praedam omnem domum avertebant. Quibus illi rebus permoti, universi Caesa-

NOTAE.

1 *Non oblitus pristini instituti Caesar.*] Nempe pacem suis hostibus offerendi.

2 *Praeesse autem suo nomine exercitui.*] Quia Imperator apud Amanum salutatus fuerat.

3 *Favonio.*] Qui Pompeianus belli erat cupidior, ideoque de pace verba fieri graviter ferebat.

4 *Corcyra atque Acarnania.*] De his supra

rem adiêrunt, palàmque de eorum injuriis sunt questi; et ad caetera addiderunt, [1] falsum ab his equitum numerum deferri, quorum stipendium averterent.

LX. Caesar neque tempus illud animadversionis esse existimans; et multa virtuti eorum concedens, rem distulit totam; illos secretò castigavit, quòd quaestui equites haberent: monuitque ut ex suâ amicitiâ omnio exspectarent, et ex praeteritis suis officiis [reliqua sperarent.] Magnam tamen haec res illis offensionem et contemptionem, ad omnes attulit. Idque ita esse, quum ex aliorum objectationibus, tum etiam ex domestico judicio atque animi conscientiâ intelligebant. Quo pudore adducti, et fortasse se non liberari, sed in aliud tempus reservari arbitrati, discedere à nobis, et novam tentare fortunam, novasque experiri amicitias constituerunt: et cum paucis collocuti clientibus suis, quibus tantum facinus committere audebant, primum conati sunt praefectum equitum C. Volusenum interficere, ut postea, bello confecto, cognitum est; ut cum munere aliquo perfugisse ad Pompeium viderentur. Postquam id difficiliùs visum est, neque facultas perficiendi dabatur, quàm maximas potuerunt pecunias mutuati, perinde ac satisfacere, et fraudata restituere vellent, multis coëmptis equis, ad Pompeium transiêrunt cum iis quos sui consilii participes habebant.

LXI. Quos Pompeius, quòd erant honesto loco nati, et [2] instructi liberaliter, magnoque comitatu et multis jumentis venerant, virique fortes habebantur, et in honore apud Caesarem fuerant, quodque novum et praeter consuetudinem acciderat, omnia sua praesidia circumduxit, atque ostentavit. Nam ante id tempus nemo, aut miles aut eques, â Caesare ad Pompeium transiêrat: quum penè quotidiè à Pompeio ad Caesarem perfugerent, vulgò verò in Epiro atque Aetoliâ conscripti milites, earumque regionum omnium, quae à Caesare tenebantur. Sed hi, cognitis omnibus rebus, seu quid in munitionibus perfectum non erat, seu quid a peritioribus rei militaris desiderari videbatur, temporibusque rerum, et spatiis locorum, et custodiarum variâ diligentiâ animadversâ, prout cujusque eorum, qui negotiis praeerant, aut natura aut studium ferebat, haec ad Pompeium omnia detulerunt.

LXII. Quibus ille cognitis, eruptionisque jam antè capto consilio, ut demonstratum est, tegumenta galeis milites ex viminibus facere, atque aggerem comportare jubet. His paratis rebus, magnum numerum levis armaturae et sagittariorum, aggeremque omnem noctu in scaphas, et naves actuarias imponit; et de mediâ nocte cohortes LX ex maximis castris praesidiisque deductas, ad eam partem munitionum ducit, quae pertinebant ad mare, longissimèque à maximis castris Caesaris aberant. Eòdem naves, quas demonstravimus

NOTAE.

1 *Falsum ab his equitum numerum deferri.*] Quoniam ferro et casibus multi pereunt, quotidie ad Imperatorem militum numerus deferebatur, ut sciret quid esset sibi de suis viribus sperandum. Ejusmodi falsi equites dicuntur, *passevolans.*

2 *Instructi liberaliter.*] Lauta suppellectile et viatico.

aggere et levis armaturae militibus completas, quasque ad Dyrrhachium naves longas habebat, mittit; et quid à quoque fieri velit, praecipit. Ad eas munitiones Caesar [1] Lentulum Marcellinum quaestorem, cum legione IX, positum habebat. Huic, quòd valetudine minùs commodâ utebatur, Fulvium Posthumum adjutorem summiserat.

LXIII. Erat eo loco fossa pedum XV, et vallus contra hostem in altitudinem pedum X: tantundemque ejus valli agger in latitudinem patebat. Ab eo, intermisso spatio pedum DC, alter conversus in contrariam partem erat vallus, humiliore paulò munitione. Hoc enim superioribus diebus timens Caesar, ne navibus nostri circumvenirentur, duplicem eo loco fecerat vallum; ut, si ancipiti proelio dimicaretur, posset resisti. Sed operum magnitudo, et continens omnium dierum labor, quòd millia passuum in circuitu XVIII munitiones erat complexus, perficiendi spatium non dabat. Itaque contra mare transversum vallum, qui has duas munitiones contingeret, nondum perfecerat. Quae res nota erat Pompeio, delata per Allobroges perfugas; magnumque nostris attulit incommodum. Nam, ut ad mare nostrae cohortes IX legionis excubuerant, accessere subitò primâ luce Pompeiani [exercitus] novusque eorum adventus exstitit; simulque navibus circumvecti milites in anteriorem vallum tela jaciebant: fossaeque aggere complebantur: et legionarii, interioris munitionis defensores, scalis admotis, tormentisque cujusque generis, telisque terrebant; magnaque multitudo sagittariorum ab utrâque parte circumfundebatur. Multum autem ab ictu lapidum, quod unum nostris erat telum, viminea tegumenta galeis imposita [2] defendebant. Itaque, quum omnibus rebus nostri premerentur, atque aegrè resisterent; animadversum est [3] vitium munitionis, quod supra demonstratum est: atque inter duos vallos, quà perfectum opus non erat, per mare navibus expositi in aversos nostros impetum fecerunt: atque ex utrâque munitione dejectos terga vertere coëgerunt.

LXIV. Hoc tumultu nuntiato, Marcellinus cohortes subsidio nostris laborantibus summisit; quae ex castris fugientes conspicatae, neque illos suo adventu confirmare potuerunt, neque ipsae hostium impetum tulerunt. Itaque quodcunque addebatur subsidio, id, corruptum timore fugientium, terrorem et periculum augebat. Hominum enim multitudine receptus impediebatur. In eo proelio, quum gravi vulnere esset affectus aquilifer, et viribus deficeretur, conspicatus equites nostros; Hanc, ego, inquit, et vivus multos per annos magnâ dili-

NOTAE.

1 *Lentulum Marcellinum.*] Hic nomen patris sui obtinuit, qui P. Marcelli filius de gente Claudia in Lentulorum familiam à Lentulo adoptatus, Lentulus ideo dictus est, et Marcellinus, quia filius Marcelli; ut P. Scipio Aemilianus, qui cum esset filius Pauli Aemilii, in familiam Scipionum adoptione transierat; et Augustus dictus est Caesar Octavianus, quia cum esset filius Octavii, à Caesare fuerat adoptatus. Hunc porro verisimile est Caesari fuisse addictissimum, qui patrem habebat Pompeio perquam infensum, ut legimus apud Valer. Maximum, lib. VI. cap. 2.

2 *Defendebat.*] Pompeianos.

3 *Vitium munitionis.*] Nempe quod vallus transversus contra mare, qui alios duos conjungeret, non esset perfectus.

gentiâ defendi, et nunc moriens eâdem fide Caesari restituo. Nolite, obsecro, committere, quod antè in exercitu Caesaris non accidit, ut rei militaris dedecus admittatur; incolumemque ad eum referte. [1] Hôc casu Aquila conservatur, [2] omnibus primae cohortis centurionibus interfectis, praeter principem priorem.

LXV. Jamque Pompeiani, magnâ caede nostrorum, castris Marcellini appropinquabant, non mediocri terrore illato reliquis cohortibus: et M. Antonius, qui proximum locum tenebat praesidiorum, eâ re nuntiatâ, cum cohortibus XII descendens ex loco superiore cernebatur. Cujus adventus Pompeianos compressit, nostrosque firmavit, ut se ex maximo timore colligerent. Neque multò post Caesar, significatione per castella fumo factâ, ut erat superioris temporis consuetudo, deductis quibusdam cohortibus ex praesidiis, eòdem venit. Qui, cognito detrimento, quum animadvertisset Pompeium extra munitiones egressum, castra secundùm mare, ut liberè pabulari posset, nec minùs aditum navibus habere, commutatâ ratione belli, quoniam propositum non tenuerat, juxta Pompeium munire jussit.

LXVI. Quâ perfectâ munitione, animadversum est à speculatoribus Caesaris, cohortes quasdam, quod instar legionis videretur, esse post silvam, et in vetera castra duci. Castrorum hic situs erat. Superioribus diebus, quum se IX legio Caesaris objecisset Pompeianis copiis, atque opere, * ut demonstravimus, circummuniret, castra eo loco posuit. Haec silvam quandam contingebant, neque longiùs à mari passibus CD aberant: post, mutato consilio quibusdam de caussis, Caesar paullò ultra eum locum castra transtulit: paucisque intermissis diebus, haec eadem Pompeius occupaverat; et, quod eo loco plures erat legiones habiturus, relicto interiore vallo, majorem adjecerat munitionem. Ita minora castra, inclusa majoribus, castelli atque arcis locum obtinebant. Item ab angulo castrorum sinistro munitionem ad flumen perduxerat, circiter passus CD, quò liberiùs, ac sine periculo, milites aquarentur. Sed is quoque, mutato consilio quibusdam de caussis, quas commemorari necesse non est, eo loco excesserat. Ita complures dies manserant castra. Munitiones quidem integrae omnes erant.

LXVII. Eò signo legionis illato, speculatores Caesari renuntiârunt. Hoc idem visum ex superioribus quibusdam castellis confirmaverant. Is locus aberat à novis Pompeii castris circiter passus D. Hanc legionem sperans Caesar se opprimere posse, et cupiens ejus diei detrimen-

NOTAE.

1 *Hoc cásu Aquila conservatur.*] Aquila signum legionis fuit, quae unica in singulâ quâque erat legione.

2 *Omnibus primae cohortis centurionibus interfectis*, &c.] Aetate et robore adulti vocabantur in cohorte principes, quorum primus centurio dicebatur prior princeps, centuriamque et senis ducebat, teste Vegetio, lib. II. cap. 8. Princeps autem prior dicebatur ille centurio principum qui ex duobus creatus erat prior. Nam, ut ait Polybius, duae fiebant electiones centurionum à tribunus militum. Prima electio erat honoratior, usque eo, ut consiliis quae de bello fiebant interessent: hique rursus alios centuriones secundos crearent.

tum sarcire, reliquit in opere cohortes II, quae speciem munitionis praeberent; ipse diverso itinere, quàm potuit occultissimè reliquas cohortes numero XXXIII, in quibus erat legio IX, multis amissis centurionibus, diminutoque militum numero, ad legionem Pompeii castraque minora duplici acie duxit. Neque eum prima opinio fefellit. Nam et pervenit priùs, quàm Pompeius sentire posset; et, tametsi erant munitiones castrorum magnae, tamen sinistro cornu, ubi erat ipse, celeriter aggressus, Pompeianos ex vallo deturbavit. [1] Erat objectus portis eritius. Hìc paullisper est pugnatum, quum irrumpere nostri conarentur, illi castra defenderent: fortissimè [2] T. Pulcione, cujus operâ proditum exercitum C. Antonii demonstravimus, è loco propugnante. Sed tamen nostri virtute vicerunt: excisoque eritio, primò in majora castra, post etiam in castellum, quod erat inclusum majoribus castris, irruperunt, et quòd eò pulsa legio sese receperat, nonnullos ibi repugnantes interfecerunt.

LXVIII. Sed fortuna, quae plurimum potest, quum in reliquis rebus, tum praecipuè in bello, parvis momentis magnas rerum commutationes efficit; ut tum accidit. Munitionem, quam pertingere à castris ad flumen supra demonstravimus, dextri Caesaris cornu cohortes ignorantiâ loci sunt secutae, quum portam quaererent, castrorumque eam munitionem esse arbitrarentur. Quod quum esset animadversum conjunctam esse flumini; protinus his munitionibus, defendente nullo, transcenderunt: omnisque noster equitatus eas cohortes est secutus.

LXIX. Interim Pompeius, hâc longâ satis interjectâ morâ, et re nunciatâ v legionem ab opere deductam subsidio suis duxit: eodemque tempore equitatus ejus nostris equitibus appropinquabat, et acies instructa à nostris, qui castra occupaverant, cernebatur: omniaque sunt subito mutata. Pompeiana enim legio celeris spe subsidii confirmata, ab Decumanâ portâ resistere conabatur, atque ultro in nostros impetum faciebat. Equitatus Caesaris, quod angusto itinere per aggeres adscendebat, receptui suo timens, initium fugae faciebat. Dextrum cornu, quod erat à sinistro seclusum, terrore equitum animadverso, ne intra munitionem opprimeretur, ex parte, quâ proruebat, sese recipiebat: ac plerique ex iis, ne in angustias inciderent, X pedum munitionis sese in fossas praecipitabant; primisque oppressis, reliqui per horum corpora salutem sibi atque exitum pariebant. Sinistro cornu milites, quum ex vallo Pompeium adesse, et suos fugere cernerent, veriti ne angustiis includerentur, quum

NOTAE.

1 *Erat objectus portis eritius.*] Eritius truncus erat ramosae arboris, cujus è ramis aculei bipedales, ubi naturales deerant, inserebantur, ut instar echini omni ex parte horreret, eratque vice repaguli ante portas et januae vice aperiebatur. Sallustius apud Nonium: *Saxaque ingentia, et axe junctae trabes per pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum eritii militaris veruta binum pedum.*

2 *T. Pulcione.*] Cum multa, tum hic locus demonstrat esse mutilos hos commentarios. Nusquam enim horum librorum legitur C. Antonii exercitum à T. Pulcione proditum. In dubium est utrum ille sit qui Pulsio dicitur lib. v. de bello Gallico.

extra et intus hostem haberent, eodem, quo venerant, receptui consulebant: omniaque erant tumultûs, timoris, fugae plena; adeò [1] ut, quum Caesar signa fugientium manu prehenderet, et consistere juberet, [2] alii, dimissis equis, eundem cursum conficerent; [3] alii ex metu etiam signa dimitterent, [4] neque quisquam omnino consisteret.

LXX. His tantis malis haec subsidia succurrebant, quo minùs omnis deleretur exercitus, quòd [5] Pompeius (insidias timens, credo, quòd haec praeter spem acciderant ejus, qui paullò ante ex castris fugientes suos conspexerat) munitionibus appropinquare aliquandiu non audebat: equitesque ejus, angustiis portisque à Caesaris militibus occupatis, ad insequendum tardabantur. Ita parvae res magnum in utramque partem momentum habuerunt. Munitiones enim à castris ad flumen perductae, expugnatis jam castris Pompeii, propriam et expeditam Caesaris victoriam interpellaverunt. Eadem res, celeritate insequentium tardatâ, nostris salutem attulit.

LXXI. Duobus his unius diei proeliis [6] Caesar desideravit milites DCCCCLX, et notos equites Rom. [7] * Felginatem, Tuticanum Gallum, senatoris filium; C. Felginatem, Placentiâ; A. Gravium, [8] Puteolis; M. Sacrativirum, Capuâ; tribunos milit. et centuriones XXX. Sed horum omnium pars magna, in fossis munitionibusque et fluminis ripis oppressa, suorum terrore ac fugâ, sine ullo vulnere interiît: [9] signaque sunt militaria XXXII amissa. Pompeius eo proelio Imperator est appellatus. Hoc nomen obtinuit, atque ita se postea salutari passus est. [10] Sed neque in litteris, quas scribere est solitus, neque in fascibus, insignia laureae praetulit. At Labienus, quum ab eo impetravisset, ut sibi captivos transdi juberet, omnes productos ostentationis, ut videbatur, caussâ, quò major perfugae fides haberetur,

NOTAE.

1 *Ut quum Caesar signa*, &c.] Plutarchus negat id sine magno periculo Caesaris fuisse, qui praevalidum militem in fugam effusum ad hostem retorquere cum niteretur, ab ipso pene est interfectus, et fuisset, nisi Caesaris armiger praeoccupato ictu hominis humerum abscidisset.

2 *Alii dimissis equis.*] Ut fossas transilirent, quas aliter nequibant.

3 *Alii ex metu etiam signa dimitterent.*] Quorum XXXII amissa, signiferis vulgo abjicientibus, teste eodem Plutarcho.

4 *Neque quisquam omnino consisteret.*] Appianus tradit, cum fugientes in sua castra pervenissent, non ad suas stationes et valli defensionem accurrisse.

5 *Pompeius insidias timens.*] Hoc est proelium, quo Caesar Pompeium scire vincere negavit. Testes sunt Suetonius, Plutarchus, et Appianus.

6 *Caesar desideravit milites* DCCCCLX.] Eutropius IV millia, centuriones XXII, equites Romanos complures dicit.

7 *Felginatem.*] Reponendum videtur *Fulginatem.* Sic enim appellat Plinius, lib. III. cap. 14. *à Fulginio* oppido in Umbria. Hodie *Foligni.*

8 *Puteolis.*] Id est *Puteolanum.* Sic supra legimus: *Cn. Magium Cremona*, id est, *Cremonensem.* Puteoli porro urbs in Campania, antea Dicaearchia appellata, ut scribunt Strabo, Pausanias, et Stephanus. Hodie *Pouzzoles*, in regno Neapolitano.

9 *Signaque sunt militaria* XXXII *amissa.*] Idipsum habet Plutarchus.

10 *Sed neque in litteris*, &c.] Hunc morem fuisse sexcenti loci declarant. Sed hoc more abstinuit, quod ob cives victos indignum putaret iis insignibus gloriari.

commilitones appellans, et magnâ verborum contumeliâ interrogans, solerentne veterani milites fugere, in omnium conspectu interficit.

LXXII. His rebus tantum fiduciae ac spiritûs Pompeianis accessit, ut non de ratione belli cogitarent, sed vicisse jam sibi viderentur. Non illi paucitatem nostrorum militum, non iniquitatem loci, atque angustias praeoccupatis castris, et ancipitem terrorem intra extraque munitiones, non abscissum in duas partes exercitum, quum alter alteri auxilium ferre non posset, causae fuisse cogitabant. Non ad haec addebant, non ex concursu acri facto, non proelio dimicatum; sibique ipsos multitudine atque angustiis majus attulisse detrimentum, quam ab hoste accepissent. Non denique communes belli casus recordabantur, quàm parvulae saepe causae, vel falsae suspicionis vel terroris repentini, vel objectae religionis, magna detrimenta intulissent: quoties vel culpâ ducis vel tribuni vitio, in exercitu esset offensum: sed proinde, ac si virtute vicissent, neque ulla commutatio rerum posset accidere, per orbem terrarum famâ ac litteris victoriam ejus diei concelebrabant.

LXXIII. [1] Caesar à superioribus consiliis depulsus, omnem sibi commutandam belli rationem existimavit. Itaque uno tempore, praesidiis omnibus deductis, et oppugnatione dimissâ, coactoque in unum locum exercitu, concionem apud milites habuit; hortatusque est, ne ea, quae accidissent, graviter ferrent; neve his rebus terrernentur; multisque secundis proeliis unum adversum, et id mediocre, opponerent: habendam fortunae gratiam, quòd Italiam sine aliquo vulnere cepissent: [2] quod duas Hispanias, bellicosissimorum hominum peritissimis atque exercitatissimis ducibus, pacavissent: quod finitimas frumentariasque provincias in potestatem redegissent: denique recordari debere, quâ facilitate inter medias hostium classes, oppletis non solùm portubus, sed etiam littoribus, omnes incolumes essent transportati: si non omnia caderent secunda fortunam esse industriâ sublevandam: quod esset acceptum detrimenti, ejus juri potiùs, quàm suae culpae debere tribui: locum se tum ad dimicandum dedisse: potitum esse hostium castris, expulsisse ac superasse pugnantes: sed sive ipsorum perturbatio, sive error aliquis, sive etiam fortuna partam jam praesentemque victoriam interpellâssent, dandam omnibus operam, ut acceptum incommodum, virtute sarciretur. Quod si esset factum, detrimentum [3] in bonum verteret, utì ad Gergoviam acci-

NOTAE.

1 *Caesar à superioribus consiliis depulsus.*] Videlicet prohibendi pabulatione hostilem exercitum. Plutarchus insequentem noctem narrat gravissimam fuisse Caesari, animum in omnes partes rapienti, et sese tacite accusanti. Sed ut bona fortuna excaecat, ita mala excitat. Hoc enim detrimento accepto, intellexit, quam peccaret largiter, qui exercitum majorem, omnium rerum copia, propter maris viciniam, abundantem, minore exercitu et inopia conflictato circumvallare instituisset.

2 *Quod duas Hispanias*, &c.] Quod propugnantibus Afranio et Petreio citeriorem et ulteriorem provinciam Hispaniae, et belli cupidissimos homines ducentibus, illas tamen provincias arma deponere coëgissent.

3 *In bonum verteret.*] Absolute pro *verteretur.* Sic apud Terrent. in Phorm. *Quae quidem illi res vertat male.*

disset; atque ii, qui antè dimicare timuissent, ultro se proelio offerrent.

LXXIV. Hâc habitâ concione, [1] nonnullos signiferos ignominiâ notavit, ac loco movit. Exercitui quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiae sarciendae, ut nemo aut tribuni, aut centurionis imperium desideraret; et [2] sibi quisque etiam poenae loco graviores imponeret labores, simulque omnes arderent cupiditate pugnandi: quum superioris etiam ordinis nonnulli, oratione permoti, manendum eo loco, et rem proelio committendam existimarent. Contra ea Caesar neque satis militibus perterritis confidebat, spatiumque interponendum ad recreandos animos putabat; relictisque munitionibus, magnopere rei frumentariae timebat.

LXXV. Itaque, nullâ interpositâ morâ, sauciorum modo, et aegrorum habitâ ratione, impedimenta omnia silentio primâ nocte ex castris Apolloniam praemisit, ac conquiescere ante iter confectum vetuit. His una legio missa praesidio est. [3] His explicitis rebus, duas in castris legiones retinuit, reliquas de IV vigiliâ compluribus portis eductas, eodem itinere praemisit; parvoque spatio intermisso, ut et militare institutum servaretur, et quàm serissimè ejus profectio cognosceretur, conclamari jussit; [4] statimque egressus, et novissimum agmen consecutus, celeriter è conspectu castrorum discessit. Neque verò Pompeius, cognito consilio ejus, moram ullam ad insequendum intulit: sed eadem spectans, si itinere impeditos et perterritos deprehendere posset, exercitum è castris eduxit, equitatumque praemisit ad novissimum agmen demorandum: neque consequi potuit, quòd multum expedito itinere antecesserat Caesar. Sed quum ventum esset ad flumen [5] Genusum, quod ripis erat impeditis, consecutus equitatus novissimos proelio detinebat. Huic suos Caesar equites opposuit; expeditosque antesignanos admiscuit DC, qui tantum profecêre, ut equestri proelio commisso, pellerent omnes, compluresque interficerent, ipsi incolumes se ad agmen reciperent.

LXXVI. Confecto justo itinere ejus diei, quod proposuerat Caesar, transductoque exercitu flumen Genusum, veteribus suis in castris contra Asparagium consedit, militesque omnes intra vallum continuit; equitatumque per caussam pabulandi emissum, confestim Decumanâ portâ in castra se recipere jussit. Simili ratione Pompeius, confecto

NOTAE.

1 *Nonnullos signiferos,* &c.] Eos nempe ignominiae nota puniendos esse censuit, qui signa ex metu dimiserant. Qua certe nota ignominiae omne jus munerum civiliumque honorum adimebatur.

2 *Sibi quisque etiam poenae loco,* &c.] Appianus addit ipsos petiisse more patrio decimam ipsorum partem à Caesare morte mulctari: *Θεῦ αὐτοὺς ἐπὶ μετάνοιαν ἄγοντος. Deo illos ad poenitentiam agente.* Quod cum recusaret, saltem ut signiferos supplicio afficeret. Sed contentus est eos loco movisse.

3 *His explicitis rebus,* &c.] Veget. lib. 3. cap. 22. *Illud vitandum ne hostes te recedere sentiant et statim irruant. Propterea aliquanti exploratis itineribus noctu cum exercitu recedebant, ut hostes, die orto cum intellexissent, non possent comprehendere praecedentes.*

4 *Statimque egressus.*] Primum contulerunt castra ad Apsum, deinde Asparagi, tertio ad Petram, quarto iterum Asparagi, quinto ad Pharsalum.

5 *Genusum.*] Flumen inter Apolloniam et Asparagium.

ejusdem diei itinere, in suis veteribus castris ad Asparagium consedit; ejusque milites, quòd ab opere, integris munitionibus vacabant, alii lignandi pabulandique caussâ longiùs progrediebantur; alii, quod subito consilium profectionis ceperant, magnâ parte impedimentorum et sarcinarum relictâ, ad haec repetenda invitati propinquitate superiorum castrorum, depositis in contubernio armis, vallum relinquebant. Quibus ad sequendum impeditis, Caesar, quod fore providerat, meridiano ferè tempore, signo profectionis dato, exercitum educit, duplicatoque ejus diei itinere, VIII millibus passuum ex eo loco procedit: [1] quod facere Pompeius, discessu militum, non potuit.

LXXVII. Postero die Caesar, similiter praemissis primâ nocte impedimentis, de IV vigiliâ ipse egreditur; ut, si qua imposita esset dimicandi necessitas, subitum casum expedito exercitu subiret. Hoc idem reliquis fecit diebus. Quibus rebus perfectum est, ut altissimis fluminibus atque impeditissimis itineribus nullum acciperet incommodum. Pompeius enim, primi diei morâ illatâ, et reliquorum dierum frustra labore suscepto, quum se magnis itineribus extenderet, et progressos consequi cuperet, IV die finem sequendi fecit, atque aliud sibi consilium capiendum existimavit.

LXXVIII. Caesari ad saucios deponendos, stipendium exercitui dandum, socios confirmandos, praesidium urbibus relinquendum, necesse erat adire Apolloniam. Sed his rebus tantum temporis tribuit, quantum erat properanti necesse: timensque Domitio, ne adventu Pompeii praeoccuparetur, ad eum omni celeritate et studio incitatus ferebatur. Totius autem rei consilium his rationibus explicabat, ut, si Pompeius eodem contenderet, abductum illum à mari, atque ab iis copiis, quas Dyrrhachii comparaverat, frumento ac commeatu abstractum, pari conditione belli secum decertare cogeret: si in Italiam transiret, conjuncto exercitu cum Domitio, per Illyricum Italiae subsidio proficisceretur: sin Apolloniam Oricumque oppugnare, et se omni maritimâ orâ excludere, conaretur; obsesso tamen Scipione, necessario illum suis auxilium ferre cogeret. Itaque praemissis nuntiis ad Cn. Domitium Caesar scripsit; et quid fieri vellet, ostendit: praesidioque Apolloniae cohortibus IV, Lissi I, III Orici relictis, quique erant ex vulneribus aegri, depositis; per Epirum atque Acarnaniam iter facere coepit. Pompeius quoque de Caesaris consilio conjecturâ judicans, ad Scipionem properandum sibi existimabat; si Caesar iter illo haberet, ut subsidium Scipioni ferret: si ab orâ maritimâ Corcyrâque discedere nollet, quod legiones equitatumque ex Italiâ exspectaret, ipse ut omnibus copiis Domitium aggrederetur.

LXXIX. Iis de caussis uterque eorum celeritate studebat, ut suis esset auxilio, et, ad opprimendos adversarios, ne occasioni temporis deesset. Sed Caesarem Apollonia directo itinere averterat. Pompeius per [2] Candaviam iter in Macedoniam expeditum habebat.

NOTAE.

1 *Quod facere Pompeius discessu militum.*] Qui partim lignatum pabulatumque abierant, partim ad relicta castra redierant sarcinas et impedimenta sua repetitum.

2 *Candaviam.*] De Candavia jam supra diximus.

Accessit etiam improvisò aliud incommodum; quòd Domitius, qui dies complures castris Scipionis castra collata habuisset, rei frumentariae caussâ ab eo discesserat, et [1] Heracleam Senticam, quae est subjecta Candaviae, iter fecerat; ut ipsa fortuna illum objicere Pompeio videretur. Haec ad id tempus Caesar ignorabat. Simul a Pompeio litteris per omnes provincias civitatesque dimissis, de proelio ad Dyrrhachium facto, elatiùs inflatiùsque multò, quàm res erat gesta, fama percrebuerat, pulsum fugere Caesarem, penè omnibus copiis amissis. Haec itinera infesta reddiderant; haec civitates nonnullas ab ejus amicitiâ averterant. Quibus accidit rebus, ut, pluribus dimissi itineribus à Caesare ad Domitium, et ab Domitio ad Caesarem, nullâ ratione iter conficere possent. Sed Allobroges, Roscilli atque Aegi familiares, (quos perfugisse ad Pompeium demonstravimus) conspicati in itinere exploratores Domitii, seu pristinâ suâ consuetudine, quòd unà in Gallia bella gesserant: seu gloriâ elati, cuncta, ut erant acta, exposuerunt, et Caesaris profectionem, et adventum Pompeii docuerunt. A quibus Domitius certior factus, vix IV horarum spatio antecedens, hostium beneficio periculum vitavit: et ad [2] Aeginium, quod est objectum oppositumque Thessaliae, Caesari venienti occurrit.

LXXX. Conjuncto exercitu, Caesar [3] Gomphos pervenit; quod est oppidum primum Thessaliae venientibus ab Epiro; quae gens paucis antè mensibus ultro ad Caesarem legatos miserat, ut suis omnibus facultatibus uteretur, praesidiumque ab eo militum petiêrat. Sed eò fama jam praecucurrerat, quam supra docuimus, de proelio Dyrrhachino, quod multis auxerat partibus. Itaque Androsthenes praetor Thessaliae, quum se victoriae Pompeii comitem esse mallet, quàm socium Caesaris in rebus adversis, omnem ex agris multitudinem servorum ac liberorum in oppidum cogit, portasque praecludit, et ad Scipionem Pompeiumque nuntios mittit, ut sibi subsidio veniant: se confidere munitionibus oppidi, si celeriter succurratur: longinquam oppugnationem sustinere non posse. Scipio, discessu exercituum à Dyrrhachio cognito, [4] Larissam legiones adduxerat. Pompeius nondum Thessaliae appropinquabat. Caesar, castris munitis, scalas musculosque ad repentinam oppugnationem fieri, et crates parari jussit. Quibus rebus effectis, cohortatus milites, docuit quantum usum haberet ad sublevandam omnium rerùm inopiam, [5] potiri oppido pleno atque opulento: simul reliquis civitatibus, urbis hujus exemplo, in-

NOTAE.

1 *Heracleam Senticam.*] Haec Heraclea ad Strymonem fluvium posita est. *Sinticam* appellant Livius et Plinius.

2 *Aeginium.*] De Aeginio facta mentio à Livio, qui eam vel modico praesidio tutam ac prope inexpugnabilem esse testatur. In regione Pieria constituit Plinius et Macedoniae ascribit, Strabo Tymphaeis.

3 *Gomphos.*] Juxta Gomphos scripsit Plinius oriri Peneum amnem clarissimum.

4 *Larissam.*] Larissa est Thessaliae metropolis, Achillis patria. Aliae sunt multae diversis in regionibus cognomines.

Potiri oppido pleno atque opulento.] Plutarchus narrat ibi primum milites Caesaris à prioribus laboribus acquievisse, et vino se

ferre terrorem; et id fieri celeriter, priusquam auxilia concurrerent. Itaque usus singulari militum studio, eodem quo venerat die, post horam IX, oppidum altissimis moenibus oppugnare aggressus, ante solis occasum expugnavit, et ad diripiendum militibus concessit; statimque ab oppido castra movit, et [1] Metropolim venit, sic, ut nuntios expugnati oppidi famamque antecederet.

LXXXI. Metropolitae, eodem primùm usi consilio, iisdem permoti rumoribus, portas clauserunt, murosque armatis compleverunt. Sed postea, casu civitatis Gomphensis ex captivis cognito, quos Caesar ad murum producendos curaverat, portas aperuerunt. Quibus diligentissimè conservatis, collatâ fortunâ Metropolitum cum casu Gomphensium, nulla Thessaliae fuit civitas, praeter Larissaeos, qui magnis exercitibus Scipionis tenebantur, quin Caesari pareret, atque imperata faceret. Ille segetis idoneum locum in agris nactus, quae propè jam matura erat, ibi adventum exspectare Pompeii, eòque omnem rationem belli conferre constituit.

LXXXII. Pompeius paucis post diebus in Thessaliam pervenit, concionatusque apud cunctum exercitum, suis agit gratias: Scipionis milites cohortatur, ut partâ jam victoriâ, praedae ac praemiorum velint esse participes: receptisque omnibus in una castra legionibus, suum cum Scipione honorem partitur; [3] classicumque apud eum cani, et alterum illi jubet praetorium tendi. Auctis copiis Pompeii, duobusque magnis exercitibus conjunctis, pristina omnium confirmatur opinio, et spes victoriae augetur adeò, [4] ut quidquid intercederet temporis, id morari reditum in Italiam videretur; et, si quando quid Pompeius tardiùs aut consideratiùs faceret, unius esse negotium diei, sed illum delectari imperio, et consulares praetoriosque servorum habere numero, dicerent. Jamque inter se palam de praemiis ac sacer-

NOTAE.

quod multum invenerant, proluisse. Appianus verò Germanos praecipue ebrios magnam risûs caussam praebuisse. Qùod si intellexisset Pompeius et adortus esset, magnam calamitatem Caesari afferri potuisse. Pertinaciam vero Gomphensium vel desperationem prodit, dum dicit, oppido capto, inventos esse apud medicum XXII de urbis primoribus, exanimatos, nullo tamen conspicuo vulnere; tantum calices astitisse singulis, illum vero qui ipsis propinaverat, similiter commortuum medicum.

1 *Metropolim.*] Multae sunt urbes multis in locis cognomines. Sed haec est in Thessaliâ.

2 *Pompeius paucis post diebus in Thessaliam pervenit.*] Post Caesaris discessum, habito apud Pompeium consilio, censebat Afranius classem, qua valebat, esse mittendam in Caesarem vagum et inopem, copias vero terrestres ab ipso Pompeio deducendas in Italiam, partibus faventem, et hostibus vacuam, qua cum Gallia et Hispania occupata, aggrediendum esse Caesarem. Sed alteri sententiae paruit Pompeius dicentium fore, ut exercitus Caesaris ad se transiret coactus fame, maxime vero gentes orientis veritus, et Scipionem cui timebat, ne quam in Macedoniâ solus cladem acciperet.

3 *Classicumque apud eum cani.*] Classicum quid sit habet Vegetius, lib. II. cap. 22, quod non nisi praesente Imperatore canebatur. Unde et imperii esse insigne videbatur.

4 *Ut quidquid intercederet temporis*, &c.] Favonius, referente Plutarcho, jactabat privatum iri se esu Tusculanarum ficuum. Alii aliis verbis acuebant, Agamemnonem apellantes et imperio delectari dictitantes, solo Catone cunctandum censente. Itaque pugnare decrevit.

dotiis contendebant: in annosque consulatum definiebant. [1] Alii domos bonaque eorum, qui in castris erant Caesaris, petebant; magnaque inter eos in consilio fuit controversia, [2] oporteretne, L. Hirri, quòd is à Pompeio ad Parthos missus esset, proximis comitiis praetoriis, [3] absentis rationem haberi: quum ejus necessarii fidem implorarent Pompeii, ut praestaret, quod proficiscenti recepisset, ne per ejus auctoritatem deceptus videretur; reliqui, in labore pari ac periculo, ne unus omnes antecederet, recusarent.

LXXXIII. [4] Jam de sacerdotio Caesaris, Domitius, Scipio, Spintherque Lentulus quotidianis contentionibus ad gravissimas verborum contumelias palam descenderunt: quum Lentulus aetatis honorem ostentaret; Domitius urbanam gratiam, dignitatemque jactaret; [5] Scipio affinitate Pompeii confideret. Postulavit etiam L. Afranium proditionis exercitus Attius Rufus apud Pompeium, quod gestum in Hispaniâ diceret. Et L. Domitius in concilio dixit, placere sibi, bello confecto, [6] ternas tabellas dari ad judicandum iis qui ordinis essent senatorii, belloque unà cum ipsis interfuissent, sententiasque de singulis ferrent, qui Romae remansissent, quique intra praesidia Pompeii fuissent, neque operam in re militari praestitissent. Unam fore tabellam, qui liberandos omni periculo censerent; alteram, qui capitis damnarent; tertiam, qui pecuniâ multarent. Postremo, omnes aut de honoribus suis, aut de praemiis pecuniae, aut de persequendis inimicis agebant. Nec quibus rationibus superare possent, sed quemadmodum uti victoriâ deberent, cogitabant.

NOTAE.

1 *Alii domos*, &c.] Idipsum, Pompeianus ipse cum esset, tamen Cicero confirmat, lib. II. epist. ad Attic.

2 *Oporteretne, L. Hirri*, &c,] Dio. lib. XLI. memoriae prodidit missos esse à Pompeio ad Orodem regem Parthorum, qui ejus amicitiam peterent, eum verò postulâsse ut sibi concederetur Syria, qua negata, pedem domo non movisse.

3 *Absentis rationem haberi.*] Absentium non habebatur ratio.

4 *Jam de sacerdotio Caesaris.*] Non annuus hic erat magistratus, sed perpetuus; propterea maximus habebatur, de quo sic Festus: *Maximus Pontifex dicitur, quod maximus rerum, quae ad sacra et religionem pertinent, judex sit vindexque contumeliae privatorum magistratuumque.* Etiam Pontificibus permissa potestas memoriam rerum gestarum in Tabulas conferendi. Macrobius lib. II. Unde maximi annales appellabantur, non magnitudine, sed quod eos Pontifex maximus confecisset. Olim à collegio ipso Pontificum eligebantur, donec Cn, Domitius in Tribunatu Pontificibus offensior, quod alium quam se in locum patris sui cooptâssent, jus Sacerdotum subrogandorum a collegis ad populum transtulit, ut testatur Sueton. in Nerone, cap. 2. Hunc ergo magistratum à populo Caesar impetraverat, non sine profusissima largitione, ut ait idem Suetonius. Eo mortuo, Lepidus per vim occupavit, pontificatum maximum, quem, eo mortuo suscepit Augustus, nec eum unquam postea sequentes Imperatores dimiserunt, ut intelligitur ex eorum numismatis, usque ad Gratianum, qui eam dignitatem oblatam repudiavit, ut alienam ab homine Christiano. Unde Symmachi praetoris urbis fertur dictum: *Si Gratianus Pontifex maximus nolit fieri, brevi Maximus Pontifex fiet*, de Flavio Clemente Maximo, qui imperii insignia susceperat, intelligens.

5 *Scipio affinitate Pompeii confideret.*] Erat enim socer Pompeii, qui filiam Corneliam in matrimonio habebat.

6 *Ternas tabellas*, &c.] Judicibus in consilium missis tres tabellae dabantur ceratae, una absolutionis, altera condemnationis, tertia ampliationis. Prima habebat A, secunda C, tertia NL, quae significa[illegible] Testis Asconius. Quod factum fuerat ut populi libertati consuleretur, qui principum offen-

LXXXIV. Re frumentariâ praeparatâ,[1] confirmatisque militibus, et satis longo spatio temporis à Dyrrhachinis proeliis intermisso, quum satis perspectum militum animum habere videretur, tentandum Caesar existimavit, quidnam Pompeius propositi aut voluntatis ad dimicandum haberet. Itaque ex castris exercitum eduxit, aciemque instruxit, primùm [a] suis locis, paullòque à castris Pompeii longiùs; continentibus verò diebus, ut progrederetur à castris suis, collibusque Pompeianis aciem subjiceret. Quae res in dies confirmatiorem ejus efficiebat exercitum. [2] Superius tamen institutum in equitibus, quod demonstravimus, servabat; ut, quoniam numero multis partibus esset inferior, adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem, armis inter equites proeliari juberet, qui quotidianâ consuetudine usum quoque ejus generis proeliorum perciperent. His erat rebus effectum, ut equites mille, apertioribus etiam locis, VII millium Pompeianorum impetum, quum adesset usus, sustinere auderent, neque magnoperè eorum multitudine terrerentur. Namque etiam per eos dies proelium secundum equestre fecit, atque unum Allobrogem ex duobus, quos perfugisse ad Pompeium supra docuimus, cum quibusdam interfecit.

LXXXV. Pompeius, quia castra in colle habebat, ad infimas radices montis aciem instruebat: semper, ut videbatur, spectans, si iniquis locis Caesar se subjiceret. [3] Caesar, nullâ ratione ad pugnam elici posse Pompeium existimans, hanc sibi commodissimam belli rationem judicavit, uti castra ex eo loco moveret, semperque esset in itineribus: hoc sperans, ut, movendis castris, pluribusque adeundis locis; commodiore frumentariâ re uteretur; simulque, in itinere ut aliquam occasionem dimicandi nancisceretur, et insolitum ad laborem Pompeii exercitum quotidianis itineribus defatigaret. His constitutis rebus, signo jam profectionis dato, tabernaculisque detensis, animad-

INTERPRETATIO.

a *Opportunis sibi.*

NOTAE.

sionem veritus, quod facere volebat, non faciebat. Ante enim clarâ voce suffragia dabantur. Sed hic pro ampliationis tabella erat alia quae multam pecuniariam contineret.

1 *Confirmatisque militibus.*] Ex adversâ pugnâ apud Dyrrhachium.

2 *Superius tamen institutum in equitibus.*] Quod ab Ariovisto in Gallia fieri viderat. *Equitum millia erant sex, totidem numero pedites velocissimi*, ut habetur in lib. I. de bello Gallico, ipseque jam fecerat, ut est in lib. VII. *Trans Rhenum mittit, equitesque ab iis accersit, et levis armaturae pedites qui inter eos proeliari consueverant.* Quod tamen non novum, referente Valerio Max. lib. II. cap. 3. Ita etiam postea bello Hispanico, ut ibi videbitur.

3 *Caesar, nulla ratione*, &c.] De hac re Frontinus, lib. I. cap. 3. sic commemorat: *C. Caesar bello civili cum exercitum veteranum haberet, hostium autem tironum esse sciret, acie semper decertare studiit.* Polyaenus verò scribit stratagema fuisse Caesaris, quod simulaverit castra movere, quasi ad rem frumentariam expediendam. Quod metu rati fieri Pompeiani, non potuerunt se continere, quin confestim adirent Pompeium, et cogerent se ad proelium ducere. Sed produxit eos in campum Caesar, ubi claram adeptus est victoriam.

versum est, paullò antè, extra quotidianam consuetudinem, longiùs à vallo esse aciem Pompeii progressam; ut non iniquo loco posse dimicari videretur. Tunc Caesar apud suos, quum jam esset agmen in portis, Differendum est, inquit, iter in praesentiâ nobis, et de proelio cogitandum, sicut semper depoposcimus. animo simus ad dimicandum parati: non facilè occasionem postea reperiemus. Confestimque expeditas copias educit.

LXXXVI. [1] Pompeius quoque, ut postea cognitum est, suorum omnium hortatu statuerat proelio decertare. Namque etiam in concilio superioribus diebus dixerat, priùs, quàm concurrerent acies, fore, ut exercitus Caesaris pelleretur. Id quum essent plerique admirati; Scio me, inquit, penè incredibilem rem polliceri: sed rationem consilii mei accipite, quò firmiore animo in proelium prodeatis. Persuasi equitibus nostris, idque mihi se facturos confirmaverunt, ut, quum propiùs sit accessum, dextrum Caesaris cornu [2] ab latere aperto aggrederentur, ut, circumventâ ab tergo acie, priùs perturbatum exercitum pellerent, quàm à nobis telum in hostem jaceretur. Ita sine periculo legionum, et penè sine vulnere, bellum conficiemus. Id autem difficile non est, quum tantum equitatu valeamus. Simul denuntiavit, ut essent animo parati in posterum; et quoniam fieret dimicandi potestas, ut saepe cogitavissent, ne usu manuque reliquorum opinionem fallerent.

LXXXVII. Hunc Labienus excepit, ut, quum Caesaris copias despiceret, Pompeii consilium summis laudibus efferret. Noli, inquit, existimare, Pompei, hunc esse exercitum, qui Galliam Germaniamque devicerit. Omnibus interfui proeliis: neque temerè incognitam rem pronuntio. Perexigua pars illius exercitûs superest; magna pars deperiìt; quod accidere tot proeliis fuit necesse. [3] Multos autumni pestilentia in Italiâ consumpsit: multi domum discesserunt: multi sunt relicti in continenti. [4] An non audîstis ex iis, qui per caussam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundisii factas? Hae copiae, quas videtis, ex delectibus horum annorum in citeriore Galliâ sunt refectae; et [5] pleraeque sunt ex colonis Transpadanis. Attamen, quod fuit roboris, duobus proeliis Dyrrhachinis interiìt. Haec quum dixisset, juravit, se nisi victorem in castra non reversurum: reliquosque, ut idem facerent, hortatus est. [6] Hoc laudans Pompeius,

NOTAE.

1 *Pompeius quoque, ut postea cognitum est, suorum omnium hortatu,* &c.] Non sponte sua, ut Plutarchus refert in ejus vita, sed suorum dicteriis incitatus, suum institutum omisit. Cum enim sciret Caesari exercitatissimos milites et summam annoniae inopiam; sibi verò inexercitatum exercitum et summam rerum omnium copiam, malebat cunctando hostem vincere, quam incertam Martis aleam conferendis manibus experiri.

2 *Ab latere aperto.*] Id est à dextro. Sinistrum enim latus tegebatur clypeo.

3 *Multos autumni pestilentia.*] Fuisse veram orationem Labieni ipse Caesar initio hujus libri comprobat.

4 *An non audîstis ex iis,* &c.] Id ipsum in hoc libro paulo infra confirmatur, ubi ab illis militibus, qui ex numero aegrorum praesidio navibus relicti erant. Pompeianas quinqueremes duas et triremes totidem esse captas commemoratur.

3 *Pleraeque sunt ex colonis Transpadanis.*] Ex iis colonis qui sunt trans Padum flumen.

6 *Hoc laudans Pompeius, idem juravit.*] Primus tamen omnium in castra rediit victus.

idem juravit. Nec verò ex reliquis fuit quisquam, qui jurare dubitaret. Haec quum facta essent in concilio, magnâ spe et laetitiâ omnium discessum est. [a] Ac jam animo victoriam praecipiebant, quòd de re tantâ, et à tam perito Imperatore, nihil frustra confirmari videbatur.

LXXXVIII Caesar, quum Pompeii castris appropinquâsset, ad hunc modum aciem ejus instructam animadvertit. Erant in sinistro cornu legiones duae transditae à Caesare initio dissensionis ex SC. quarum una prima, altera tertia appellabatur. [2] In eo loco ipse erat Pompeius. Mediam aciem Scipio [3] cum legionibus Syriacis tenebat. Ciliciensis legio conjuncta [4] cum cohortibus Hispanis, [5] quas transductas ab Afranio docuimus, in dextro cornu erant collocatae. [6] Has firmissimas se habere Pompeius existimabat. [7] Reliquas inter aciem mediam cornuaque interjecerat: numeroque cohortes CX expleverat. ([8] Haec erant millia XLV.) [9] Evocatorum circiter duo, quae ex [10] beneficiariis superiorum exercituum ad eum convenerant: quae totâ acie

INTERPRETATIO.

a *Et jam praesumebant spe victoriam*

NOTAE.

1 *Altera tertia.*] Lucanus tamen appellat quartam, cui magis credendum propter necessitatem carminis.

2 *In eo loco ipse erat Pompeius.*] Dissentiunt alii autores. Sed in hâc re major fides quam cuiquam debetur Caesari, nisi errorem librariorum dicamus. Sed versimilius est non ab initio Pompeium cum Afranio castra custodivisse.

3 *Cum legionibus Syriacis.*] De quibus hoc libro supra dictum, *Scipio legiones equitesque ex Syriâ deduxerat*, quae ideo Syriacae dictae, non quod ex Syris constarent. Erant enim ex Romanis factae.

4 *Cum cohortibus Hispanis.*] Non constabant Hispanis hae cohortes, sed Romanis, qui fuerant cum Afranio in Hispaniâ: nec enim cum legionibus Romanis exteri unquam commiscebantur.

5 *Quas transductas ab Afranio docuimus.*] Nusquam id apparet, nisi forte dimissas ad Varum flumen cohortes ad Pompeium sua sponte aliquas rediisse dixerimus.

6 *Has firmissimas se habere Pompeius existimabat.*] Non ad cohortes tantum, sed ad legiones praedictas refert.

7 *Reliquas inter aciem mediam cornuaque interjecerat.*] Nempe quinque legiones tironum. Sic enim Frontinus, lib. II. de Pompeio: *Et hac acie legiones secundum virtutem cujusque firmissimas in cornibus, et in medio collocavit. Spatia his interposita tironibus supplevit.*

8 *Haec erant millia* XLV.] Erant tamen legiones XI, sed eae non plenae, quia in his VI veteranae, quod partim ex Caesare, partim ex Plutarcho et Appiano cognoscitur. Appianus quidem XXI millia Caesari fuisse prodidit, ex quibus mille equites. Plutarchus verò XXII millia. Pompeio verò paulo plus altero tanto. Ramus deceptus falsis numerorum notis, legit non XLV, sed LV, unde colligit legiones fuisse V millium; sed, ut dixi, hominem frustra habuerunt notae. Fide dignissimi autores prodiderunt LXX Italorum millia conflixisse. Qui pauciores scribunt, LX millia numerant. Qui vero multitudinem exaggerant, ut Florus CCC millia, hinc et illinc tanta est de exactâ veritate dissentio. Caesar habebat legiones XI, nec plures tamen quam LXXX cohortes, quae si fuissent plenae, effecissent VIII tantum legiones. Adde his omnibus in numerorum notis errores et lapsus librariorum, qui totam istam rationem perturbant.

9 *Evocatorum.*] Evocatos, de quibus supra dictum, non certum locum in acie habuisse hinc patet, sed dispersos per manipulos fuisse; ut videtur, juxta centuriones, ut caeteris essent exemplo.

10 *Beneficiariis.*] Beneficiarii sunt, qui Imperatoris beneficio ad gradus militares promoti vel agris donati. Festus aliter eos designat,

dispersae erant. Reliquas cohortes VII castris propinquisque castellis praesidio disposuerat. [1] Dextrum cornu ejus rivus quidam impeditis ripis muniebat. Quam ad caussam cunctum equitatum, sagittarios funditoresque omnes in sinistro cornu objecerat.

LXXXIX. Caesar, superius institutum servans, X legionem in dextro cornu, IX in sinistro collocaverat, tametsi erat Dyrrhachinis proeliis vehementer attenuata: et huic sic adjunxit VIII, ut penè unam ex duabus efficeret; atque alteram alteri praesidio esse jusserat. Cohortes in acie LXXX constitutas habebat. [2] Quae summa erat millium XXII. [3] Cohortes II castris praesidio reliquerat. Sinistro cornu Antonium, dextro P. Sullam, mediâ acie Cn. Domitium praeposuerat. [4] Ipse contra Pompeium consistit. [5] Simul his rebus animadversis, quas demonstravimus, timens, ne à multitudine equitum dextrum cornu circumveniretur, [6] celeriter ex tertiâ acie singulas cohortes detraxit;

NOTAE.

Beneficiarii milites dicebantur, qui vacabant muneris beneficio; munifici vero vocabantur, qui non vacabant, sed munus reipubl. faciebant. Auxiliarium hic nulla mentio, non quia non erant, qui initio hujus libri numerati sunt: Sed adeo diffidebat eis Pompeius, ut ne in acie quidem locum eis assignaverit. Solos Graecos Italicae phalangi opposuit, caeteros seorsim collocavit, ut commisso proelio hostem circumventum pro viribus profligarent, et castra Caesaris vallo nudata diriperent, quod ipsum non ausi sunt facere pugnae spectatores inutiles facti.

1 *Dextrum cornu ejus rivus quidam impeditis ripis muniebat.*] Lucanus passim eum Enipeum vocat:

Sanguine Romano quam turbidus ibit Enipeus!

Et hoc est quod praecipitur à Vegetio, lib. III. cap. 20. *Septima depugnatio est, quae loci beneficio adjuvat dimicantem. In hac quoque et cum paucioribus et cum minus fortibus poteris adversarium sustinere, hoc est, si montem, aut mare, aut flumen, aut lacum, aut civitatem, aut paludes, aut abrupta in unâ parte habeas, ex quâ hostis non possit accedere, et reliquum exercitum tuum directa acie ordines.*

2 *Quae summa erat millium* XXII.] Non immerito Vegetius totum opus suum de re militari ab hac sententia auspicatus est: *In omni proelio non tam multitudo et virtus indocta, quam ars et exercitium solent praestare victoriam.* Minor ergo Caesarianorum, quam Pompeianorum erat numerus.

3 *Cohortes* II *castris praesidio reliquerat.*] Appianus et Lucanus scribunt à veteranis jussu Caesaris fuisse castrorum munitiones dirutas, vehementer factum admirante Pompeio. Quod omissum à Caesare non minus minor. Illae ergo duae cohortes pro munitionibus relictae fuerint.

4 *Ipse contra Pompeium consistit.*] Cum Pompeius in sinistro suae aciei cornu esset, sequitur Caesarem, qui contra Pompeium consistebat, in dextro suae aciei cornu stetisse, ubi nempe erat decima legio, cui tantopere confidebat, ut in lib. I, de bello Galico legitur.

5 *Simul his rebus animadversis quas demonstravimus.*] Nempe Pompeium persuasisse suis equitibus, ut cum propius esset accessum, dextrum Caesaris cornu aggrederentur. Nempe exploratores habebat in Pompeii exercitu Caesar, qui Pompeii consilium ad illum detulerunt.

7 *Celeriter ex tertiâ acie singulas cohortes detraxit*] Legam *senas* non *singulas*. Sic enim habent Frontinus et Plutarchus. Aliter enim non potuisset quartam ex singulis aciem instituere. Praeterea Appianus habet III millia, quae VI cohortes efficiunt. Imo et ipse Caesar quartam aciem cum mittat in proelium, scribit fuisse institutam à se sex cohortium numero. Si legatur *extrema*, haud male videtur Lipsio. Jure mirantur esse apud Florum has Germanorum cohortes. Lubens legam *Romanorum* quos opposui equitibus, qui ut plurimum externi erant. Ipse Florus ait: *Nusquam ullo loco tantum virium pop. Rom. tantum dignitatis fortuna vidit* CCC *amplius millia hinc et illinc.* Non ita Caesar, cui major fides debetur. Amat res augere Florus prope poetice.

atque ex his quartam instituit, equitatuique opposuit; et, quid fieri vellet, ostendit: [1] monuitque, ejus diei victoriam in earum cohortium virtute constare. Simul tertiae aciei, totique exercitui imperavit, ne injussu suo concurreret: se, quum id fieri vellet, [3] vexillo signum daturum.

XC. Exercitum quum militari more ad pugnam cohortaretur, [2] suaque in eum perpetui temporis officia praedicaret, [3] in primis commemoravit, testibus se militibus uti posse, quanto studio pacem petîsset; [4] quae per Vatinium in colloquiis, [5] quae per A. Clodium cum Scipione egisset; quibus modis ad Oricum cum Libone de mittendis legatis contendisset; neque se unquam abuti militum sanguine, neque Rempubl. alterutro exercitu privare voluisse. [6] Hac habita oratione, exposcentibus militibus, et studio pugnae ardentibus, tubâ signum dedit.

XCI. Erat Crastinus evocatus in exercitu Caesaris, qui superiore anno apud eum [7] primum pilum in legione x duxerat, vir singulari virtute. Hic, signo dato, Sequimini me, inquit, [8] manipulares mei qui fuistis; et vestro Imperatori, quam constituistis, operam date. Unum hoc proelium superest: [9] quo confecto, et ille suam dignitatem, et nos nostram libertatem recuperabimus. Simul respiciens Caesarem, Faciam, inquit, hodie, Imperator, ut aut vivo mihi, aut mortuo gratias agas. Haec quum dixisset, primus ex dextro cornu procurrit: at-

INTERPRETATIO.

2 *Et commemoraret sua merita omnis temporis in eum.*

NOTAE.

1 *Monuitque, ejus diei victoriam in earum cohortium virtute constare.*] Certius monuit eos qui in procinctu jam erant cum jam speculatoribus per tempus non liceret ad Pompeium rem illam deferre. Pompeius falso monuerat superioribus diebus suos equites quid vellet; cum enim plures dies intercessissent, Caesar per exploratores certior factus de ejus concilio, illud intervertit.

2 *Vexillo signum daturum.*] Vexillum illud esse solebat, sagum purpureum tabernaculo superpositum. Sed hic aliud esse potuit, cum jam è castris omnes erupissent.

3 *In primis commemoravit*, &c.] Sic ad hanc rem Vegetius, lib. III. cap. 12. *Dicenda quibus militum mentes in odium adversariorum ira et indignatione moveantur.*

4 *Quae per Vatinium in colloquiis.*] Ad Apsum flumen.

5 *Quae per A. Clodium cum Scipione egisset.*] In Macedonia.

6 *Hac habita oratione exposcentibus militibus*, &c.] Hic vero est ubi Appianus, Dio et alii perturbationem animorum magnam in utroque exercitu fuisse demonstrant, imo et penitentiam coeptorum magnam, cum intelligerent non tantum cum civibus, sed cum amicis et fratribus etiam esse pugnandum, cunctabundosque diu altum silentium tenuisse, imo et utrumque ducem illachrymasse, tandemque Pompeium, cum auxilia sua morae impatientia, taedioque turbare ordines vidisset, priorem signum cani jussisse. Lucanus, lib. VII.

——— *videre parentes*
Frontibus adversis fraternaque cominus arma,
Nec libuit mutare locum; tamen omnia torpor
Pectora constrinxit, gelidusque in viscera sanguis
Percussa pietate coit, totaeque cohortes
Pila parata diu tensis tenuere lacertis.

7 *Primum pilum.*] De primo pilo supra dictum.

8 *Manipulares mei qui fuistis.*] Quia evocatus, jam non erat eorum centurio.

9 *Quo confecto, et ille suam dignitatem, et nos nostram libertatem recuperabimus.*] Milites genus hominum inconsideratum, cui facile verba dantur. Amissa enim illo proelio libertas est Romanorum, non recuperata.

que cum milites electi circiter [1] cxx voluntarii ejusdem centuriae sunt prosecuti.

XCII. Inter duas acies tantum erat relictum spatii, ut satis esset ad concursum utriusque exercitûs. Sed Pompeius suis praedixerat, ut Caesaris impetum exciperent, neve se loco moverent, [2] aciemque ejus distrahi paterentur. [3] Idque admonitu C. Triarii fecisse dicebatur, ut primus excursus visque militum infringeretur; aciesque distenderetur; atque suis ordinibus dispositis dispersos adorirentur: leviùs quoque casura pila sperabat, in loco retentis militibus, quàm si ipsi immissis telis occurrissent: simul fore, ut duplicato cursu, Caesaris milites exanimarentur, et lassitudine conficerentur. Quod nobis quidem nullâ ratione factum à Pompeio videtur: propterea quòd est quaedam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus, quae studio pugnae incenditur. Hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent. [4] Neque frustra antiquitùs institutum est, ut signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent: quibus rebus et hostes terreri, et suos incitari existimaverunt.

XCIII. Sed nostri milites, dato signo, quum [a] infestis pilis procucurrissent, atque animadvertissent non concurri à Pompeianis, usu periti, ac superioribus pugnis exercitati, suâ sponte cursum represserunt, et ad medium ferè spatium constiterunt, ne consumptis viribus appropinquarent; parvoque intermisso temporis spatio, ac rursus renovato cursu, pila miserunt; celeriterque, ut erat praeceptum à Caesare, gladios strinxerunt. Neque verò Pompeiani huic rei defuerunt. Nam et tela missa exceperunt, et impetum legionum tulerunt, et ordines conservaverunt; pilisque missis ad gladios redièrunt. Eodem tempore equites à sinistro Pompeii cornu, ut erat imperatum, universi procucurrerunt: omnisque multitudo sagittariorum se profudit: quorum

INTERPRETATIO.

a *Directis* in hostem.

NOTAE.

1 cxx *voluntarii ejusdem centuriae sunt prosecuti.*] Quamquam teste Varrone atque etiam Vegetio, centuria centum hominum esset, tamen diversis temporibus diversus in centuria fuit militum numerus, aliquando major, aliquando minor.

2 *Aciemque ejus distrahi paterentur.*] Si aequato gradu milites concurrerent, non distraheretur acies. Sed vix fieri potest. Cum enim plurimorum militum impar sit velocitas, sit etiam inaequalis cursus. Unde distractio aciei, quae locum dat hosti dispersos adoriendi singulos vel paucos.

3 *Idque admonitu C. Triarii*, &c.] Qui legatus fuerat Luculli in bello Mithridatico et cladem passus fuerit, atque adeo natu grandis erat: qui et in hoc bello civili interiit, ut testatur Cicero in Bruto, qui etiam haec habet de illo ibid. *Me quidem admodum delectabat etiam Triarii in illa aetate plena litteratae senectutis oratio. Quanta severitas in vultu? Quantum pondus in verbis? Quam nihil non consideratum exibat ex ore?* Pondus quidem magnum fuit in verbis illius, cui tantum à Pompeio in tantâ re tributum est. Sed non satis fuit ibi consideratum quod ex ore exivit.

4 *Neque frustra antiquitus institutum est.*] A. Gellius lib. 1. noctium Atticarum, cap. 11. multa exempla proponit populorum Graecorum, idem cum Pompeio in eâ re sentientium, ipsumque Homerum, qui silentium Graecis pugnaturis attribuit, clamores vero Trojanis: sed ad morem tamen Romanorum fatebatur esse, ut magno strepitu ad pugnam procedant. Quem lege fuse de eâ re disserentem.

impetum noster equitatus non tulit, sed paullum loco motus cessit: equitesque Pompeiani hoc acriùs instare, et se turmatim explicare, aciemque nostram [1] a latere aperto circuire coeperunt. Quod ubi Caesar animadvertit, IV acie, quam instituerat sex cohortium numero, signum dedit. Illi celeriter procucurrerunt; infestisque signis tanto vi in Pompeii equites impetum fecerunt, ut eorum nemo consisteret, [2] omnesque conversi non solùm loco excederent, sed protinus incitati, fugâ montes altissimos peterent. Quibus summotis, omnes sagittarii funditoresque [3] destituti, inermes, sine praesidio, interfecti sunt. Eodem impetu cohortes sinistrum cornu, pugnantibus etiam tum ac resistentibus in acie Pompeianis, circumiêrunt, eosque à tergo sunt adorti.

XCIV. Eodem tempore tertiam aciem Caesar, quae quieta fuerat, et se ad id tempus loco tenuerat, procurrere jussit. Ita, quum recentes atque integri defessis successissent, alii autem à tergo adorirentur, sustinere Pompeiani non potuerunt, [4] atque universi terga verterunt. Neque verò Caesarem fefellit, quin ab iis cohortibus, quae contra equitatum in IV acie collocatae essent, initium victoriae oriretur, ut ipse in hortandis militibus pronuntiaverat. Ab his enim primum equitatus est pulsus: ab iisdem facta caedes sagittariorum atque funditorum: ab iisdem acies Pompeiana à sinistrà parte erat circumventa, atque initium fugae factum. Sed Pompeius, ut equitatum suum pulsum vidit, atque eam partem, cui maximè confidebat, perterritam animadvertit, aliis diffisus, acie excessit: protinusque se in castra equo contulit; et iis centurionibus, [5] quos in statione ad praetoriam portam posuerat, clarè, ut milites exaudirent, Tueamini, inquit, castra, et defendite diligenter, si quid durius acciderit. Ego reliquas portas circumeo, et castrorum praesidia confirmo. Haec quum dixisset, se in praetorium contulit, summae rei diffidens, et tamen eventum exspectans.

XCV. Caesar, Pompeianis ex fugâ intra vallum compulsis, nullum spatium perterritis dare oportere aestimans, milites cohortatus est, ut beneficio fortunae uterentur, castraque oppugnarent: qui, etsi magno aestu fatigati (nam ad meridiem res erat perducta) tamen, ad omnem laborem animo parati, imperio paruerunt. Castra à co-

NOTAE.

1 *A latere aperto.*] Quid sit latus apertum supra dictum est, nempe dextrum, quod non tegebatur scuto.

2 *Omnesque conversi non solum loco excederent*, &c.] Lucanus equitatum illum constitisse dicit ex barbaris gentibus:

Immemores pugnae, nulloque pudore timendi,
Praecipites fecere palam civilia bella;
Non bene barbaricis unquam commissa catervis.

3 *Destituti inermes.*] Id est, sine pilis, et scuto, quae non solebant ferre.

5 *Atque universi terga verterunt.*] Plutarchus, Appianus, Florus, Lucanus, Frontinus, Polyaenus causam fugae ascribunt stratagemati Caesaris, qui jusserat ora Pompeianorum, oculos atque vultus gladiis peti. Quod et hic tacet Caesar. Vult enim omnia suae virtuti debere, non stratagematis.

5 *Quos in statione ad praetoriam portam.*] *Praetoria porta*, teste Vegetio cap. 23. *aut orientem spectare debet, aut illum locum, qui ad hostem respicit: aut, si iter agitur, illam partem debet attendere, ad quam est profecturus exercitus.*

hortibus, quae ibi praesidio erant relictae, industriè defendebantur, multò etiam acriùs à Thracibus barbarisque auxiliis. Nam qui acie refugerant milites, et animo perterriti et lassitudine confecti, missis plerique armis, signisque militaribus, magis de reliquâ fugâ, quàm de castrorum defensione cogitabant. Neque verò diutiùs, qui in vallo constiterant, multitudinem telorum sustinere potuerunt; sed confecti vulneribus, locum reliquerunt; protinusque omnes, ducibus usi centurionibus, tribunisque mil. [1] in altissimos montes, [a] qui ad castra pertinebant, confugerunt.

XCVI. In castris Pompeii videre licuit [2] triclinia strata, [3] magnum argenti pondus expositum, [4] recentibus cespitibus tabernacula constrata; L. etiam Lentuli, et nonnullorum tabernacula protecta ederâ; multaque praeterea, quae nimiam luxuriam, et victoriae fiduciam designarent; ut facilè aestimari posset, nihil eos de eventu ejus diei timuisse, qui non necessarias conquirerent voluptates, atque ii miserrimo ac patientissimo exercitui Caesaris luxuriam objicebant, cui semper omnia ad necessarium usum defuissent. Pompeius jam, quum intra vallum nostri versarentur, equum nactus, [5] detractis insignibus Imperatoris, [6] Decumanâ portâ se ex castra ejecit: protinusque equo citato Larissam contendit. Neque ibi constitit; sed eâdem celeritate [7] paucos suorum ex fugâ nactus, nocturno itinere non intermisso, comitatu equitum XXX ad mare pervenit, navemque frumentariam conscendit; saepe, ut dicebatur, querens, tantum se opinionem fefellisse, ut à quo genere hominum victoriam sperâsset, ab eo initio fugae facto, penè proditus videretur.

INTERPRETATIO.

a *Qui conjuncti erant castris.*

NOTAE.

1 *In altissimos montes qui ad castra pertinebant.*] Nec enim illo tempore vitium erat castrorum habere propinquos colles, cum non esset eorum tormentorum copia, quae *canones* dicuntur.

2 *Triclinia strata.*] Argumentum luxuriae, quae sustulit Hadrianus de castris, autor Spartianus. Idem habet Sallustius ad Caesarem de Republicâ ordinandâ: *Neque enim te praeterire puto, quali quisque eorum more aut modestia, etiam tunc dubia victoria, sese gesserit: quoque modo in belli administratione scorta aut convivia exercuerunt nonnulli, quorum aetas ne per otium quidem tales voluptates sine dedecore attigeret.* Sic Parthi, victo Crasso, cum Aristidis lascivos libros Milesianos inscriptos in Romanorum impedimentis reperissent; multis eos dicteriis pupugerunt, quod nec in bello temperare iis rebus et scriptis possent, quae victoriae tempori magis conveniunt. Autor Plutarch.

3 *Magnum argenti pondus expositum.*] Crateras intelligit et illa vasa quae olim in castris esse non solebant. Ibi materia est pro instrumento.

5 *Recentibus cespitibus.*] Non vituperat cespites, sed recentes cespites, qui festum aliquem apparatum arguebant. Erant enim ut plurimum cespitibus ad munditiem instrata tabernacula.

5 *Detractis insignibus Imperatoris.*] Erant illa insignia purpureum sagulum. Illo enim vestitu Scipio Imperator bello Africo utebatur, antequam Juba rex venisset, quo adveniente Imperatore, purpureo sagulo deposito, ad album vestitum se transtulit.

6 *Decumana porta se ex castris ejecit.*] Decumana porta ad fugiendum aptissima, quia ab hoste remotissima.

7 *Paucos suorum ex fugâ nactus.*] Velleius IV commemorat, duos Lentulos, Favonium et Sextum filium.

XCVII. [1]Caesar castris potitus à militibus contendit, ne in praedâ occupati reliqui negotii gerendi facultatem dimitterent. Quâ re impetratâ, montem opere circumvenire instituit. Pompeiani quòd is mons erat sine aquâ, diffisi ei loco, relicto monte, universi [[2] juris ejus] Larissam versùs se recipere coeperunt. Quâ re animadversâ, Caesar copias suas divisit; partemque legionum in castris Pompeii remanere jussit, partem in sua castra remisit: IV secum legiones duxit; commodioreque itinere Pompeianis occurrere coepit: et progressus millia passuum VI aciem instruxit. Quâ re animadversâ, Pompeiani in quodam monte constiterunt. Hunc montem flumen subluebat. Caesar, milites cohortatus, etsi totius diei continenti labore erant confecti, noxque jam suberat, tamen munitione flumen à monte seclusit, ne noctu Pompeiani aquari possent. Quo jam perfecto opere, illi de deditione, missis legatis, agere coeperunt. [3] Pauci ordinis senatorii, qui se cum iis conjunxerant, nocte fugâ salutem petiêrunt.

XCVIII. Caesar primâ luce omnes eos, qui in monte consederant, ex superioribus locis in planitiem descendere, atque arma projicere jussit. Quod ubi sine recusatione fecerunt; passisque palmis, projecti ad terram, flentes ab eo petiêrunt salutem: consolatus consurgere jussit; et [4] pauca apud eos de lenitate suâ locutus, quò minore essent timore, omnes conservavit; [5] militibusque suis jussit, ne qui eorum violarentur, neu quid sui desiderarent. Hâc adhibitâ diligentiâ, ex castris sibi legiones alias occurrere, et eas quas secum duxerat, invicem requiescere, atque in castra reverti jussit, eodemque die Larissam pervenit. In eo proelio non amplius CC milites desideravit; sed centuriones, fortes viros, circiter XXX amisit.

XCIX. Interfectus est etiam fortissimè pugnans Crastinus, cujus mentionem supra fecimus, gladio in os adversum conjecto. Neque id fuit falsum, quod ille in pugnam proficiscens dixerat. Sic enim Caesar

NOTAE.

1 *Caesar Castris potitus*, &c.] Suetonius de Caesare scribit: *Neminem hostem vicit quin eundem castris exuerit.* Quo vero modo potitus fuerit, non Caesar commemorat, scribunt Lucanus et Appianus. Cum enim fessos milites proelio videret, et castra tamen capi cuperet, illis diripienda promisit.

——Superest pro sanguine merces
Quam monstrare meum est, nec enim donare vocabo:
Quod sibi quisque dabit.

2 *Juris ejus.*] Videtur esse interpretamentum quod in textum irrepsit.

3 *Pauci ordines senatorii*, &c.] Majus enim à Caesare eis periculum imminebat, quos suo nomine odisse poterat ob privatas et publicas injurias invisos.

4 *Pauca apud eos de lenitate suâ locutus.*] Sallustius in Catalina Catonem cum Caesare componens, hunc mansuetudine et misericordia clarum esse factum scripsit.

5 *Militibusque suis jussit, ne qui eorum violarentur.*] Raro apud autores bonae latinitatis exemplo *jubeo* cum dandi casu jungitur. Pene solus Claudianus Poëta, exoletae latinitatis tempore videtur scripsisse. Itaque non dubitaverim ex fide MSS. duorum bibliothecae Thuanae reponere, *Militibus suis commendavit.* Sic hodie cum ex oppido capto hostes, pacti sunt excedere, praesidio militum commendantur, ne à quoquam violentur, à quo et deducuntur, donec in suam regionem et aliquod suorum praesidiorum pervenerint. Quidam verò ignari bonae latinitatis rati *commendavit* hic positum pro *imperavit*, sibi licere putaverunt reponere *jussit.*

existimabat, eo proelio excellentissimam virtutem Crastini fuisse, [1] optimèque eum de se meritum judicabat. [2] Ex Pompeiano exercitu circiter millia XV cecidisse videbantur: sed in deditionem venerunt ampliùs millia XXIV. (Namque etiam cohortes, quae praesidio in castellis fuerant, sese Syllae dediderunt, multi praeterea in finitimas civitatis refugerunt.) Signaque militaria ex proelio ad Caesarem sunt relata CLXXX, et Aquilae IX. [3] L. Domitius ex castris in montem refugiens, quum vires eum lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus.

C. [4] Eodem tempore D. Laelius cum classe ad Brundisium venit; eâdemque ratione, quâ factum à Libone anteà demonstravimus, insulam objectam portui Brundisino tenuit. [5] Similiter Vatinius, qui Brundisio praeerat, tectis instructisque scaphis elicuit naves Laelianas; atque ex his longiùs productam unam quinqueremem, et minores duas in angustiis portûs cepit: itemque per equites dispositos aquâ prohibere classiarios instituit. Sed Laelius tempore anni commodiore usus ad navigandum, onerariis navibus Corcyrâ Dyrrhachioque aquam suis supportabat; neque à proposito deterrebatur; neque ante proelium, in Thessaliâ factum, cognitum, aut ignominâ amissarum navium, aut necessariarum rerum inopiâ, ex portu insulâque expelli potuit.

CI. Iisdem ferè temporibus [6] Cassius, cum classe Syrorum et Phoenicum et Cilicum, in Siciliam venit: et quum esset Caesaris classis divisa in duas partes, et dimidiae parti praeesset P. Sulpicius praetor [7] Li-

NOTAE.

1 *Optime eum de se meritum judicabat.*] Appianus insigne sepulchrum ait ei esse à Caesare excitatum, quo inferri jussisse munera, quibus amplissimis eum donavit.

2 *Ex Pompeiano exercitu,* &c.] Dissentiunt in caesorum numero autores. Qui plurimos scribunt, scribunt XXV millia. Asinius Pollio, qui interfuit, Caesarianus, VI millia. Sed, ut supra demonstratum est, fallacissmae sunt apud autores numerorum notae, ut totâ illâ disputatione vel in pecuniae numero, vel militum in exercitu, vel caesorum in acie supersedere consultissimum sit.

3 *L. Domitius ex castris in montem refugiens.*] Praeter hunc Domitium periere novem senatores, equites XL, quod prudens dissimulat Caesar. Hunc tantum Domitium infensissimum commemorat, utpote qui Galliae provinciae sibi erat à Pompeianis successor datus. Sed Sallustius in oratione ad Caesarem de rep. ordinanda, de toto illo bello sic loquitur: *Cum Catone, L. Domitio, caeterisque ejusdem factionis, quadraginta senatores, multi praeterea cum spe bonâ adolescentes sicuti hostiae mactati sunt.*

4 *Eodem tempore D. Laelius,* &c.] Notandum est callidius Caesaris commentum nullum esse potuisse, quam quod tantum valentem classe Pompeium tam procul inde abstraxerit.

5 *Similiter Vatinius.*] Is est qui cum Pompeianis altercatus in colloquio apud Apsum lib. I. de bello civili legitur, qui Ciceronis dignitati semper infestus, ejus eloquentia tam acriter exagitatus est, ut flagitiis ejus detectis, in magnum P. R. odium venerit. Unde *odium Vatinianum* in proverbium abierit. A Cicerone tamen duobus judiciis publicis defensus est, *Quia*, ut Valerius Max. sentit, qui rem memoriae prodidit, *speciosius aliquanto injuriae beneficiis vincuntur, quam mutui odii pertinacia pensantur.*

6 *Cassius.*] Tres fuerunt Cassii, quorum hic Caius et Lucius erant Pompeiani, Quintus verò Caesarianus.

7 *Liboque ad fretum.*] Multi libri habent *Vibone ad fretum*, ut opìnor, melius. Est enim urbs talis nominis, de quâ Plinius: *Hippo, quod nunc Vibonem Valentiam vocamus.* Ita eam etiam nominat Ptolemaeus, nec longe statuit à Locris in Italiâ, Libonis Caesariani nusquam facta mentio. Adde quod hic locum loco opponit, et Vibonem Messanae.

boque ad fretum, dimidiae M. Pomponius [1] ad Messanam; priùs Cassius ad Messanam navibus advolavit, quam Pomponius de ejus adventu cognosceret: perturbatumque eum nactus, nullis custodiis, neque ordinibus certis, magno vento et secundo, completas onerarias naves taedâ et pice et stupâ reliquisque rebus, [a] quae sunt ad incendia in Pomponianam classem immisit; atque omnes naves incendit XXXV, in quibus erant XX constratae; tantusque eo facto timor incessit, ut, quum esset legio praesidio Messanae, vix oppidum defenderetur: et nisi eo ipso tempore nuntii de Caesaris victoria per dispositos equites essent allati, existimabant plerique futurum fuisse, ut amitteretur. Sed opportunissimè nuntiis allatis, oppidum fuit defensum; Cassiusque ad Sulpicianam inde classem profectus est, et Libonem: applicatisque nostris ad terram navibus, propter eundem timorem, pari, atque antea, ratione egit. Secundum nactus ventum, onerarias naves circiter XL, praeparatas ad incendium, immisit: et, flammâ ab utroque cornu comprehensâ, naves sunt combustae V. Quumque ignis, magnitudine venti, latiùs serperet; milites, qui ex veteribus legionibus erant relicti, praesidio navibus, ex numero aegrorum, ignominiam non tulerunt, sed suâ sponte naves conscenderunt, et à terra solverunt; impetuque facto in Cassianam classem, quinqueremes II, in quarum alterâ erat Cassius, ceperunt. Sed Cassius, exceptus scapha, refugit. Praeterea duae sunt deprehensae triremes. Neque multò post de proelio facto in Thessaliâ cognitum est; ut ipsis Pompeianis fides fieret. Nam ante id tempus fingi à legatis amicisque Caesaris arbitrabantur. Quibus rebus cognitis, ex iis locis Cassius cum classe discessit.

CII. Caesar, omnibus rebus relictis, persequendum sibi Pompeium existimavit, quascumque in partes ex fugâ se recepisset; ne rursus copias comparare alias, et bellum renovare posset: et quantum itineris equitatu efficere poterat, quotidie progrediebatur: legionemque unam minoribus itineribus subsequi jussit. Erat edictum Pompeii nomine [2] Amphipoli propositum, utì omnes ejus provinciae juniores, Graeci civesque Rom. jurandi caussâ convenirent: sed, utrùm avertendae suspicionis caussa Pompeius proposuisset, ut quàm diutissimè longioris fugae consilium occultaret, an novis delectibus, si nemo premeret, Macedoniam tenere conaretur, existimari non poterat. Ipse ad anchoram unâ nocte constitit; et vocatis ad se Amphipoli hospitibus, et pecu-

INTERPRETATIO.

a *Apta.*

NOTAE.

1 *Ad Messanam.*] Messana primaria urbs Siciliae his temporibus, ad Pelorum promontorium, ubi fretum, nunc *Phare de Messine.* Fuit haec à Messeniis Peloponnesiacis condita, qui illi nomen dederunt, de quâ supra.

2 *Amphipoli.*] Amphipolis urbs Macedoniae ad Strymonem fluvium. Herodotus eam in Thraciâ statuit. Sic dicta, quod Strymone flumine fere undique circumdata sit; cujus aspectus adeo jucundus erat, ut Basilius in epistola ad Gregoriam Nazianzenum, fluminis in deserto suo fluentis prospectum, cujus amoenitatem praedicat, neget minus esse gratum, quam Strymonis prospectum Amphipolitanis. Belli causa fuit inter Philippum Macedoniae regem et Athenienses Hodie *Chrysopoli* nonnullis Leunclavio *Empoli.*

niâ ad necessarios sumptus [a] corrogatâ, cognito Caesaris adventu, ex eo loco discessit, et [1] Mitylenas paucis diebus venit. Biduum tempestate retentus, [2] navibusque aliis additis actuariis, [3] in Ciliciam, atque inde [4] Cyprum pervenit. Ibi cognoscit, consensû omnium Antiochensium, civiumque Romanorum, qui illic negotiarentur, arcem antè captam esse, excludendi sui caussâ; nuntiosque dimissos ad eos, qui se ex fugâ in finitimas civitates recepisse dicerentur, ne [5] Antiochiam adirent: id si fecissent, magno eorum capitis periculo futurum. Id[em] hoc L. Lentulo, qui superiore anno consul fuerat, et [6] P. Lent[ulo] consulari, ac nonnullis aliis acciderat [7] Rhodi; qui, quum ex fu[gâ] Pompeium sequerentur, atque in insulam venissent, oppido ac p[ortu] recepti non erant: missisque ad eos nuntiis, ut ex iis locis disc[ederen]t, contra voluntatem suam naves solverunt. Jamque de Caesar[is] adventu fama ad civitates perferebatur.

CIII. Quibus cognitis rebus, Pompeius, deposito adeundae Syriae consilio, [8] pecuniâ societatis sublatâ, et à quibusdam privatis sumptâ, et aeris magno pondere ad militarem usum in naves imposito, duobusque millibus hominum armatis, partim quos ex familiis societatum delegerat, partim à negotiatoribus coëgerat, quosque ex suis quisque ad hanc rem idoneos existimabat, [9] Pelusium pervenit. [10] Ibi casû rex erat Ptolemaeus, puer aetate, magnis copiis,

INTERPRETATIO.

a Corrasa

NOTAE.

1 *Mitylenas.*] Urbs in Lesbo insula, quae hodie insulae nomen dedit. Eo profectus est Pompeius, ut filium et Corneliam uxorem quos illic seposuerat, secum inde abduceret. Urbem non intravit, sed obviam sibi egressis dixit, ut Caesari bono clementique viro parerent. Fertilis est, optimique vini ferax.

2 *Navibusque aliis additis actuariis.*] Quae sint actuariae naves supra fuit dictum.

3 *In Ciliciam.*] Ibi Celendris, magnâ parte coactâ senatûs consultavit, an ad Parthos transiret, an ad Aegypti regem. Sed Lentulus censuit Aegyptum esse petendam, eumque à Parthorum adeundorum consilio dimovit, quo certe consilio huc usque venerat, nec ad validam classem, quam Corcyrae habebat, venire voluerat.

4 *Cyprum.*] Cyprus clarissima insula inter Ciliciam et Syriam Veneri sacra, nomen adhuc retinet. Nunc sub Turcarum est potestate, qui eam ante annos centum Venetis eripuerunt.

5 *Antiochiam.*] Antiochia Syriae metropolis ad Orontem fluvium, qui illam dividit, Hebraïce, רבלתה *Reblata*, primum aedificata à Seleuco Nicanore, deinde ab Antiocho rege Syriae, qui eam non tantum restauravit, sed amplificavit. Hodie visitur haud minore amplitudine quam Constantinopolis, sed moenibus longe artioribus instructa, capacibus duorum curruum; sed est diruta, et paucos habet incolas. Unum habet, ex quatuor Orientis Patriarchis Sed translata sedes est Alepum propter vastitatem. Ibi primum nomen Christianorum coepit, cum antea discipuli appellarentur.

6 *P. Lentulo consulari.*] Id testatur ejus filius lib. epist. XII. apud Ciceronem.

7 *Rhodi.*] De Rhodo supra dictum.

8 *Pecunia societatis sublata.*] Pecuniam intelligo, quam publicani ex vectigalibus publicis collegerant, quorum potentissima ubique erat societas, constans ex equitibus Romanis.

9 *Pelusium pervenit.*] Unum de septem ostiis Nili fluminis cum urbe cognomine ad orientem, Syriam versus.

10 *Ibi casu rex erat Ptolemaeus.*] Ptolemaei omnes dicti sunt reges Aegypti à primo Macedonum, qui regnum illud obtinuit, post mortem Alexandri, qui totum orientem perdomuerat. Hic, de quo agitur, patrem habuit Ptolemaeum Auletem, sic dictum à tibiis quibus

[1] cum sorore Cleopatrâ gerens bellum; quam paucis antè mensibus per suos propinquos atque amicos regno expulerat; castraque Cleopatrae non longo spatio ab ejus castris distabant. Ad eum Pompeius misit, ut [2] pro hospitio atque amicitiâ patris, [3] Alexandriâ reciperetur, atque illius opibus in calamitate tegeretur. Sed qui ab eo missi erant, confecto legationis officio, liberiùs cum militibus regis colloqui coeperunt, eosque hortari, ut suum officium Pompeio praestarent, neve ejus fortunam despicerent. In hoc erant numero complures Pompeii milites; quos ex ejus exercitu acceptos in Syriâ Gabinius Alexandriam transduxerat, belloque confecto apud Ptolemaeum patrem pueri, reliquerat.

CIV. His tunc cognitis rebus, amici regis, qui propter aetatem ejus in procuratione erant regni; sive timore adducti, ut postea praedicabant, ne, sollicitato exercitu regio, Pompeius Alexandriam [4] Aegyptumque occuparet; sive despectâ ejus fortuna, ut plerumque in calamitate ex amicis inimici existunt; iis, qui erant ab eo missi, palàm [a] liberaliter responderent, eumque ad regem venire jusserunt. Ipsi, clam consilio inito, Achillam praefectum regium, singulari hominem audaciâ, et L. Septimium tribunum milit. ad interficiendum Pompeium miserunt. Ab his liberaliter ipse appellatus, et quâdam notitiâ Septimii productus, [5] quòd bello praedonum apud eum ordinem duxerat, naviculam parvulam conscendit [6] cum paucis

INTERPRETATIO.

a *Benigne.*

NOTAE.

supra modum delectabatur; et fuit rex ultimus Aegypti. Hoc enim bello cum periisset, nec ita multo post Cleopatra ejus soror, Aegyptus in provinciam redacta est.

1 *Cum sorore Cleopatra.*] Cleopatra ea est, quae postmodum à Caesare, deinde ab Antonio amata, postea ab Augusto una cum Antonio ad Actium devicta mortem sibi conscivit. Haec tunc de regno contendebat, quia à patre erat una cum fratre haeres scripta. Lucanus:

——nullo discrimine sexus
Reginam scit ferre Pharos,——

Sic Britanni apud Tacitum: *Neque enim sexum in imperiis discernunt.*

2 *Pro hospitio atque amicitia patris.*] Pompeius enim patrem ejus per Gabinium in regnum restituerat, eique à senatu propter juvenilem aetatem tutor erat datus, teste Eutropio.

3 *Alexandria reciperetur.*] Alexandria Aegypti metropolis ab Alexandro rege Macedonum dicta et condita, cujus descriptionem habes in libro proxime sequenti.

4 *Aegyptumque.*] Aegyptus antiquissima, celeberrima, eademque fertilissima regio. Herodoto teste. Olim *Chemia* pro *Chamia*, ut puto à Chamo Noë filio, qui illam occupavit. Hebraïce מצרים *Misraim.* Nunc est in Turcarum potestate. A Pelusio, quod est ab oriente usque ad Canopum, quo terminatur ab occidente, XL. leucarum magnitudine porrigitur.

5 *Quod bello praedonum apud eum ordinem duxerat.*] Cum piratae totum mare Mediterraneum latrociniis infestarent, neque multis missis imperatoribus compesci potuissent, solus inventus est Pompeius, qui eos profligaret; et totum illud bellum sex mensium spatio conficeret; quo tempore Septimius, qui jam tribunus militum in exercitu Gabiniano erat, sub Pompeio ordinem duxerat, id est, centurio fuerat. Utrum autem Plutarchus errore quodam eundem trib. militum Pompeii fuisse dicat, an revera exinde fuerat, incertum est.

6 *Cum paucis suis.*] Plutarchus centuriones duos et Philippum libertum et servum nomine Scynem memorat.

suis; et ibi [1] ab Achillâ et Septimio interficitur. Item [2] L. Lentulus comprehenditur à rege, et in custodiâ necatur.

CV. Caesar quum in Asiam venisset, reperiebat T. Ampium conatum esse tollere pecunias Epheso ex fano Dianae; ejusque rei caussâ senatores omnes ex provinciâ vocâsse, ut iis testibus in summâ pecuniae uteretur; sed interpellatum adventu Caesaris, profugisse. [3] Ita duobus temporibus Ephesiae pecuniae Caesar auxilium tulit. Item constabat, [4] Elide in templo Minervae, repetitis atque enumeratis diebus, quo die proelium secundum fecisset Caesar, simulacrum Victoriae, quod ante ipsam Minervam collocatum erat, et antè ad simulacrum Minervae spectabat, ad valvas se templi, limenque convertisse. Eodemque die Antiochiae in Syriâ, bis tantus exercitûs clamor, et signorum sonus exauditus est, [a] [5] ut in muris armata civitas discurreret. Hoc idem [6] Ptolemaïde accidit. Pergami in occultis ac remotis templi, quò, praeter sacerdotes, adire fas non est, quae Graeci [7] Ἄδυτα appellant, tympana sonuerunt. Item [8] Trallibus in templo Victoriae, ubi Caesaris statuam consecraverant, palma per eos dies [9] in tecto inter coagmenta lapidum ex pavimento exstitisse ostendebatur.

INTERPRETATIO.

a *Ut cives in armis cursitarent in moenibus.*

NOTAE.

1 *Ab Achillâ et Septimio interficitur.*] Anno aetatis LVIII. teste Velleio Paterculo, pridie natalis sui; teste vero Plinio, lib. XXXVII. cap. II. ejus natalis pridie Kalendas Octobris fuit.

2 *L. Lentulus comprehenditur à rege.*] Lentulus sequenti die occisus fuit, ut testatur Plutarchus. Orosius classem Pompeii direptam ait, secutus nescio quos autores, omnibus qui in ea fuerant crudelissime necatis, occiso etiam Pompeio Bithynico, quod probabile facit Cicero dicens, eos qui occidi viderunt Pompeium, non prius indulfisse dolori, quam Ptolemaidem incolumes pervenerunt, magnitudine scilicet periculi sibi tantum consulentes. Et certe duo hominum millia, ut supra legimus, armaverat. Celebre est elogium quod habetur apud Lucanum, lib. IX. quo Cato Pompeium, audita ejus morte, condecoravit.

Civis obit, inquit, multo majoribus impar
Nôsse modum juris, sed in hoc tamen utilis aevo,
Cui non ulla fuit justi reverentia, salvâ
Libertate potens, et solus plebe paratâ
Privatus servire sibi, rectorque senatus.
Sed regnantis erat, nil belli jure poposcit.
Quodque dari voluit, voluit sibi posse negari.
Immodicas possedit opes, sed plura retentis
Intulit, invasit ferrum, sed ponere norat.
Praetulit arma togae, sed pacem armatus amavit
Casta domus luxuque carens, corruptaque nunquam
Fortunâ domini, clarum et venerabile nomen
Gentibus, et multum nostrae quod proderat urbi.

3 *Ita duobus temporibus Ephesiae pecuniae.*] Primum quidem cum ei immineret Scipio, qui ubi accepit mare transiisse Caesarem, incoeptum omisit, nunc autem cum T. Ampius oppugnaret.

4 *Elide.*] Elis urbs Peloponnesi in Mediterranea parte. Unde Elea dicitur regio, quae ab Achaeis ad Messeniam pertinet. Haec urbs post Persica bella condita est, et per eam fluebat Minius fluvius juxta ejus Gymnasium. Erat juxta Pisam, ubi certamina ludicra Olympica fiebant.

5 *Ut in muris armata civitas discurreret.*] Ut defenderet moenia ab illo exercitu, qui illam oppugnaturus videbatur.

6 *Ptolemaïde.*] Ptolemaïs urbs maritima Syriae, alio nomine *Acon.* Nunc *Acre,* à Ptolemaeo Aegypti regi ejus conditore sic dicta.

7 Ἄδυτα.] Dicunt ex α privante et δῦμι, *ingredior,* quia eo ingredi non licebat.

8 *Trallibus.*] Trallis vel Tralles in numero plurali, urbs Lydiae.

9 *In tecto inter coagmenta lapidum ex pavimento exstitisse.*] Caeterum quod hic *in tecto,*

CVI. Caesar paucos dies in Asia moratus, quum audîsset Pompeium Cypri visum, conjectans eum in Aegyptum iter habere, [1] propter necessitudines regni, reliquasque ejus loci opportunitates, cum legionibus, unâ, quam ex Thessaliâ se sequi jusserat, et altera, quam ex Achiâ [2] à Fusio legato evocaverat, equitibusque DCCC, et navibus longis Rhodiis X, et Asiaticis paucis, Alexandriam pervenit. [3] In his erant legionibus hominum III millia CC. Reliqui, vulneribus ex proeliis, et labore, ac magnitudine itineris confecti, consequi non potuerant. [4] Sed Caesar confisus famâ rerum gestarum, infirmis auxiliis proficisci non dubitaverat, atque omnem sibi locum tutum fore existimabat. Alexandriae de Pompeii morte cognoscit: atque ibi primum à navi egrediens clamorem militum audit, quos rex in oppido praesidii caussâ reliquerat, et [5] concursum ad se fieri videt, quod fasces anteferrentur. In hoc omnis multitudo majestatem regiam minui praedicabat. [6] Hoc sedato tumultu, crebrae continuis diebus ex concursu multitudinis concitationes fiebant; compluresque milites hujus urbis omnibus partibus interficiebantur.

CVII. Quibus rebus animadversis, legiones sibi alias ex Asiâ adduci jussit, quas ex Pompeianis militibus confecerat. [7] Ipse enim

NOTAE.

ex pavimento dicitur *enata palma*, à Plinio, lib. VII. dicitur *in basi:* utrum melius sit, judicium esto lectoris. Tota illa prodigiorum ratio nugatoria est, sub tecto, quo nullus imber penetrat, enasci palmam, admirabilitatis habet quidem plurimum. Sed quid vetat illius templi aedituos, ut Caesaris victoris gratiam promorerentur, palmam coagmentis lapidum implantavisse, et sedulo irrigavisse, cum praesertim antiquorum templa non quotidie paterent, ut nostra, sed magnam partem temporis clausa essent, atque adeo latentur et clam totum hoc opus exequendi facultatem darent. Non omnia hic videtur Caesar prodigia persecutus, quae mutationem istam rerum praesignificarent. Autores passim commemorant Cornelium quendam Patavinum, qui eodem puncto temporis, quo apud Pharsalum dimicatum est, rem totam Patavii procul inde amicis suis declaravit.

1 *Propter necessitudines regni.*] Quia scilicet tutor datus Ptolemaeo regi puero Pompeius à senatu fuerat. Item quia erat inter eos jus hospitii.

2 *A Fufio legato.*] Verisimile est dictum esse *Fufium* non *Fusium.* Habet enim plane Dionis Graecos textus φȣφίȣ καλήνȣ, quod Graecum φ nihil commune habet cum σ ut in Latinis litteris.

3 *In his erant legionibus hominum* III *millia* CC.] Incertum est an tria illa millia CC, in ambabus legionibus inventa fuerint, an in singulis legionibus, ut in utraque fuerint, sex millia CCCC.

4 *Sed Caesar confisus fama rerum gestarum,* &c.] Ita teste Suetonio: *Post aciem Pharsalicam, cum praemissis in Asiam copiis per angustias Hellesponti victor navicula trajiceret, L. Cassium partis adversae cum decem rostratis navibus obvium sibi, neque refugit, et cominus tendens, ultro ad deditionem hortatus supplicem ad se recepit.* Sed hic fuit tam infirmis auxiliis munitus, ut cum ad Alexandriam pervenisset, non ausos statim in terram exire, ad anchoras substiterit, donec à Ptolemaeo sibi missum Pompeii caput vidisset, teste Dione, lib. XLI.

5 *Concursum ad se fieri videt.*] Quia consul erat cum P. Servilio. Lictores enim XII antecedebant consulem, qui cum virgarum fascibus securim praeferebant.

6 *Hoc sedato tumultu,* &c.] Tantus hic quidem fuit, ut in regiam confugere necesse habuerit. Testis Dio. lib. XLI.

7 *Ipse enim necessario Etesiis tenebatur.*] Etesiae venti sunt anniversarii, qui adversi sunt Alexandriam proficiscentibus, ab ἔτος

necessariò Etesiis tenebatur, qui Alexandriâ navigantibus sunt adversissimi venti. [1] Interim controversias regum ad populum Rom. et ad se, quòd esset consul, pertinere existimans, atque eò magis officio suo convenire, quod superiore consulatu cum patre Ptolemaeo, et lege et S. C. societas erat facta; ostendit sibi placere, regem Ptolemaeum, atque sororem ejus Cleopatram exercitus, quos haberent, dimittere; et de controversiis jure apud se potiùs, quàm inter se armis,

NOTAE.

annus, quos Plinius, lib. II. cap. 49. aquilonares quidem seu potius aquilones ipsos ait flare continuis XL diebus biduo post canis exortum. A Gellius dicit Etesias oriri quando canis exoritur. Idem Plinius eodem capite iterum sic de illis ventis habet: *Etesiae noctu desinunt flare, et à tertia diei hora oriuntur. In Hispaniâ et Asiâ ab oriente est eorum flatus. In Ponto ab aquilone, reliquis in partibus à meridie.* Denique de illis nihil habeo certius dicere, quam quod habet Gellius post longam dissertationem: *Quod supra dixi Etesias ab aliâ et aliâ parte coeli flare, haud scio an secutus opinionem multorum temere dixerim.* Quare totâ illâ quaestione tutius abstinendum, procul â mari Mediterraneo positis. Constat quidem ex Cicerone, non tam statos esse quin aliquando deficiant, dentque locum aliis.

1 *Interim controversias regum*, &c.] Iterum Dio narrat Caesarem, sublato Pompeio, nihil jam belli superesse ratum, in Aegypto fuisse moratum, et ut pecunias colligeret, et ut controversias regias componeret. Sed interea plures cum Labieno et Afranio, qui veniam desperabant, alter quia ab eo defecerat, alter quia ab ipso servatus rebellaverat, ad Catonem convenerunt, eoque duce sumpto bellum renovaverunt. Quod nisi Cleopatrae fuisset Caesar praepostero implicitus amore, tanta pericula, qui postea adeunda fuerunt, et dimicationes suâ celeritate facile praevenisset. Quomodo autem ejus amore captus fuerit, narrat Dion, cujus verba ipsa referenda videntur, quae sic habent, libro XLI. *Καὶ ἡ μὲν ταῦτα μηχανησαμένη, ἔς τε την πόλιν ἅμα (ἔξω γαρ καὶ ἐκείνη ἦν) καὶ ἐς τὰ βασίλεια λάθρα τῦ Πτολεμαίυ νυκτος ἐισῆλθεν. Ὁ δὲ δη Καῖσαρ, ἰδών τε ἀυτὴν καὶ τι φθεγξαμένης ἀκύσας, οὕτως ευθυς ἐδυλώθη, ὥςε αυτίκα ὑπὸ τε τὴν ἕω τόντε Πτολεμαῖον μεταπέμψασθαι, καὶ συναλλάξασθαι σφᾶς ἐπιχειρῆσαι· ἧς γὰρ δικαςὴς πρότερον ἤξιυτο εἶναι, τότε ταυτῃ συνεδίκει· ὁ οὖν παῖς, διά τε τῦτο, καὶ ὅτι τὴν ἀδελφὴν αἰφνιδίως εἶδεν ἔνδον οὖσαν, ὀργῆς τε ἐπληρώθη, καὶ ἐκπηδήσας ἐς το πλῆθος, ἐβόα λέγων προδίδοσθαι, καὶ τελος τὸ διάδημα ἀπὸ τῆς κεφαλῆς περισπασας ἔῤῥιψε· θορυβυ δὲ ἐπὶ τῦτῳ μεγάλυ συμβάντος, ἐκεῖνον μὲν οἱ Καισάρειοι ςρατιῶται συνήρπασαν. Τὸ δὲ δὴ Αἰγύπτιον ἐταράσσετο, κ' ἀν αυτοβοεὶ τὰ βασίλεια, καὶ ἐκ τῆς γης καὶ ἐκ τῆς θαλασσης ἅμα προσβάλλοντες, εἶλον (τοῖς γὰρ Ῥωμαίοις ὐδὲν ἀξιόμαχον ἅτε καὶ φιλων σφῶν δοκύντων ειναι, παρῆν) εἰ μὴ φοβηθεὶς ὁ Καῖσαρ προῆλθε τε ἐς αυτὺς, καὶ ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ςὰς, πάντα σφισιν ὅσα ἂν ἐθελήσωσι, πράξειν ὑπέσχετο, καὶ μετὰ τῦτο ἐς ἐκκλησίαν ἐσελθων τόντε Πτολεμαῖον καὶ τὴν Κλεοπατραν παρεςήσατο· καὶ τὰς διαθήκας τῦ πατρὸς αυτῶν ανεγνω, ἐν αἷς ἐκείνυς μεν συνοικῆσαι ἀλλήλοις κατὰ τῶν Αἰγυπτίων τα πάτρια, καὶ βασιλευειν, ἀλλὰ τὸν δε δή τῶν Ῥωμαίων δῆμον τὴν ἐπιτροπείαν σφῶν ἔχειν ἐγέγραπτο· πραξας δέ τοῦτο, καὶ ἐπειπὼν ὅτι ἑαυτῷ δικτάτωρι ὄντι καὶ πὰν τὸ τοῦ δήμυ κράτος ἔχοντι, τὴν τε ἐπιμέλειαν τῶν παίδων ποιεῖσθαι· καὶ τὰ δόξαντα τῷ πατρὶ αυτῶν ἐπιτελεῖν προσήκει, ἐκείνοις τε τὴν βασιλείαν ἀμφοτέροις ἔδωκε, καὶ τῇ Ἀρσινόη τῷ τε Πτολεμαίῳ τῷ νεωτέρῳ τοις ἀδελφοῖς σφῶν, τὴν Κυπρον ἐχαρίσατο· τοσοῦτον γὰρ πυ δέος αυτὸν ἔσχεν ὥςε μὴ μόνον μηδὲν των τῆς Αἰγυπτυ προσλαβεῖν, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκείων τὶ αυτοῖς προσδοῦναι. His adornatis noctu in urbem (degebat enim tum foris) atque in regiam Ptolemaei clam pervenit* (Cleopatra). *Quam ubi Caesar vidit, loquentemque nonnihil audivit, ita confestim mancipium ejus factus est, ut statim sub auroram Ptolemaeum accersierit, pacificationemque tentaverit. Cleopatrae enim, cujus ante judex esse voluerat, tunc advocatum agebat. Quae res, quodque improviso suam sororem intus esse videbat, ita pueri animum ira inflammavit, ut prosiliens ad populum, proditum se clamaret, ac denique diadema capite detractum abjiceret. Magno inde tumulto coorto, Ptolemaeum Caesariani milites intro abripuerunt. Aegyptii autem commoti sunt; ac, nisi Caesar metu perculsus ad eos prodiisset, deque loco tuto omnia se quae vellent facturum promisisset, ipso primo impetu regiam, quum terra marique jam invadebant, occupassent; neque enim Romanis, qui se apud amicos versari credebant, ullae ad resistendum aderant vires. Posthaec Caesar in concionem cum Ptolemaeo et Cleopatra progressus, patris eorum testamentum de scripto recitavit, quo praecipiebatur ut more majorum apud Aegyptios Ptolemaeo conjux Cleopatra esset, regnumque tenerent*

disceptare. Erat in procuratione regni propter aetatem pueri [2] nutritius ejus, eunuchus, nomine Pothinus.

CVIII. Is primum inter suos queri atque indignari coepit, regem ad dicendam caussam evocari: deinde adjutores quosdam conscios sui nactus ex regis amicis, exercitum â Pelusio clam Alexandriam evocavit; atque eundem Achillam, cujus supra meminimus, omnibus copiis praefecit. Hunc incitatum suis, et regis inflatum pollicitationibus, quae fieri vellet, litteris nuntiisque edocuit. In testamento Ptolemaei patris haeredes erant scripti ex duobus filiis major, et ex duabus ea quae aetate antecedebat. Haec utì fierent, per omnes Deos, perque foedera, quae Romae fecisset, eodem testamento Ptolemaeus populum Romanum obtestabatur. Tabulae testimenti, unae per legatos ejus Romam erant allatae, [2] ut in aerario ponerentur (eae, quum propter publicas occupationes poni non potuissent, apud Pompeium sunt depositae:) alterae, eodem exemplo, relictae atque obsignatae Alexandriae proferebantur.

CIX. De his rebus quum ageretur apud Caesarem, isque maximè vellet, [3] pro communi amico atque arbitro, controversias regum componere: subitò exercitus regius equitatusque omnis venire Alexandriam nuntiatur. Caesaris copiae nequaquam erant tantae, ut eis extra oppidum, si esset dimicandum, confideret. Relinquebatur, ut se suis locis oppido teneret, consiliumque Achillae cognosceret. Milites tamen omnes in armis esse jussit: regemque hortatus est, ut ex suis necessariis, quos haberet maximae auctoritatis, legatos ad Achillam mitteret; et quid esset suae voluntatis, ostenderet. A quo missi Dioscorides et Serapion, qui ambo legati Romae fuerant, magnamque apud patrem Ptolemaeum auctoritatem habuerant, ad Achillam pervenerunt. Quos ille, quum in conspectum ejus venissent, priùs, quâm audiret, aut, cujus rei caussâ missi essent, cognosceret, corripi, ac interfici jussit. Quorum alter accepto vulnere occupatus, per suos pro occiso sublatus, alter interfectus est. Quo facto, regem ut in suâ potestate haberet, Caesar effecit; magnamque regium nomen

NOTAE.

cujusque testamenti procuratio P. R. itidem assignabatur. His addens Caesar, suam qui dictaturam gereret, omnemque populi potestatem obtineret, esse, ut et liberos curaret, et patris voluntatem exequeretur, Ptolemaeo et Cleopatrae regnum dedit: Arsinoë autem Ptolemaeoque juniori germanis horum Cyprum concessit. In eum enim tunc terrorem pervenerat, ut his quoque de suo aliquid concideret, nedum ipse ex rebus Aegypti quicquam adipisceretur.

2 *Nutritius ejus.*] Non maritus nutricis Regis fuit, cum Eunuchus esset: sed eodem regi fungebatur officio, quo Chiron quondam Achilli, qui Statio in Achilleide *Nutritor ingens* Achillis dicitur, quo Eutropius et ipse Eunuchus postea Arcadio functus est Romano Imperatori, nutritor pariter Claudiano dictus. Imo et in sacra scriptura, in libro qui Ruth dicitur, de Noëmi vetula, quae adeo pueros lactare non poterat, dicitur infanti Obedo fuisse in nutricem. Nutritius scilicet ille dicebatur, qui corporis et animae puero praesidia parabat, corporis ejus custos, et moribus praefectus; quo nomine dicuntur apud Greg. Turon. qui filiorum Chlodomeris regis pueritiam regebant. Male plures codices habent *Photinus*. Plutarch. enim habet ποθεινὸς, Graece, *desiderabilis*. Quod si deducerentur à φωτεινὸς, *lucidus*, primam syllabam non breviâsset Lucanus.

2 *Ut in aerario ponerentur.*] Antiqui enim tabulas publicas in aerario ponebant, eodemque in loco pecunias et tabulas quasi magni et aequi utrasque pretii volebant collocari.

3 *Pro communi amico atque arbitro.*] Cum enim Ptolemaeus eorum pater esset, amicus P. R. Caesarque esset consul populi Rom. necesse erat illum utriusque esse amicum.

apud suos auctoritatem habere existimans, [1] et ut potius privato paucorum et latronum consilio, quam regio susceptum bellum videretur.

CX. Erant cum Achillâ copiae, ut neque numero, neque genere hominum, neque usu rei militaris, contemnendae viderentur. Millia enim XX in armis habebat. Haec constabant ex Gabinianis militibus: qui jam in consuetudinem Alexandrinae vitae atque licentiae venerant; et nomen disciplinamque P. R. dedidicerant, [2] uxoresque duxerant, ex quibus plerique liberos habebant. Huc accedebant collecti ex praedonibus latronibusque Syriae, Ciliciaeque provinciae, finitimarumque regionum. Multi praeterea, capitis damnati, exulesque convenerant: fugitivisque omnibus nostris certus erat Alexandriae receptus, certaque vitae conditio, ut dato nomine, militum essent numero: quorum si quis à domino comprehenderetur, concursu militum eripiebatur; qui vim suorum, quòd in simili culpâ versabantur, ipsi pro suo periculo defendebant. Hi regum amicos ad mortem deposcere; hi bona locupletum diripere stipendii augendi caussâ, regis domum obsidere, regno expellere alios, alios accersere, vetere quodam Alexandrini exercitûs instituto, consueverant. Erant praeterea equitum millia II, qui inveteraverant compluribus Alexandriae bellis. Hi Ptolemaeum patrem in regnum reduxerant; [3] Bibuli filios duos interfecerant; bella cum Aegyptiis gesserant Hunc usum rei militaris habebant.

CXI. His copiis fidens Achillas, paucitatemque militum Caesaris despiciens, occupat Alexandriam: praeterea oppidi partem, quam Caesar cum militibus tenebat. Primo impetu domum ejus irrumpere conatus est. Sed Caesar, dispositis per vias cohortibus, impetum ejus sustinuit. Eodemque tempore pugnatum est ad portum: [a] ac longè maximam ea res attulit dimicationem. Simul enim, diductis copiis, pluribus viis pugnabatur: et magnâ multitudine naves longas occupare hostes conabantur; quarum erant auxilio L. missae ad Pompeium: quae, praelio in Thessaliâ facto, domum redierant. Illae triremes omnes et quinqueremes erant, aptae instructaeque omnibus rebus ad navigandum. Praeter has XXII erant, quae praesidii causâ Alexandriae esse consueverant, constratae omnes. Quas si occupâssent, classe Caesari ereptâ, portum ac mare totum in suâ potestate haberent: commeatu auxiliisque Caesarem prohiberent. Itaque tantâ est contentione actum, quantâ agi debuit; quum ille celerem in eâ re victoriam, hi salutem suam consistere viderent. Sed rem obtinuit

INTERPRETATIO.

a *Et id causa fuit maximi periculi.*

NOTAE.

1 *Et ut potius privato paucorum et latronum consilio, quam regio*, &c.] Qui privati bellum gerunt latrones dicuntur, et tale bellum, latrocinium. Rex verò persona publica jus habet bella faciendi.

2 *Uxoresque duxerant.*] Non licebat militibus Romanis uxores ducere.

3 *Bibuli filios duos interficerant.*] Magnum exemplum effroenatae licentiae, consularis viri tantâque dignitate praediti filios occidisse, pro quo facinore vincti ad patrem à Cleopatrâ missi fuerunt. Sed insigni moderationis exemplo Bibulus remisit potestatem ejus non suam, sed senatus dicens esse debere.

Caesar: omnesque eas naves, et reliquas quae erant in navalibus, incendit; quòd tam latè tueri tam parvâ manu non poterat; confestimque ad [1] Pharum navibus milites exposuit.

CXII. Pharus est in insulâ turris, magnâ altitudine, mirificis operibu extructa, quae nomen ab insula accepit. Haec insula, objecta Alexandriae, portum efficit: sed à superioribus regionibus in longitudinem passuum DCCCC in mare jactis molibus, angusto itinere et ponte cum oppido conjungitur. In hàc sunt insulâ domicilia Aegyptiorum, et vicus, oppidi magnitudine: quaeque ubique naves imprudentiâ aut tempestate paullulum suo cursu decesserint, has more praedonum diripere consueverunt. Iis autem invitis, à quibus Pharus tenetur, non potest esse, propter angustias, navibus introitus in portum. Hoc tum veritus Caesar, hostibus in pugnâ occupatis, militibusque expositis, Pharum apprehendit, atque ibi praesidium posuit. Quibus est rebus effectum, utì tutò frumentum auxiliaque navibus ad eum supportari possent. Dimisit enim circum omnes propinquas regiones, atque inde auxilia evocavit: reliquis oppidi partibus sic est pugnatum, ut aequo proelio discederetur, et neutri pellerentur (id efficiebant angustiae loci:) paucisque utrimque interfectis, Caesar loca maximè necessaria complexus, noctu praemunit: hoc tractu oppidi pars erat regiae exigua, in quam ipse habitandi causâ initio erat inductus, et theatrum conjunctum domui, quod arcis tenebat locum, aditusque habebat ad portum, et ad reliqua navalia. Has munitiones insequentibus auxit diebus, ut pro muro objectas haberet, neu pugnare invitus cogeretur. [2] Interim filia minor Ptolemaei regis vacuam possessionem regni sperans, ad Achillam se ex regiâ transjecit, unàque bellum administare coepit. Sed celeriter est inter eos de principatu controversia orta; quae res apud milites largitiones auxit. Magnis enim jacturis sibi quisque eorum animos conciliabat. Haec dum apud hostes geruntur, Pothinus, nutritius pueri et [3] procurator regni, in parte Caesaris, quum ad Achillam nuntios mitteret, [4] hortareturque ne negotio desisteret, neve animo deficeret, indicatis deprehensisque internuntiis, à Caesare est interfectus. Haec initia belli Alexandrini fuerunt.

NOTAE.

1 *Pharum.*] De Pharo insulâ lege Homerum, lib. IV. Odysseae. Strabonem, Lucianum in methodo componendae historiae, Herodianum, lib. IV. Josephum, lib. VI. de bello Judaico, Ammianum, lib. XXII. Plinium, Solinum, qui postremus de Pharo sic habet: *Est et Pharos colonia à Caesare dictatore deducta, ex quâ facibus accensis nocturna dirigitur navigatio. Nam Alexandria insidioso accessu aditur fallacibus vadis, eo mari.* Turris illa aedificata est à Sostrato Cnidio jussu Ptolemaei Philadelphi, ut refert Plinius, lib. XXXVI. cap. 12.

2 *Interim filia minor.*] Arsinoë vacuum regnum fore sperans, si cum Caesare propugnatore vinceretur ab Achilla Ptolemaeus frater.

3 *Procurator regni in parte Caesaris.*] Regnum enim in duas partes divisum videbatur inter Ptolemaeum Cleopatramque conjuges. pro quibus Caesar pugnabat, et Arsinoën pro quâ pugnabat Achillas.

4 *Hortareturque, ne negotio desisteret.*] Lucanus habet epistolam, lib. 10. Sed praecipua caussa belli, teste Dione, quod etsi tunc Caesar utrisque daturus regnum videretur, tamen aliquo post tempore uni Cleopatrae videbatur illud adjudicaturus: intolerabile autem omnibus esse videbatur imperium muliebre. Non prius tamen Pothinus fuit à Caesare occisus, quam Pharo est potitus, ut testatur Lucanus, quae insula et aditum auxiliis praebebat, et mari hostes excludebat.

A. [1] HIRTII
COMMENTARIORUM
DE BELLO ALEXANDRINO
LIBER.

ARGUMENTUM LIBRI.

De bello Alexandrino haec memoriae prodidit Suetonius, quae argumenti vice erunt: Caesar Pompeium fugientem Alexandriam persecutus, ut occisum deprehendit, cum Ptolemaeo rege, à quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit: neque loco, neque tempore aequo, sed hieme anni et intra moenia copiosissimi ac solertissimi hostis, inops ipse rerum omnium atque imparatus. Regnum Aegypti victor Cleopatrae fratrique ejus juniori permisit, veritus provinciam facere, ne quando violentiorem praesidem nacta novarum rerum materia esset. *Praeter hoc tamen bellum, narratur hoc libro Ponticum, quod gessit cum Pharnace; item res in Hispaniâ gestae per Q. Cassium Longinum legatum.*

I. BELLO Alexandrino conflato, Caesar [2] Rhodo, atque ex Syriâ Ciliciâque omnem classem accersit, ex Cretâ sagittarios, equites [3] ab rege Nabathaeorum Malco evocat; tormenta undique conquiri et frumentum mitti, auxiliaque adduci jubet. Interim munitiones quotidie operibus augentur: atque omnes oppidi partes, quae minùs firmae esse viderentur, testudinibus atque musculis [4] aptantur: ex aedificiis autem per foramina in proxima aedificia arietes immittuntur; quantumque aut ruinis dejicitur, aut per vim recipitur loci, in tantum mu-

In hunc librum INTERPRETATIONES *et* NOTAE.

1 *Hirtii.*] Autor qui sit hujus libri, constat ex praefatione libri VIII. de bello Gallico. Fatetur enim Hirtius, *Novissime imperfecta* [Caesaris scripta] *ab rebus gestis Alexandriae confeci usque ad exitum non quidem civilis dissentionis, cujus finem nullum videmus, sed vitae Caesaris.*

3 *Rhodo.*] Rhodus clara maris Mediterranei insula, quae nomen adhuc retinet; de qua supra.

3 *Ab rege Nabathaeorum Malco.*] Nabathaeam Strabo et Plinius Arabiam Petraeam vocant. Gentis genus et nomen à *Nabaioth* primogenito Ismaëlis deductum est. Malcus ille eorum rex, quod Pachoro Parthorum regi auxilia misisset, grandi pecunia à L. Ventidio postea multatus est.

4 *Aptantur.*] Minus apta vox videtur. Sic tamen Virgilius loquitur Aeneidos lib. III.

Interea classem velis aptare jubebat.
Anchises, fieret vento mora ne qua ferentis.

nitiones proferuntur. Nam incendio ferè tuta est Alexandria; [1] quòd sine contignatione ac materiâ sunt aedificia, et structuris atque fornicibus continentur, tectaque sunt [2] rudere aut pavimentis. Caesar studebat maxime, ut, quam angustissimam [3] partem oppidi palus à meridie interjecta efficiebat, hanc operibus [4] vineisque agendis, à reliquâ parte urbis excluderet: [5] illud sperans; primùm, ut, quum esset in duas partes urbs divisa, acies uno consilio atque imperio administraretur: deinde, ut laborantibus succurri, atque ex alterâ oppidi parte auxilium ferri posset. In primis verò, ut aquâ pabuloque abundaret: quarum alterius rei copiam exiguam, alterius nullam omnino facultatem habebat: utrumque palus largè praebere poterat.

II. Neque verò Alexandrinis in gerendis negotiis cunctatio ulla aut mora inferebatur. Nam in omnes partes, per quas fines Aegyptii regnumque pertinet, legatos [6] conquisitoresque, delectûs habendi caussâ, miserant; magnumque numerum in oppidum telorum atque tormentorum convexerant, et innumerabilem multitudinem adduxerant. Nec minùs in urbe maximae armorum erant institutae officinae. Servos praeterea puberes armaverant: quibus domini locupletiores victum quotidianum stipendiumque praebebant. Hâc multitudine dispositâ, munitiones semotarum partium tuebantur. Veteranas cohortes [a] vacuas in celeberrimis urbis locis habebant: ut, quâcumque regione pugnaretur, integris viribus ad auxilium ferendum opportunae essent, Omnibus viis atque angiportis triplicem vallum obduxerant. Erat autem quadrato extructus saxo, nec minus XL pedes altitudinis habebat. Quaeque partes urbis inferioris erant, has altissimis turribus denorum tabulatorum muniêrant. Praeterea alias ambulatorias totidem tabulatorum confixerant; subjectisque eas rotis, funibus jumentisque (objectis,) directis plateis in quamcumque erat visum partem movebant.

III. Urbs fertilissima et copiosissima omnium rerum apparatus suggerebat. Ipsi homines ingeniosissimi atque acutissimi, quae à nobis fieri viderant, eâ solertiâ efficiebant, ut nostri illorum opera imitari viderentur: et suâ sponte multa reperiebant: unoque tempore et nostras munitiones infestabant, et suas defendebant. Atque haec

INTERPRETATIO.

a *Otiosas.*

NOTAE.

1 *Quod sine contignatione ac materia.*] Materia est lignum. Unde materia, ire lignatum.

2 *Rudere.*] Rudus est materia pavimenti, nempe saxa recens contusa, feu testae contracte cum calce. Vitruvius lib. VII. *Tunc super stratum duces rudus*, id est, *saxa contusa duabus partibus et una calcis temperatae constitues.*

3 *Partem oppidi palus*, &c.] Palus est Mareotis, aqua dulci constans, quae à meridie circumdat Alexandriam, crescit ex multis Nili fossis et supra et à lateribus influentibus, ut ait Strabo, lib. VII.

4 *Vineisque.*] De vineis supra.

5 *Illud sperans.*] Forte *spectans.* Duo enim manuscripta Thuanae biblioth. habent *exspectans.*

6 *Conquisitoresque.*] Conquisitores ante delectum mittebantur, qui deligendos designarent milites.

principes in conciliis concionibusque agitabant, populum Romanum paullatim in consuetudinem ejus regni venire occupandi: [1] paucis annis antea Gabinium cum exercitu fuisse in Aegypto: Pompeium se ex fugâ eòdem recepisse; ac Caesarem venisse cum copiis: neque morte Pompeii quidquam profectum, quò minùs Caesar apud se commoraretur: quem si non expulissent, [2] futuram ex regno provinciam: idque agendum maturè. Namque eum, interclusum tempestatibus [3] propter anni tempus, recipere transmarina auxilia non posse.

IV. Interim, dissensione ortâ inter Achillam, qui veterano exercitui praeerat, et Arsinoën regis Ptolemaei minorem filiam, ut supra demonstratum est, cum uterque utrique insidiaretur, et summam imperii ipse obtinere vellet; praeoccupat Arsinoë per Ganymedem eunuchum, nutritium suum, atque Achillam interficit. Hôc occiso, ipsa sine ullo socio et custode omne imperium obtinebat. Exercitus Ganymedi transditur. Is, suscepto officio, largitionem in milites auget; reliqua pari diligentiâ administrat.

V. Alexandria est ferè tota suffossa, specusque habet ad [4] Nilum pertinentes, quibus aqua in privatas domos inducitur, quae paullatim spatio temporis liquescit ac subsidit. Hâc uti domini aedificiorum atque eorum familia consueverunt. Nam quae flumine Nilo fertur, adeò est limosa atque turbida, ut multos variosque morbos efficiat. [5] Sed eâ plebs ac multitudo contenta est necessariò, quòd fons urbe totâ nullus est. Hoc tamen flumen in ea parte urbis erat, quae ab Alexandrinis tenebatur. Quo facto est admonitus Ganymedes, posse nostros aquâ intercludi; qui distributi munitionum tuendarum caussâ vicatim ex privatis aedificiis, specubus et puteis extractâ aquâ utebantur.

VI. Hôc probato consilio, magnum ac difficile opus aggreditur. [a] Interseptis enim specubus atque omnibus urbis partibus exclusis, quae ab ipso tenebantur, aquae magnam vim ex mari, rotis ac machinationibus, exprimere contendit. Hanc locis superioribus fundere in

INTERPRETATIO.

a *Interstructis.*

NOTAE.

1 *Paucis annis antea Gabinium,* &c.] Ptolemaeus rex Aegypti, ab Aegyptiis pulsus regno, petiit à Romanis ut per illos in regnum suum restitueretur. Quod et factum est. Berenice et Archelao, qui rerum ibi potiebantur, devictis, anno ab urbe condita DCXCIX, septennio scilicet ante hoc Alexandrinum bellum.

2 *Futuram ex regno provinciam.*] Populi Romani scilicet. Quod fiebat cum ademptis legibus, magistratus Romanus mittebatur, vectigaliaque imponebantur.

3 *Propter anni tempus.*] Hibernum, quod est à Suetonio dictum.

4 *Nilum.*] Nilus fluviorum maximus, qui suâ exundatione totam Aegyptum foecundat. Nam Aegyptus per tantum spatium colitur, quantum exundat ille. Cum vero exundat, perque agros feratur, ille, non potest non turbida ejus aqua fieri. Illius exundationis caussa diu torsit Philosophos, latuitque, quamdiu latuit fons Nili, ad quem nemo pervenerat. Sed navigatio cum his temporibus omnia pervia fecerit, cognitum est tandem statis imbribus in Aethiopia, circa ineuntem Maium mensem crescere fluvium illum, neque nisi medio Junio propter cursûs longitudinem ejusmodi incrementa in Aegypto posse percipi.

5 *Sed ea plebes.*] Plebs. Sic etiam Sallustius loquitur.

partem Caesaris non intermittebat. Quamobrem salsior paullo praeter consuetudinem aqua trahebatur ex proximis aedificiis, magnamque hominibus admirationem praebebat, quam ob causam id accidisset; nec satis sibi ipsi credebant, quum se inferiores ejusdem generis ac saporis aquâ dicerent uti, atque antè consuêssent: vulgòque inter se conferebant, et degustando, quantum inter se differrent aquae, cognoscebant. Parvo verò temporis spatio, haec propior bibi non poterat omnino, illa inferior corruptior jam, salsiorque reperiebatur.

VII. Quo facto dubitatione sublatâ, tantus incessit timor, ut ad extremum casum omnes deducti viderentur; atque alii morarii Caesarem dicerent, quin naves conscendere juberet; alii multò graviorem extimescerent casum, quod neque celari Alexandrinos possent in apparandâ fugâ, quum hi tam parvo spatio distarent ab ipsis; neque, illis imminentibus atque insequentibus, ullus in naves receptus daretur. Erat autem magna multitudo oppidanorum in parte Caesaris, quam domiciliis ipsorum non moverat; quòd ea se fidelem palàm nostris esse simulàbat, et descivisse à suis videbatur, [1] ut, si mihi defendendi essent Alexandrini, quòd neque fallaces essent, neque temerarii, multa oratio frustra absumeretur. Quum verò uno tempore et natio eorum et natura cognoscatur; aptissimum esse hoc genus ad proditionem, nemo dubitare potest.

VIII. Caesar suorum timorem consolatione et ratione minuebat. Nam puteis fossis aquam dulcem posse reperiri affirmabat. Omnia enim littora naturaliter aquae dulcis venas habere. Quod si alia esset littoris Aegyptii natura atque omnium reliquorum; tamen, quoniam mare liberè tenerent, neque hostes classem haberent, prohiberi sese non posse, quò minùs quotidie aquam navibus peterent, vel à sinistra parte à [2] Paraetonio, vel à dextra [3] ab insulâ; quae diversae navigationes nunquam uno tempore adversis ventis praecluderentur: fugae verò nullum esse consilium, non solùm iis, [a] qui primam dignitatem haberent, sed ne iis quidem qui nihil praeterquam de vitâ cogitarent: magno negotio impetus hostium adversos ex munitionibus sustineri: quibus relictis, nec loco, nec numero pares esse posse; magnam autem moram et difficultatem adscensum in naves habere, praesertim ex scaphis: summam esse contrâ in Alexandrinis velocitatem, locorumque et aedificiorum notitiam. Hos praecipuè in victoriâ insolentes, praecursuros, et loca excelsiora atque aedificia occupaturos: ita fugâ navibusque nostros prohibituros. Proinde ejus consilii obliviscerentur, atque omni ratione esse vincendum cogitarent.

INTEEPRETATIO.

a *Qui praeferrent honorem* omnibus rebus.

NOTAE.

1 *Ut si mihi defendendi essent Alexandrini.*] Locus sine dubio corruptus. Variant MSS. sed vix sani quicquam potest ex iis elici.

2 *Paraetonio.*] Paraetonium urbs Aegypti, quae et portum habet ad ostium Canopicum. Hodie *Porto Rassa.*

3 *Ab insulâ.*] Haec insula est Pharos, de quâ commemoravit in fine superioris libri.

IX. Hâc oratione apud suos habitâ, atque omnium mentibus excitatis, dat centurionibus negotium, ut, reliquis operibus intermissis, ad fodiendos puteos animum conferant; neve quam partem nocturni temporis intermittant. Quo suscepto negotio, atque omnium animis ad laborem incitatis, magna unâ nocte vis aquae dulcis inventa est. Ita operosis Alexandrinorum machinationibus maximisque conatibus, non longi temporis labore, occursum est. Eo biduo legio XXXVII ex dedititiis Pompeianis militibus, cum frumento, armis, telis, tormentis, imposita in naves à Domitio Calvino, ad littora Africae paullò supra Alexandriam, delata est. Hae naves Euro, qui multos dies continenter flabat, portum capere prohibebantur. Sed loca sunt egregia omni illa regione ad tenendas anchoras. Hi, quum diu retinerentur, atque aquae inopiâ premerentur, navigio actuario Caesarem faciunt certiorem.

X. Caesar, ut per se consilium caperet, quid faciendum videretur, navim conscendit, atque omnem classem sequi jussit, nullis nostris militibus impositis, quòd, quum longiùs paullò discederet, munitiones nudare nolebat, quamque ad eum locum accessisset, qui appellatur [1] Cherrhonesus, aquandique caussâ remiges in terram exposuisset, nonnulli ex numero, quum longiùs à navibus praedatum processissent, ab equitibus hostium sunt excepti: ex iis cognoverunt, Caesarem ipsum in classe venisse, nec ullos milites in navibus habere. Quâ re compertâ, magnam sibi facultatem fortunam obtulisse benè gerenda rei crediderunt. Itaque naves omnes, quas paratas habuerant ad navigandum, propugnatoribus instruxerunt, Caesarique redeunti cum classe occurrerunt; qui duabus de caussis eo diei dimicare nolebat; quòd et nullos milites in navibus habebat, et post horam X diei res agebatur; nox autem allatura videbatur majorem fiduciam illis, qui locorum notitiâ confidebant: sibi etiam hortandi suos auxilium defuturum; quod nulla satis idonea esset hortatio, quâ neque virtutem posset notare neque inertiam. Quibus de caussis naves, quas potuit, Caesar ad terram detrahit; quem in locum illos successuros non existimabat.

XI. Erat una navis Rhodia, in dextro Caesaris cornu, longè ab reliquis collocata. Hanc conspicati hostes, non tenuerunt sese; magnoque impetu IV ad eam constratae naves, et complures apertae contenderunt. Cui coactus est Caesar ferre subsidium, ne turpiter in conspectu contumeliam acciperet; quamquam, si quid gravius illi accidisset, [2] meritò casurum judicabat. Proelium commissum est magnâ contentione Rhodiorum, qui quum in omnibus dimicationibus et scientiâ et virtute praestitissent, tum maximè illo tempore totum onus sustinere non recusabant; ne quod suorum culpâ detrimentum

NOTAE.

1 *Cherrhonesus.*] Magnam Cherrhonesum supra Alexandriam occasum versus constituit Ptolemaeus, lib. IV. cap. 18. VI aut VII leucis abest de Alexandria, vocaturque *Bosire.* Ubi antiqua urbs Busiris olim posita, cujus nunc visuntur moenia vacua. Cherrhonesus porro Graece peninsula est, quo nomine multae terrae designantur.

2 *Merito casurum judicabat.*] Quod scilicet se à reliquis longius segregârat.

acceptum videretur. Ita proelium secundissimum est factum. Capta est una hostium quadriremis: depressa est altera. [1] Deinde omnes epibatis nudatae: magna praeterea multitudo in reliquis navibus propugnatorum est interfecta. Quod nisi nox proelium diremisset, totâ classe hostium Caesar potitus esset. Hâc calamitate perterritis hostibus, adverso vento leniter flante, naves onerarias Caesar [2] remulco victricibus suis Alexandriam deducit.

XII. Eò detrimento adeò sunt fracti Alexandrini, quum non jam virtute propugnatorum, sed scientiâ classiariorum se victos viderent. [3] * Quibus, et superioribus locis sublevabantur, ut ex aedificiis defendi possent: et materiam cunctam objicerent, quòd nostrae classis oppugnationem etiam ad terram verebantur. Iidem, postea quam Ganymedes in consilio confirmavit, sese et eas, quae essent amissae, restituturum, et numerum adaucturum, magnâ spe et fiduciâ veteres reficere naves, accuratiùsque huic rei studere atque inservire instituerunt: ac, tametsi amplius CX navibus longis in portu navalibusque amiserant, non tamen reparandae classis cogitationem deposuerunt. Videbant enim non auxilia Caesari, non commeatus supportari posse, si classe ipsi valerent. Praeterea nautici homines, et urbis et regionis maritimae, quotidianoque usu à pueris exercitati, ad naturale ac domesticum bonum refugere cupiebant; et, quantum parvulis navigiis profecissent, sentiebant: itaque omni studio ad parandam classem incubuerunt.

XIII. Erant [4] omnibus ostiis Nili custodiae exigendi portorii caussâ dispositae. Naves veteres erant in occultis regiae navalibus, quibus multis annis navigandum non erant usi. Has reficiebant; illas Alexandriam revocabant. Deerant remi: porticus, gymnasia, aedificia publica detegebant: asseres remorum usum obtinebant. Aliud naturalis solertia, aliud urbis copia subministrabat. Postremò non longam navigationem parabant; sed praesentis temporis necessitati serviebant, et in ipso portu confligendum videbant. Itaque paucis diebus, contra omnium opinionem, quadriremis XXII, quinqueremes V confecerunt; ad has minores apertasque complures adjecerunt: et, in portu periclitati remigio, quid quaeque earum efficere posset, idoneos milites imposuerunt, seque ad confligendum omnibus rebus paraverunt. Caesar Rhodias naves IX habebat; (nam, X missis, una in cursu littore Aegyptio defecerat) Ponticas VIII, [5] Lycias V, ex

NOTAE.

1 *Deinde omnes epibatis nudatae.*] Epibatae vox Graeca quae *ascensores* significat. Turnebus legit: *Duae omnibus epibatis nudatae*, bene mea quidem sententiâ. Adjuvat hanc conjecturam quod duo MSS. Thuanae bibliothecae habent *omnibus*. Nihil autem est facilius, quam ex *duae* factum esse *deinde*.

2 *Remulco.*] De remulco supra dictum.

3 * *Quibus et superioribus locis.*] Magna lacuna, quae sit ope cujusdam exemplaris hactenus invisa explenda, qua fortasse commemoratum fuerat incendium illud, quo compulsus est periculum propulsare, quo incendio magna bibliotheca conflagravit, teste Plutarcho in Caesare.

4 *Omnibus ostiis Nili.*] Sunt septem ostia Nili.

5 *Lycias.*] Lycia Asiae regio, in qua sunt Xanthus et Patara urbes Lycios laudat Strabo, quod cum essent mari potentes, et XXIII urbes haberent et naves, vicinique essent

Asia XII. [1] Ex his quinqueremes V erant, et quadriremes X. Reliquae infra hanc magnitudinem, et pleraeque apertae. Tamen virtute militum confisus, cognitis hostium copiis, se ad dimicandum parabat.

XIV. Postquam eò ventum est, ut sibi uterque eorum confideret; Caesar Pharon classe circumvebitur, adversasque naves hostibus constituit: in dextro cornu Rhodias collocat, in sinistro Ponticas. Inter has spatium CD passuum relinquit, quod satis esse ad explicandas naves videbatur. Post hunc ordinem reliquas naves subsidio distribuit; quae quamque earum sequatur, et cui subveniat, constituit atque imperat. Non dubitanter Alexandrini classem producunt, atque instruunt: in fronte collocant XXII. Reliquas subsidiarias in secundo ordine constituunt. Magnum praeterea numerum minorem navigiorum et scapharum producunt cum [2] malleolis ignibusque; si quid ipsa multitudo, et clamor, et flamma nostris terroris afferre possent. Erant inter duas classes vada transitu angusto, quae pertinet ad regionem Africae. [3] Sic enim praedicant, partem esse Alexandriae dimidiam Africae. Satisque diu inter ipsos est expectatum, ab utris transeundi fieret initium: propterea quod, eò qui intrâssent, et ad explicandam classem, et ad receptum, si durior accidisset casus, impeditiores fore videbantur.

NOTAE.

Cilicibus qui piraticam exercebant, nullo tamen turpis lucri amore in maleficium impulsi sunt. Unde illis contigerit, Romanorum permissu patrias leges et libertatem retinuisse, jampridem deletis Cilicibus à Servilio Isaurico et Pompeio Magno.

1 *Ex his quinqueremes.* &c.] Naves quae V et IV remorum ordinibus agebantur. Sed quoniam ejusmodi ordinum non semel mentio fiet, sciendum primas naves uno fuisse ordine remorum contentas, deinde hominum industria res augente, duos ordines remorum inventos, inde res ordines, tum quatuor, postea quinque. *Dicrota* Graeco nomine, et *biremes*, Latino dictae sunt quae binis ordinibus remorum agebantur, quae ternis, *triremes*, quae quaternis, *quadriremes*, quae quinis, *quinquiremes*, et sic de aliis. Nam sensim res usque eo increvit, ut naves non jam differrent à domo stabili, quod ad usum pertinet. Illi autem ordines erant alii aliis superiores, quod cum ex numismatis intelligitur, tum ex aliquot autorum locis. Declarat potissimum ille Livii XIII. decl. l. x. *Classis Punica ad Uticam stationem habebat. Ex eâ tres quadriremes, seu clam misso à Carthagine nuntio uti fieret, seu Asdrubale qui classi praeerat sine publicâ fide auso facinus, quinqueremem Romanam superantem promontorium ex alto repente aggressae sunt. Sed neque rostro ferire celeritate subterlabentem poterant, neque transilire armati ex humilioribus in altiorem navem, et defendebatur egregie quoad tela suppeditarunt.* Quo ex loco intelligitur quinqueremes fuisse altiores, quia plures erant ordines alii aliis superiores et inferiores, item fuisse celeriores quia plures habebant remos.

2 *Malleolis ignibusque.*] Malleolus sic ab Ammiano Marcellino describitur, lib. IV. cap. 18. *Malleoli teli genus figuratur hac specie. Sagitta est cannea inter spiculum et arundinem multifido ferro coagmentata, quae in muliebris coli formam, quo nentur lintea stamina, concavatur, ventre subtiliter et plurifariam patens, atque in alveo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento, et sic emissa lentius arcu invalido ignitur (ictu enim rapidiore extinguitur) si haeserit usquam, tenaciter cremat, aquisque conspersa acriores excitat aestus incendiorum, nec remedio ullo quam superposito pulvere consopitur.*

3 *Sic enim praedicant*, &c.] Qui terram in partes tres diviserant, Europam ab Asiâ et Africâ mari Mediterraneo disterminarant: Asiam vero ab Africâ flumine Nilo, quod cum plura habeat ostia, sitque illud ad occidentem, quod Canopicum dicitur, juxta quod est Alexandria, jure à Plinio lib. V. cap. 10. in parte Africae dicitur condita.

XV. Rhodiis navibus praeerat Euphranor, animi magnitudine ac virtute magis cum nostris hominibus, quàm cum Graecis, comparandus. Hic ob notissimam scientiam atque animi magnitudinem delectus est ab Rhodiis, qui imperium classis obtineret. Qui, ubi Caesaris animum advertit; Videris mihi, inquit, Caesar, vereri, si haec vada primus navibus intraveris, ne prius dimicare cogaris, quàm reliquam classem possis explicare. Nobis rem committe, nos proelium sustinebimus, (neque tuum judicium fallemus) dum reliqui subsequantur. Hos quidem diutius in nostro conspectu gloriari magno nobis et dedecori et dolori est. Caesar illum adhortatus, atque omnibus laudibus prosecutus, dat signum pugnae. Progressas ultra vadum IV Rhodias naves circumsistunt Alexandrini, atque in eas impetum faciunt. Sustinent illi, atque arte solertiâque se explicant: ac tantum doctrina potuit, ut in dispari numero nulla transversa hosti objiceretur, nullius remi detergerentur, sed semper venientibus adversae occurrerent. Interim sunt reliquae subsecutae. Tum [1] necessariò discessum ab arte est propter angustias loci, atque omne certamen in virtute constitit. Neque verò Alexandriae fuit quisquam aut nostrorum, aut oppidanorum, qui aut in opere, aut in oppugnatione occupatum animum haberet, quin altissima tecta peteret, [a] atque ex omni prospectu locum spectaculo caperet, precibusque et votis victoriam [2] suis ab Diis immortalibus exposceret.

XVI. Minimè autem erat par proelii certamen. [3] Nostris enim prorsus neque terrâ neque mari effugium dabatur victis: [4] omniaque victoribus erant futura in incerto. Illi, si superâssent navibus, omnia tenerent; si inferiores fuissent, reliquam tamen fortunam periclitarentur. Simul illud grave ac miserum videbatur, perpaucos de summâ rerum ac de salute omnium decertare: quorum si quis aut animo aut virtute cessisset, reliquis etiam esset cavendum, quibus pro se pugnandi facultas non fuissent. Haec superioribus diebus saepenumero Caesar suis exposuerat, ut hoc majori animo contenderent, quod omnium salutem sibi commendatam viderent. Eadem suum quisque contubernalem, amicum, notum prosequens erat obtestatus, ne suam atque omnium falleret opinionem, quorum judicio delectus ad pugnam proficisceretur. Itaque hoc animo est decertatum, ut neque maritimis nauticisque solertia atque ars praesidium ferret: neque

INTERPRETATIO.

a *Undecumque poterat prospici caperet locum ad spectandum* proelium.

NOTAE.

1 *Necessario discessum ab arte est.*] Regendarum navium.

2 *Suis ab Diis immortalibus exposceret.*] Non ut supra de Massiliensibus in lib. II. de bello civili, *ab diis exposceret*, sed *ab suis.* Nam Aegyptiis sui erant Dii, non aliis tantum gentibus communes, sed aliis etiam gentibus exosi. Virgilius.

Omnigenûmque Deûm monstra, et latrator Anubis.

3 *Nostris enim prorsus*, &c.] Quia plures hostes quam amici.

4 *Omniaque victoribus erant futura in incerto.*] Quia plura adhuc vincenda pericula.

5 *Maritimis*, &c.] Supple *Alexandrinis.* In hac enim arte solertes supra dicti sunt.

numero navium praestantibus multitudo prodesset, [1] neque flexi ad virtutem ex tantâ multitudine viri virtuti nostrorum possent adaequari. Capitur hoc proelio quinqueremis una, et biremis cum defensoribus remigibusque; et deprimuntur tres, nostris incolumibus omnibus. Reliquae [2] propinquam fugam ad oppidum capiunt; quas protexerunt ex molibus atque aedificiis imminentibus, et nostros adire propiùs prohibuerunt.

XVII. Hoc ne sibi saepius accidere posset, omni ratione Caesar contendendum existimavit, [3] ut insulam molemque ad insulam pertinentem in suam redigeret potestatem. Perfectis enim magna ex parte munitionibus in oppido, et illam, et urbem uno tempore tentari posse confidebat. Quo capto concilio, cohortes x, et levis armaturae electos, quos idoneos ex equitibus Gallis arbitrabatur, in navigia minora scaphasque imponit: [4] alteram insulae partem distinendae manûs caussa cum constratis navibus aggreditur, praemiis magnis propositis, qui primus insulam cepisset. At primò impetum nostrorum pariter sustinuerunt. Uno enim tempore et ex tectis aedificiorum propugnabant, et littora armati defendebant, quo propter asperitatem loci non facilis nostris aditus dabatur: et scaphis navibusque longis v [5] mobiliter et scienter angustias loci tuebantur. Sed ubi locis primum cognitis, vadisque pertentatis, pauci nostri in littore constiterunt; atque hos sunt alii subsecuti; [6] constanterque in eos, qui in littore aequo institerant, impetum fecerunt: omnes Pharitae terga verterunt. His pulsis, custodiâ portûs relictâ, ad littora et vicum applicaverunt; seque ex navibus ad tuenda aedificia ejecerunt.

XVIII. Neque vero diutiùs ipsi [ex] munitione se continere potuerunt. Etsi erat non dissimile, atque Alexandriae, genus aedificiorum (ut minora majoribus conferantur:) [a] turresque editae et conjunctae muri locum obtinebant: neque nostri aut scalis aut cratibus, aut reliquis rebus parati venerant ad oppugnandum, sed terror hominibus mentem consiliumque eripit, et membra debilitat; ut tunc accidit. Qui se in aequo loco ac plano pares esse confidebant, iidem perterriti fugâ suorum, et caede paucorum, xxx pedum altitudine in

INTERPRETATIO.

a *Et turres altae et continentes pro muro erant.*

NOTAE.

1 *Neque flexi ad virtutem*, &c.] MS. Victorinum habet: *Neque flecti ad virtutem ex tantâ multitudine hostium, neque virtutes nostrorum possent adaequare.*

2 *Propinquam.*] MS. Victorinum unum, unum item Thuanum habent *propinquum*, quod melius videtur.

3 *Ut insulam molemque*, &c.] De quibus supra in fine primi libri.

4 *Alteram insulae partem*, &c.] Cum in superiore libro Pharon à se occupatam Caesar scripserit, versimile est non tota insula fuisse potitum, sed partem aliquam in hostium remansisse potestate, ut ex iis quae sequuntur videre licet.

5 *Mobiliter et scienter angustias loci turbantur.*] Has nempe angustias quas moles in altum jacta efficiebat, quas supra angustum iter vocat.

6 *Constanterque.*] Statariam pugnam pugnantes, non mobilem et incertam, ut in mari.

aedificiis consistere ausi non sunt, seque per molem in mare praecipitaverunt, et DCCC passuum intervallum ad oppidum enataverunt. Multi tamen ex iis capti interfectique sunt: sed numerus captivorum omnino fuit DC.

XIX. Caesar, praedâ militibus concessâ, aedificia diripi jussit: [1] castellumque ad pontem, qui propior erat Pharo, communivit: atque ibi praesidium posuit. Hunc fugâ Pharitae reliquerant; fortiorem illum, propioremque oppido Alexandrini tuebantur. Sed eum postero die simili ratione aggreditur; quod, his obtentis duobus, omnem navigiorum excursum et repentina latrocinia sublatum iri videbatur. Jamque eos, qui praesidio eum locum tenebant, tormentis è navibus sagittisque depulerat, atque in oppidum redegerat; et cohortium III instar in terram exposuerat. Non enim plures consistere angusiae loci patiebantur. Reliquae copiae in navibus stationem obtinebant. Quo facto imperat pontem adversus hostem praevallari, et, qua exitus navibus erat, fornice extructo, quo pons sustinebatur, lapidibus oppleri atque obstrui: [2] quorum altero opere effecto, nulla omnino scapha egredi posset: altero instituto, omnes Alexandrinorum copiae ex oppido se ejicere, et contra munitiones pontis latiore loco constiterunt; eodemque tempore, quae consueverant navigia per pontes [3] ad incendia onerariarum emittere, ad molem constituerunt. Pugnabatur à nostris ex ponte, ex mole; ab illis ex areâ, quae erat adversus pontem, et ex navibus contra molem.

XX. In his rebus occupato Caesare, militesque hortante, remigum magnus numerus et classiariorum ex longis navibus nostris in molem se ejecit. Pars eorum studio spectandi ferebatur: pars etiam cupiditate pugnandi. Hi primum navigia hostium lapidibus ac fundis à mole repellebant; ac multum proficere multitudine telorum videbantur. Sed postquam ultra eum locum ab latere eorum aperto ausi sunt egredi ex navibus Alexandrini pauci, ut sine signis certisque ordinibus, sine ratione prodierant, sic temere in naves refugere coeperunt. Quorum fugâ incitati Alexandrini ex navibus egrediebantur, nostrosque acriùs perturbatos insequebantur. [4] Simul qui in navibus longis remanserant, [5] scalas rapere, navesque à terrâ repellere properabant; ne hostes navibus potirentur. Quibus omnibus rebus perturbati milites nostri cohortium trium, quae in ponte, ac primâ mole constiterant, quum post se clamorem exaudirent, fugam suorum viderent, magnam vim telorum adversi sustinerent, veriti ne ab tergo circumvenirentur, et discessu navium omnino reditu intercluderentur, mu-

NOTAE.

1 *Castellumque ad pontem*, &c.] Supra dictum est à Caesare Pharum insulam ponte cum oppido conjungi. Hirtius vero in parte pontis quae propior erat Pharo, praesidium à Caesare fuisse constitutum dicit.

2 *Quorum altero opere effecto.*] Scilicet pontis fornice oppleto.

3 *Ad incendia onerariarum.*] Supple *Romanarum.*

4 *Simul qui in navibus longis remanserant.*] Romanis.

5 *Scalas rapere.*] Quibus in naves ascenditur, ne iis utantur hostes ad ascensum.

nitionem in pontem institutam reliquerunt, et magno cursu incitati ad naves contenderunt. Quorum pars proximas nacta naves multitudine hominum atque onere depressa est: pars resistens et dubitans, quid esset capiendum consilii, ab Alexandrinis interfecta est: nonnulli feliciore exitu expeditas ad anchoram naves consecuti incolumes discesserunt: [1] pauci allevati scutis, et animo ad conandum nixi, ad proxima navigia adnatârunt.

XXI. Caesar, quoad potuit, cohortando suos ad pontem et munitiones contendere, eodem in periculo versatus est: postquam universos cedere animadvertit, in suum navigium se recepit. Quo multitudo hominum insecuta quum irrumperet, neque administrandi neque repellendi à terrà facultas daretur; fore, quod accidit, suspicatus, sese ex navigio ejecit, atque ad eas, quae longius constiterant, [2] naves adnatavit. Hinc suis laborantibus subsidio scaphas mittens, nonnullos conservavit. Navigium quidem ejus multitudine depressum militum, unà cum hominibus interiît. Hoc proelio desiderati sunt ex eo numero legionariorum militum circiter CD, et paullo ultra eum numerum classiarii et remiges. Alexandrini eo loco castellum magnis munitionibus, multisque tormentis confirmaverunt, atque, [3] egestis ex mari lapidibus liberè sunt usi postea ad mittenda navigia.

XXII. Hoc detrimento milites nostri tantum abfuerunt ut perturbarentur, ut incensi potiùs atque incitati magnas accessiones fecerint in operibus hostium expugnandis, in proeliis quotidianis, quandocumque fors obtulerat procurrentibus et erumpentibus Alexandrinis [4] * manum comprehendi multùm operibus, et ardentibus studiis militum; nec divulgata Caesaris cohortatio subsequi legionum aut laborem, aut pugnandi poterat cupiditatem: ut magis deterrendi et continendi à periculosissimis essent dimicationibus, quàm incitandi ad pugnandum.

XXIII. Alexandrini, quum Romanos et secundis rebus confirmari, et adversis incitari viderent, neque ullum belli tertium casum nôssent, quo possent esse firmiores; ut conjecturâ consequi possumus, aut admoniti à regis amicis, qui in Caesaris erant praesidiis, aut suo priore consilio, per occultos nuntios regi probato; legatos ad Caesarem miserunt, ut dimitteret regem, transireque ad suos pateretur: paratam enim omnem multitudinem esse confectam taedio puellae, [5] fiduciario regno, dominatione crudelissimâ Ganymedis, facere id quod rex imperâsset; quo si auctore in Caesaris fidem amicitiamque venturi essent, nullius periculi timorem multitudini fore impedimento, quo minus se dederent.

NOTAE.

1 *Pauci allevati scutis.*] Ex Polybio enim latitudo scuti Romani erat IV pedum cum dimidio, longitudo vero IV pedum.

2 *Naves adnatavit.*] Suetonius tradit per CC passus natasse elata laeva, ne libelli quos tenebat manu madefierent, item tracto paludamento, ne hostis haberet.

3 *Egestis ex mari lapidibus.*] Quibus ob structis erat fornix.

4*]Lacuna manifestá quam vetustas intulit.

5 *Fiduciario regno.*] Fiduciarium est quod tuae fidei mandatum est ad tempus. Tale enim erat regnum Arsinoës, quod erat redditura controversia inter fratrem et Cleopatrem sororem composita.

XXIV. Caesar, etsi fallacem gentem, semperque alia cogitantem, alia simultantem, bene cognitam habebat, tamen petentibus dare veniam utile esse statuit: quod si quo pacto sentirent ea, quae postularent, mansurum in fide dimissum regem credebat; sin, id quod magis illorum naturae conveniebat, ducem ad bellum gerendum regem habere vellent, [1] splendidiùs atque honestiùs sese contra regem, quàm contra [2] convenarum ac fugitivorum manum, bellum esse gesturum. Itaque regem cohortatus, ut consuleret regno paterno, parceret praeclarissimae patriae, quae turpissimis incendiis et ruinis esset deformata, cives suos primùm ad sanitatem revocaret, deinde conservaret, fidem populo Romano sibique praestaret; quum ipse tantum ei crederet, ut ad hostes armatos eum mitteret: dextrâ dextram tenens, dimittere coepit adultâ jam aetate puerum. At regius animus disciplinis fallacissimis eruditus, ne à gentis suae moribus degeneraret, flens orare contra Caesarem coepit, ne se dimitteret. Non enim regnum ipsum sibi conspectu Caesaris esse jucundius. Compressis pueri lacrymis, Caesar ipse commotus celeriter, si illa sentiret, fore eum secum affirmans, ad suos dimisit. Ille [3] ut ex carceribus in liberum cursum emissus, adeo contra Caesarem acriter bellum gerere coepit, ut lacrymas, quas in colloquio projecerat, gaudio videretur profudisse. Accidisse hoc complures Caesaris legati, amici, centuriones militesque laetabantur; quod nimia bonitas ejus fallaciis pueri elusa esset: quasi vero id Caesar bonitate tantum adductus, ac non prudentissimo consilio fecisset.

XXV. Quum duce assumto Alexandrini nihilo se firmiores factos, aut languidiores Romanos animadverterent; eludentibusque militibus regis aetatem atque infirmitatem, magnum dolorem acciperent, neque se quidquam proficere viderent: tumoresque exsisterent, ma-

NOTAE.

1 *Splendidius atque honestius sese contra regem*, &c.] Dio aliam causam commemorat his verbis: Ὁ οὖν Καῖσαρ ἐνόμισε μὲν ἢ ὡς ἀληθῶς αὐτοὺς μεταβεβλῆσθαι (ἄλλως τε γὰρ καὶ δειλοὺς καὶ ὀξυῤῥόπους ὄντας ᾔκουε, καὶ τότε πρὸς τὰ πταίσματα καταπεπληγμένους ᾔσθετο) εἰ δὲ δὴ καὶ τεχνάζοιντό τι, ἀλλ' ὅπως μὴ διὰ τοῦτ' ἐμποδίζων τὴν εἰρήνην νομισθῇ, συνεπαινεῖν τε σφίσιν ἔφη, καὶ τὸν Πτολεμαῖον ἔπεμψεν· οὐδὲ γὰρ ἐν ἐκείνῳ τι ἰσχυρὸν ἔκ τε τῆς ἡλικίας καὶ ἐκ τῆς ἀπαιδευσίας ἐνεώρα ὄν· καὶ τοὺς Αἰγυπτίους ἤτοι συναλλαγήσεσθαι οἱ ἐφ' οἷς ἐβούλετο, ἢ δικαιότερον καὶ καταπολεμηθήσεσθαι καὶ καταστραφήσεσθαι ἤλπισεν, ὥστε ἀπ' εὐλόγου δή τινος προφάσεως τῇ Κλεοπάτρᾳ παραδοθῆναι· οὐ γὰρ ἡττηθήσεσθαι ποτὲ ὑπ' αὐτῶν ἄλλως τε καὶ τῆς δυνάμεως προσγεγενημένης προσεδόκησε. *Caesar revera eos sententiam mutasse (quippe audierat homines esse timidos levique momento mutabiles) acceptis cladibus consternatos, censebat. Ac, si quid dolo agerent, tamen, ne pacem impedire videretur, illis se assentiri dixit et Ptolemaeum dimisit; nam in eo nihil esse virium tum ob aetatem, tum quia male fuerat institutus, videbat, ita vero fore, ut aut suis conditionibus quas ferret, Aegyptii facere pacem cogerentur, aut se justiorem eos debellandi subigendique nacturum occasionem. Unde probabilior eos Cleopatrae tradendi causa extaret, non enim ne ab ipsis vinceretur verebatur, praesertim auctus exercitu.*

2 *Convenarum.*] Convenae sunt promiscui populi in unum urbem undique convenientes et ibi coalescentes.

3 *Ut ex carceribus*, &c.] Metaphora deducta à septis illis, unde in ludis equi ad currendum emittebantur. Quae repagula dicebantur carceres.

gna Caesari praesidia, terrestri itinere Syriâ Ciliciâque adduci, quod nondum Caesari auditum erat; interea commeatum, qui nostris mari supportabatur, intercipere statuerunt. Itaque expeditis navigiis, locis idoneis ad [1] Canopum in statione dispositis navibus, insidiabantur nostris commeatibus. Quod ubi Caesari nuntiatum est, classem jubet expediri atque instrui. [2] Praeficitur Tiber. Nero. Proficiscuntur in eâ classe Rhodiae naves, atque in his Euphranor, sine quo nulla unquam dimicatio maritima, nulla etiam parum feliciter confecta erat. At fortuna, quae plerumque eos, quos plurimis beneficiis ornavit, ad duriorem casum reservat, superiorum temporum dissimilis, Euphranorem prosequebatur. Nam quum ad Canopum ventum esset; instructaque utrimque classis conflixisset, et suâ consuetudine Euphranor primus proelium commisisset; et illic triremem hostium perforâsset ac demersisset: proximam longiùs insecutus, parum celeriter insequentibus reliquis, circumventus ab Alexandrinis est: cui subsidium nemo tulit: sive quod in ipso satis praesidii pro virtute ac felicitate ejus putarent esse; sive quod ipsi sibi timebant. Itaque unus ex omnibus eo proelio bene rem gessit, solus cum suâ quadriremi victrice periît.

XXVI. Sub idem tempus [3] Mithridates Pergamenus magnae nobilitatis domi, scientiaeque in bello, et virtutis, fidei dignitatisque in amicitiâ Caesaris, missus in Syriam Ciliciamque initio belli Alexandrini ad auxilia accersenda, [4] cum magnis copiis, quas celeriter et propensissimâ civitatum voluntate et suâ diligentiâ confecerat, itinere pedestri, quo conjungitur Aegyptus Syriae, Pelusium adduxit: idque oppidum firmo praesidio occupatum ab Achillâ propter opportunitatem loci (namque tota Aegyptus maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio, velut claustris, munita existimatur), repente magnis circumdatum copiis, multiplici praesidio pertinaciter propugnantibus, et copiarum magnitudine, quas integras vulneratis defessisque subjiciebat, et perseverantiâ constantiâque oppugnandi, quo die est aggressus, in suam redegit potestatem, praesidiumque ibi suum collocavit.

NOTAE.

1 *Canopum.*] Canopus oppidum ad Heracleoticum Nili ostium. Nunc prope, nec in eodem loco est urbs à mercatoribus celebrata, *Rosette.*

2 *Praeficitur Tiber. Nero.*] Tiber. Nero pater est Tiberii Imperatoris qui Augusto in principatu successit. Hic non parvam operam in hoc bello praestitit. Quapropter in Scipionis locum Pontifex suffectus est, et ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbona et Arelate erant, missus est.

3 *Mithridates Pergamenus.*] Is teste Strabone, lib. XIV. Pergami natus est matre quae Galatarum Tetrarchici erat generis, unde à Mithridate Ponti rege ejus amore capto abductus, ejus ob eam causam fuit concubinus. Unde nomen Mithridates à familiaribus inditum quasi regis filius fuisset. Grandior factus, in amicitiam venit Caesaris, cujus partes in bello civili secutus est, et militiae praemium accepit tetrarchiam Galatiae regnumque Bosphori Cimmerii; sed cum ab Asandro illud regnum possideretur, belloque illud peteret, fuit ab illo, jam Caesare sublato, interfectus.

4 *Cum magnis copiis quas celeriter et propensissima civitatem voluntate et sua diligentia confecerat.*] Josephus, lib. XIV. hist. magnas copias ab Hircano Judaeorum rege missas duce Antipatro Herodis regis patre ad Caesarem scribit, quorum magni in hoc bello fuisse quoque operam testatur.

Inde re bene gestâ Alexandriam ad Caesarem contendit; omnesque eas regiones, per quas iter faciebat, auctoritate eâ quae plerumque adest victori, pacârat, atque in amicitiam Caesaris redegerat.

XXVII. Locus est ferè regionum illarum nobilissimus, non ita longè ab Alexandriâ, qui nominatur [1] Delta, quod nomen à similitudine litterae cepit. Nam pars quaedam fluminis Nili, [mirè] derivata inter se, duobus itineribus paullatim, medium inter se spatium relinquens, diversissimo ad littus intervallo [à] mari conjungitur. Cui loco quum appropinquare Mithridatem rex cognovisset; et transeundem ei flumen sciret; magnas adversus eum copias misit, quibus vel superari delerique Mithridatem, vel sine dubio retineri posse credebat. Quemadmodum autem optabat eum vinci, sic satis habebat interclusum à Caesare à se retineri. Quae primae copiae flumen à Deltâ transire, et Mithridati occurrere potuerunt, proelium commiserunt, festinantes praeripere subsequentibus victoriae societatem. Quorum impetum Mithridates magnâ cum prudentiâ, consuetudine nostrâ castris vallatis, sustinuit. Quum vero incautè atque insolenter succedere eos munitionibus videret; eruptione undique factâ, [2] magnum numerum eorum interficit, quod nisi locorum notitiâ reliqui se texissent, partimque in naves, quibus flumen transiêrant, recipissent, funditus deleti essent. Qui, ut paullulum ab illo timore se recreârunt, adjunctis iis, qui subsequebantur, rursus Mithridatem oppugnare coeperunt.

XXVIII. Mittitur à Mithridate nuntius Caesari, qui rem gestam perferret. [3] Cognoscit ex suis eadem haec accidisse rex Ita pene sub idem tempus et rex ad opprimendum Mithridatem proficiscitur, et Caesar ad recipiendum. Celeriore fluminis Nili navigatione rex est usus, in quâ magnam et paratam classem habebat. Caesar eodem itinere uti noluit; ne navibus in flumine dimicaret: sed circumvectus eo mari, quod Africae partis esse dicitur, sicuti supra demonstravimus, prius tamen regis copiis occurrit, quàm is Mithridatem aggredi posset, eumque ad se victorem incolumi exercitu recepit. Consederat cum copiis rex loco naturâ munito, quòd erat ipse excelsior; [4] planitiâ ex omnibus partibus subjectâ. Tribus autem ex lateribus, variis genere munitionibus tegebatur. Unum latus erat adjectum flumini Nilo; alterum editissimo loco ductum, ut partem castrorum obtineret; tertium palude cingebatur.

XXIX. Inter castra regis et Caesaris iter flumen intercedebat angustum, altissimis ripis; quod in Nilum influebat. Aberat autem

NOTAE.

1 *Delta.*] Ideo multi Graecae litterae vocabulo Deltam appellâvere Aegyptum, ut ait Plinius, lib. v. cap. 9. Sed latius patet ad ea quae potest irrigare. Unde Homerus Aegyptum, Nilum appellat.

2. *Magnum numerum eorum interficit.*] Hoc proelium, seu potius haec proelia (nam duo fuerunt, commemorat Josephus, lib. 14. cap. 16. belli Jud. ubi initium vincendi factum esse tradit à Judaeis, quos Antipater Herodis pater ducebat, ab Hyrcano missus; et locum quidem etiam suâ tempestate *expeditionem Judaeorum* vocari et itinera illis patefacta per Judaeos eum tractum incolentes, quibus ostensae sunt Hyrcani regis litterae.

3 *Cognoscit ex suis eadem haec accidisse rex.*] Ptolemaeus.

4 *Planitia.*] Dicitur planitia et planities, ut supra docuimus.

ab regis castris millia passuum circiter VII. Rex, quum hoc itinere venire Caesarem comperisset, equitatum omnem, expeditosque delectos pedites ad id flumen misit, qui transitu Caesarem prohiberent, et [1] eminùs ex ripis proelium impar inirent. Nullum enim processum virtus habebat, aut periculum ignaviâ subibat. Quae res incendit dolore milites equitesque nostros; quod tam diu pari proelio cum Alexandrinis certaretur. Itaque eodem tempore equites Germani dispersi vada fluminis quaerentes, partim demissioribus ripis flumen transnârunt; et legionarii, magnis arboribus excisus, quae longitudine utramque ripam contingerent, projectis, repentinoque aggere injecto, flumen transiêrunt. Quorum impetum adeo pertimuerunt hostes, ut in fugâ spem salutis collocarent. Sed id frustra. Namque ex eâ fugâ pauci ad regem refugerunt, pene omni reliquâ multitudine interfectâ.

XXX. Caesar, re praeclarissime gestâ, quum subitum adventum suum judicaret magnum terrorem Alexandrinis injecturum, protinùs victor ad regis castra pertendit. Haec quum et opere magno vallata, et loci naturà munita adverteret, confertamque armatorum multitudinem collocatam in vallo videret: lassos itinere, ac proeliando milites ad oppugnanda castra succedere noluit; itaque, non magno intervallo relicto ab hoste, castra posuit. Postero die castellum, quod rex in proximo vico non longè à suis castris muniverat, brachiisque cum opere castrorum conjunxerat, vici obtinendi caussâ, Caesar aggressus, omnibus copiis expugnat; non quòd id minori numero militum consequi difficile factu putaret; sed ut ab eà victorià, perterritis Alexandrinis, protinus, castra regis oppugnaret. Itaque eo cursu, quo refugientes Alexandrinos ex castello in castra sunt milites insecuti, munitionibus successerunt, acerrimèque eminus proeliari coeperunt. Duabus ex partibus aditus oppugnationis nostris dabatur: [2] unâ, quam liberum accessum habere demonstravi; alterâ, quae mediocre intervallum inter castra et flumen Nilum habebat. Maxima et electissima Alexandrinorum multitudo defendebat eam partem, quae facillimum aditum habebat. Plurimum autem proficiebant hostes in repellendis vulnerandisque nostris, qui in regione fluminis Nili propugnabant. Diversis enim telis nostri figebantur, adversi ex vallo castrorum, aversi ex flumine, in quo multae naves instructae funditoribus et sagittariis, nostros impugnabant.

XXXI. Caesar, quum videret milites acriùs proeliari non posse, nec tamen multum profici propter locorum difficultatem; quumque animum adverteret, excelsissimum locum castrorum relictum esse ab Alexandrinis; quòd et per se munitùs esset, et studio partim pugnandi, partim spectandi, decucurrissent in eum locum, in quo pugnabatur; cohortes illo circuire castra, et summum locum aggredi jussit; hisque [3] Carsulenum, praefecit et animi magnitudine et rei militaris

NOTAE.

1 *Eminus ex ripis.*] Quia Aegyptii facile telis prohibebant transitu Romanos.

2 *Una, quam liberum accessum habere demonstravi.*] A planitie scilicet.

3 *Carsulenum.*] Hunc Carsulenum commemorat Caesar, lib. IV. de bello Gallico: Periit in proelio Mutinensi, dum pugnat adversus M. Antonium. Cicero, lib. X. epist. ad Famil.

scientiâ virum praestantem. Quo ut ventum est, paucis defendentibus munitionem, nostris contra militibus accerrimè pugnantibus, diverso clamore et proelio perterriti Alexandrini, trepidantes [1] in omnes partes discurrere coeperunt. Quorum perturbatione, nostrorum animi adeo sunt incitati, ut pene eodem tempore ex omnibus partibus, primi tamen editissimum locum castrorum caperent: ex quo decurrentes magnum multitudinem hostium in castris interfecerunt. Quod periculum plerique Alexandrini fugientes, acervatim se de vallo praecipitaverunt in eam partem, quae flumini erat adjuncta. [2] Horum primis in ipsâ fossâ munitionis magnâ vi oppressis, caeteri faciliorem fugam habuerunt. Constat fugisse ex castris regem ipsum, receptumque in navem, et multitudine eorum, qui ad proximas naves adnatabant, demerso navigio perîsse.

XXXII. Re felicissimè celerrimèque gestâ, Caesar, magnae victoriae fiduciâ proximo terrestri itinere Alexandriam cum equitibus contendit; atque eâ parte oppidi victor introiît, quae praesidio hostium tenebatur. Neque eum consilium suum fefellit, quin hostes, eo proelio audito, nihil jam de bello essent cogitaturi. Dignum adveniens fructum virtutis et animi magnitudinis tulit. Omnis enim multitudo oppidanorum, armis projectis, munitionibusque suis relictis, veste eâ sumptâ, quâ supplices dominantes deprecari consueverunt, [3] sacrisque omnibus prolatis, quorum religione precari offensos iratosque animos regum erant soliti, advenienti Caesari occurrerunt, seque ei dediderunt. Caesar in fidem receptos consolatus, per hostium munitiones in suam partem oppidi magnâ gratulatione venit suorum; qui non tantùm bellum ipsum ac dimicationem, sed etiam talem adventum ejus felicem fuisse laetabantur.

XXXIII. Caesar Aegypto atque Alexandriâ potitus [4] reges constituit, quos Ptolemaeus testamento scripserat, atque obtestatus erat populum Rom. ne mutarentur. Nam majore ex duobus pueris rege amisso, minori transdidit regnum, majorique ex duabus filiis Cleopa-

NOTAE.

1 *In omnes partes discurrere coeperunt.*] Manuscripti codices Regii tres et Victorinus unus, alter item habent additum *castrorum*, nempe *in omnes partes castrorum discurrere coeperunt.* Quod planius videtur. Nec enim Alexandrini extra castra discurrebant, quibus potius continebantur.

2 *Horum primis in ipsa fossa munitiones magna vi oppressis.*] Manuscripti Regii codices tres, Victorinus unus pro vi habent *ruina*, quod certe melius. Ruina enim casus est, quo casu insequentium praecipitatorum primi praecipitati obtuebantur.

3 *Sacrisque omnibus prolatis.*] Erant tam apud Graecos quam Aegyptis statuae deorum. Sed apud Aegyptios peregrinior et occultior religionis cultus.

4 *Reges constituit*, &c.] Nempe minorem natu filiorum, majoremque natu filiarum Cleopatram, cujus amore captus bellum illud Alexandrinum susceperat sibi periculosissimum. Quo confecto, adverso amne cccc navibus totam Aegyptum perlustravit. Cleopatra Caesarionem Caesari peperit, et fratri sororique superstes sola regnavit. Imo etiam superstite minore fratre propter ejus aetatis infirmitatem sola regnabat, soliusque nominis regii illa regnante compos minor frater erat.

trae, quae manserat in fide praesidiisque ejus. [1] Minorem Arsinoën, cujus nomine diu regnâsse impotenter Ganymeden docuimus, deducere ex regno statuit; ne qua rursus nova dissensio, priùs quàm diuturnitate confirmarentur regis imperia per homines seditiosos nasceretur. Legione veteranâ VI secum deductâ, caeteras ibi relinquit; quo firmius esset eorum regum imperium: qui neque amorem suorum habere poterant, quòd fideliter permanserant in Caesaris amicitiâ; neque vetustatis auctoritatem, paucis diebus reges constituti. Simul ad imperii nostri dignitatem utilitatemque publicam pertinere existimabat, si permanerent in fide reges, praesidiis eos nostris esse tutos et hos, si essent ingrati, posse iisdem praesidiis coërceri. Sic rebus omnibus confectis et collocatis, ipse itinere terrestri profectus est in Syriam.

XXXIV. Dum haec in Aegypto geruntur, [2] rex Dejotarus ad [3] Domitium Calvinum, cui Caesar Asiam, finitimasque provincias administrandas transdiderat, venit; oratum, ne [4] Armeniam minorem, regnum suum, neque [5] Cappadeciam, regnum [6] Ariobarzanis, possideri vastarique pateretur à [7] Pharnace: quo malo nisi liberarentur, imperata sibi facere, pecuniamque promissam Caesari non posse se persolvere. Domitius non tantùm ad explicandos sumptus rei militaris, quum pecuniam necessariam esse judicaret, sed etiam turpe

NOTAE.

1 *Minorem Arsinoën*, &c.] Hanc Arsionën in triumphum duxit, sed miseratum populum et virginis et reginae cum intellexisset (afflevit enim populus huic spectaculo) neque occidit, neque in vincula conjecit, sed dimisit. Non tam humaniter illam postea soror Cleopatra excepit, quae ut sola Cyprum, quam communem cum Arsinoë sorore habebat, obtineret, effecit ut Antonius illam in templo Dianae quo confugerat, curaret occidi.

2 *Rex Dejotarus.*] Dejotarus Galatiae rex ope Pompeii factus fuerat, pro quo erga se merito ejus partes in bello civili contra Caesarem enixe juvit. Ad Caesaris clementiam post proelium Pharsalicum receptum habuit, à quo regni parte multatus, tandem accusatus quod Caesari apud se diversanti esset insidiatus, luculenta illa oratione Ciceronis quae nunc exstat, defensus est. Extrema demum senectute auxiliis Brutum juvit.

3 *Domitium Calvinum.*] Hunc Domitium Calvinum miserat Caesar in Asiam post praelium Pharsalicum qui eam suo nomine jam rerum potiti administraret.

4 *Armeniam minorem.*] Armenia Asia regio, in majorem et minorem dividitur, ut in notitiis imperii Romani perspicitur. Major secunda dicta est posterioribus temporibus, minor vero prima. Haec minor clauditur Euphrate ab oriente, ab occasu Scordisco monte. Dicta est etiam *Leucosyria.* Hodie *Pegian* et *Bosoch.*

5 *Cappadociam.*] Cappadocia Asiae minoris regio, à Cappadoce amne. Nam ante aliud nomen habuit. Ad meridiem Tauro monte dividitur à Ciliciâ, ad orientem Armenia est et Colchis, ad occidentem Paphlagonia et Galatia. Dividitur in provincias minores.

6 *Ariobarzanis.*] Ariobarzanes Cappadociae rex, amicus populi R. orto bello inter Caesarem et Pompeium, Pompeianis partibus studuit, pro quo studio videtur aliqua pecunia fuisse à Caesare multatus, quam ille necesse dependere esset.

7 *Pharnace.*] Pharnaces, caeso Mithridate patre. Bosphori rex factus à victore Pompeio, occasione belli civilis usus recuperare regnum paternum tentavit, primumque Colchorum regionem omnem suo imperio adjunxit, tum absente Dejotaro qui in castris Pompeii erat, totam Armeniam et Cappadociae Pontique partes aliquas et Bithynicas quasdam civitates occupavit. Haec omnia negligente Caesare, et in Aegypto bellum gerente, quod ut omnibus aliis praeferret fecerat amor Cleopatrae.

populo Rom. et Caesari victori, sibique infame esse statueret, regna sociorum atque amicorum ab externo rege occupari, nuntios confestim ad Pharnacem misit, Armeniâ Cappadociàque decederet, neve occupatione belli civilis, populi Rom. jus majestatemque tentaret. Hanc denuntiationem quum majorem vim habituram existimaret, si propiùs eas regiones cum exercitu accessisset; ad legiones profectus, unam ex tribus XXXVI secum ducit, II in Aegyptum ad Caesarem mittit, litteris ejus evocatas; [1] quarum altera in bello Alexandrino non occurrit; quod itinere terrestri per Syriam erat missa. Adjungit Cneius Domitius legioni XXXVI [2] duas à Dejotaro, quas ille disciplinâ atque armaturâ nostrâ complures annos constitutas habebat, equitesque centum; totidemque ab Ariobarzane sumit. Mittit P. Sextium ad C. Plaetorium quaestorem, ut legionem adduceret, quae ex tumultuariis militibus in Ponto confecta erat; Quinctumque Partisium in Ciciliam ad auxilia accersenda. Quae copiae celeriter omnes jussu Domitii [3] Comanae convenerunt.

XXXV. Interim legati à Pharnace responsa referunt, Cappadociâ se decessisse, Armeniam minorem recepisse, quam paterno nomine jure obtinere deberet; denique ejus regni caussa integra Caesari servaretur: paratum enim se facere, quod is statuisset. Cn. Domitius, quum animadverteret eum Cappadociâ decississe non voluntate adductum, sed necessitate, quòd faciliùs Armeniam defendere posset subjectam suo regno, quàm Cappodociam longiùs remotam; quòdque omnes III legiones adducturum Domitium putâsset; ex quibus cum II ad Caesarem missas audisset, audaciùsque in Armenia substitisset; perseverare coepit, ut eo quoque regno decederet: neque enim aliud jus esse Cappadociae atque Armeniae: nec justè eum postulare, ut in Caesaris adventum res integra differretur: [4] id enim esse integrum, quod ita esset, ut fuisset. His responsis datis, cum iis copiis, quas supra scripsi, profectus est in Armeniam, locisque superioribus iter facere instituit. Nam ex Ponto à Comanis jugum editum silvestre est pertinens in Armeniam minorem, quo Cappadocia finitur ab Armeniâ. [5] Cujus itineris has esse [certas] opportunitates, quòd in locis superioribus nullus impetus repentinus accidere hostium

NOTAE.

1 *Quarum altera in bello Alexandrino non occurrit.*] Quod iter tardius fuit. Manuscriptus Regius et Victorinus unus codex omittunt *in*, quod Grammaticorum legibus certe aptius et convenientius.

2 *Duas à Dejotaro.*] Acceptus.

3 *Comana.*] Comanâ urbs Ponti nobilissima. Quidem vocari dicunt *Tabachza.*

4 *Id enim esse integrum, quod ita esset, ut fuisset.*] Integrum vocatur quod intactum est. Quod si Pharnaces nihil novi molitus fuisset, res potuissent dici integrae: sed cum multae ille novasset, ut res essent integrae, restituendae erant, in eum locum in quo prius erant, unde ipse eas dimovebat. Integra enim caussa dicitur, in qua nihil commutatum. Interim notandum, quo consilio servari rem integram ad Caesaris adventum cupiebat, quia scilicet Alexandrino bello sperabat oppressum iri, atque adeo se quae paraverat retenturum.

5 *Cujus itineris has esse [certas] opportunitates.*] Manuscripti duo codices Regii et Victorinus impressus pervetustus habent: *Cujus*

poterat, et quod Cappadocia his jugis subjecta magnam commeatûs copiam erat subministratura.

XXXVI. Complures interim legationes Pharnaces ad Domitium mittit, quae de pace agerent, regiaque munera Domitio ferrent. Ea constanter omnia aspernabatur: nec sibi quidquam fore antiquiùs, quàm dignitatem populi Romani et regna sociorum recuperare, legatis respondebat. Magnis et continuis itineribus confectis, quum adventaret ad [1] Nicopolim, quod oppidum in Armeniâ minore positum est, plano ipsum loco, montibus tamen altis ab duobus lateribus objectis, satis magno intervallo ab oppido remotis, castra posuit longè à Nicopoli circiter millia passuum VII. Quibus ex castris, quum locus angustus atque impeditus esset transeundus, Pharnaces in insidiis delectos pedites omnesque pene disposuit equites. Magnam autem multitudinem pecoris intra eas fauces dissipari jussit; paganosque et oppidanos in iis locis observari: [2] ut si amicus Domitius eas angustias transiret, nihil de insidiis suspicaretur, quum in agris et pecora et homines animadverteret versari, tanquam amicorum adventu: sin vero ut in hostium fines veniret, praedâ diripiendâ milites dissiparentur, dispersique caederentur.

XXXVII. Haec quum administraret, nunquam tamen intermittebat legatos de pace atque amicitiâ mittere ad Domitium: quum hoc ipso crederet eum faciliùs decipi posse. At contrà spes pacis Domitio in iisdem castris morandi attulit caussam. Ita Pharnaces, amissâ proximi temporis occasione, veritus, ne cognoscerentur insidiae, suos in castra revocavit. Domitius postero die propiùs Nicopolim accessit, [a] castraque oppido contulit. Quae dum muniunt nostri, Pharnaces aciem instruxit suo more atque instituto. In fronte enim, simplici directâ acie, cornua trinis firmabantur subsidiis. Eâdem ratione haec mediâ collocabantur acie, duobus dextrâ sinistrâque intervallis, simplicibus ordinibus instructis. Perfecit incoeptum castrorum opus Domitius, parte copiarum pro vallo instructâ.

XXXVIII. Proximâ nocte Pharnaces, interceptis tabellariis, qui de Alexandrinis rebus litteras ad Domitium ferebant, cognoscit Caesarem magno in periculo versari, flagitarique à Domitio, ut quamprimum sibi subsidia mitteret, propiùsque ipse Alexandriam per Syriam accederet. Quâ cognitâ re, Pharnaces victoriae loco ducebat, si trahere

INTERPRETATIO.

a *Et castra metatus ante est urbem.*

NOTAE.

itineris hae erant certe opportunitates, quae sine dubio melior lectio, cum certus in ea sit orationis ordo, in hac nullus, sed potius magna inconsequentia.

1 *Nicopolim.*] Haec Nicopolis condita fuit à Pompeio, teste Strabone, lib. XII. et à Ptolemaeo pariter Armeniae minori attribuitur.

2 *Ut si, amicus Domitius eas angustias transiret.*] Manuscripti tres codices Regii, Thuani duo, item Victorinus unus, et impressus ibidem pervetustus habent: *Ut sive amicus sive inimicus Domitius eas angustias transiret*, quod melius est. Tam enim fallebat Domitium stratagema, si veniret inimicus, quam si amicus, quandoquidem insidiarum illi opinionem minuebat, et male securum faciebat.

tempus posset; quum discedendum celeriter Domitio putaret. Itaque ab oppido, qua facillimum accessum et aequissimum ad dimicandum nostris videbat, fossas II directas, non ita magno medio intervallo relicto, IV pedum altitudinis in eum locum deduxit, quo longiùs constituerat suam non producere aciem. Inter has fossas aciem semper instruebat: equitatum autem ab lateribus omnem extra fossam collocabat: qui neque aliter utilis esse poterat, et multùm numero anteibat nostrum equitatum.

XXXIX. Domitius autem quum Caesaris magis periculo, quàm suo, commoveretur; neque se tutò discessurum arbitraretur, si conditiones, quas rejecerat, rursus appeteret, aut sine caussâ discederet; ex propinquis castris in aciem exercitum eduxit: XXXVI legionem in dextro cornu collocavit; Ponticam in sinistro; Dejotari legiones in mediam aciem contulit, quibus tamen angustissimum frontis reliquit intervallum, reliquis cohortibus in subsidiis collocatis. Sic utrimque acie instructâ, processum est ad dimicandum.

XL. Signo sub idem tempus ab utroque dato, concurritur: acriter varieque pugnatur. Nam XXXVI legio, quum extra fossam in equitatum regis impetum fecisset, adeo secundum proelium fecit, ut moenibus oppidi succederet, fossamque transiret, adversosque hostes aggrederetur. At Pontica ex alterâ parte legio, quum paullulum aversa hostibus cessisset, fossam autem circuire [acies] secundò conata esset, ut aperto latere aggrederetur hostem, in ipso transitu fossae confixa et oppressa est. Dejotari vero legiones vix impetum sustinuerunt. Ita victrices regis copiae cornu suo dextro, mediaque acie converterunt se ad XXXVI legionem: quae tamen fortiter vincentium impetum sustinuit; magnis copiis hostium circumdata, praesentissimo animo [1] pugnans in orbem se recepit ad radices montium; quo Pharnaces insequi, propter iniquitatem loci, noluit. Ita, Ponticâ legione pene totâ amissâ, magnâ parte Dejotari militum interfectâ, XXXVI legio in loca se superiora contulit, non amplius CCL desideratis. Ceciderunt eo proelio splendidi ac illustres viri nonnulli equites Romani. Quo tamen incommodo Domitius accepto, reliquias exercitûs dissipati collegit, itineribusque tutis per Cappadociam [2] se in Asiam recepit.

XLI. Pharnaces rebus secundis elatus, quum de Caesare ea, quae optabat, speraret, Pontum omnibus copiis occupavit: [3] ibique et victor, et crudelissimus rex, [4] quum sibi fortunam paternam feliciore

NOTAE.

1 *Pugnans in orbem se recepit.*] Factitatum hoc est, ut supra diximus, ab iis qui sustinere vim hostium, non impetum facere volebant.

2 *Se in Asiam recepit.*] Proprie dictam. Nam alioqui Cappadocia per quam iter faciebat, in Asiâ erat. Asia vero proprie dicta terminatur à septentrione Bithynia, ab occidente reliqua Propontidis parte, Helesponto, Aegaeo, Cario, et Myrto mari.

3 *Ibique et victor, et crudelissimus rex.*] Confirmant id secuti scriptores. Plutarchus ait victoria immodice usum: Dion, capta direptaque Amiso puberes omnes interfecisse: Appianus pueris quoque manus praecidisse.

4 *Quum sibi fortunam paternam feliciore eventu destinaret.*] Hoc est, secundam, Mithridati enim diu fortuna faverat, sed tandem malum sortitus est eventum.

eventu destinaret, multa oppida expugnavit; bona civium Romanorum Ponticorumque diripuit: [1] supplicia constituit in eos, qui aliquam formae atque aetatis commendationem habebant, ea quae morte essent miseriora; Pontumque nullo defendente, paternum regnum se recepisse glorians, obtinebat.

XLII. Sub idem tempus in Illyrico est incommodum acceptum, quae provincia superioribus mensibus retenta non tantùm sine ignominià, sed etiam cum laude erat. Namque eo missus aestate cum II legionibus [2] Q. Cornificius [3] Caesaris quaestor pro praetore, quanquam erat provincia minimè copiosa ad exercitus alendos, et [4] finitimo bello ac dissensionibus vastata et confecta, tamen prudentià ac diligentiâ suà, quòd magnam curam suscipiebat, ne quo temerè progrederetur, et recepit, et defendit. Namque et castella complura locis editis posita, quorum opportunitas castellanos impellebat ad decursiones faciendas, et bellum inferendum, expugnavit; eàque praedà milites donavit: quae etsi erat tenuis, tamen in tantâ provinciae desperatione erat grata, praesertim virtute parta: et quum Octavius ex fugâ Pharsalici proelii magnâ classe in illum se sinum contulisset, paucis navibus [5] Iadertinorum, [a] quorum semper in rempubl. singulare constiterat officium, dispersis Octavianis navibus erat potitus; ut vel classe dimicare posset, adjunctis captivis navibus sociorum. Et quum diversissimâ parte orbis terrarum, Cn. Pompeium victor Caesar sequeretur; compluresque adversarios in Illyricum, propter Macedoniae propinquitatem, se, reliquis ex fugâ collectis, contulisse audiret; litteras ad Gabinium mittit, uti cum legionibus tironum, quae nuper erant conscriptae, proficisceretur in Illyricum, conjunctisque copiis cum Q. Cornificio, si quod periculum provinciae inferretur, depelleret: sin ea non magnis copiis tuta esse posset, in Macedoniam legiones adducerent. Omnem enim illam partem regionemque vivo Cn. Pompeio bellum instauraturam esse credebat.

XLIII. Gabinius, ut in Illyricum venit, hiberno tempore anni, ac difficili: sive copiosiorem provinciam existimans, sive multum fortunae victoris Caesaris tribuens, sive virtute et scientiâ suâ confisus, quam saepe in bellis periclitatus magnas res et secundas ductu ausuque suo

INTERPRETATIO.

a *Qui soli nunquam non praestiterant officium* suum *reipublicae.*

NOTAE.

1 *Supplicia constituit*, &c.] Exsecabat enim virilia insignibus forma et aetate florentibus: quod viro nato morte acerbius est.

2 *Q. Cornificius.*] Hic est Cornificius ad quem Cicero scribit, lib. XII. epist. ad Famil. periit in Africâ post caedem Caesaris, cum senatus partes defenderet.

3 *Caesaris quaestor pro praetore.*] Cum praetoria potestate, quia Illyricum una de Caesaris provinciis erat.

4 *Finitimo bello ac dissensionibus vastata et confecta.*] Civili bello quod in Macedonià gerebatur finitima Illyrico. Dissensiones autem erant, quod alii Caesari, alii Pompeio studerent.

5 *Iadertinorum.*] Iadera urbs Illyrica maritima, *Zara* hodie dicitur. Hanc Mela scribit esse vicinam Salonis et Apolloniae. Nonnullis *Hiadera* scribitur.

gesserat: neque provinciae facultatibus sublevabatur, quae partim erat exinanita; partim infidelis; neque navibus, intercluso mari tempestatibus, commeatus supportari poterat; magnisque difficultatibus coactus, non ut volebat, sed ut necesse erat, bellum gerebat. Ita, cum durissimis tempestatibus, propter inopiam, castella aut oppida expugnare cogeretur, crebra incommoda accipiebat: adeoque est à barbaris contemptus, ut, Salonam se recipiens in oppidum maritimum, quod cives Romani fortissimi fidelissimique incolebant, [1] in agmine dimicare sit coactus. Quo proelio duobus millibus militum ampliùs amissis, centurionibus XXXVIII, tribunis IV, cum reliquis copiis Salonam se recepit; summâque ibi difficultate rerum omnium pressus paucis mensibus morbo periît. Cujus et infelicitas vivi, et subita mors in magnam spem Octavium adduxit provinciae potiundae; quem tamen diutiùs in rebus secundis et fortuna, quae plurimum in bellis potest, diligentiaque Cornificii, et virtus Vatinii versari passa non est.

XLIV. Vatinius, Brundisii quum esset, cognitis rebus, quae gestae erant in Illyrico, quum crebris litteris Cornificii ad auxilium provinciae ferendum evocaretur, et M. Octavium audiret cum barbaris foedera percussisse, compluribusque locis nostrorum militum oppugnare praesidia, partim classe per se, partim pedestribus copiis per barbaros: etsi gravi valetudine effectus, vix corporis viribus animum sequebatur; tamen virtute vicit incommodum naturae, difficultatesque hiemis et subitae praeparationis. Nam quum ipse paucas in portu naves longas haberet, litteras in Achaiam ad Q. Kalenum misit, uti sibi classem mitteret. Quod quum tardiùs fieret, quàm periculum nostrorum flagitabat, qui sustinere impetum Octavii non poterant; [2] navibus actuariis, quarum numerus erat satis magnus, magnitudine quamquam non satis justâ ad proeliandum, rostra imposuit. [a] His adjunctis navibus longis, et numero classis aucto, militibus veteranis impositis, quorum magnam copiam habebat, ex omnibus legionibus, qui numero aegrorum relicti erant Brundisii, quum exercitus in Graeciam transportaretur, profectus est in Illyricum, maritimasque nonnullas civitates, quae defecerant, Octavioque se transdiderant, partim recipiebat, partim remanentes in suo consilio praetervehebatur: nec sibi ullius rei moram necessitatemque injungebat, qui, quàm

INTERPRETATIO.

a *His* actuariis *cum addidisset naves longas.*

NOTAE.

1 *In agmine dimicare sit coactus.*] Id est, tanto cum periculo ut expletis Imperatoris officiis, coactus sit militis partes suscipere, manu ipse pugnando; quod alienum ab Imperatore.

2 *Navibus actuariis.*] Naves actuariae erant aptae ad vehendos homines, atque adeo capaciores quam longiores. Naves vero bellicae erant et longae et rostris armatae ut rostris hostiles naves perforarent. Non enim eâ tempestate usus inventus erat tormentorum quae *canones* dicuntur, et vehementiore impetu certiusque eminus naves hostiles deprimunt.

celerrimè posset, ipsum Octavium persequeretur. Hunc oppugnantem Epidaurum terrâ marique, ubi nostrum erat praesidium adventu suo discedere ab oppugnatione coegit, praesidiumque nostrum recepit.

XLV. Octavius, quum Vatinium classem magnâ ex parte confectam ex naviculis actuariis habere cognovisset, confisus suâ classe, substitit [1] ad insulam Tauridem: quâ regione Vatinius insequens navigabat; non quòd Octavium ibi restitisse sciret; sed quòd eum longiùs progressum insequi decreverat. Quum propiùs Tauridem accessisset, distensis suis navibus, quòd et tempestas erat turbulenta, et nulla suspicio hostis, repentè adversam ad se venientem navem, antennis ad medium malum demissis, instructam propugnatoribus animadvertit. Quod ubi conspexit, celeriter vela subduci, demittique antennas jubet, et milites armari; et vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quae primae naves subsequebantur, idem ut facerent, significabat. Parabant se Vatiniani repentè oppressi: parati deinceps Octaviani ex portu procedebant. Instruitur utrimque acies: ordine disposita magis Octaviana; paratior militum animis Vatiniana.

XLVI. Vatinius, quum animadverteret neque navium se magnitudine, neque numero parem esse futurae dimicationi, fortunae rem committere maluit. Itaquè primus suâ quinqueremi in quadriremem ipsius Octavii impetum fecit. Celerrimè fortissimèque contrà illo remigante, naves adversae rostris concurrunt adeo vehementer, ut navis Octaviana, rostro discusso, ligno contineretur. Committitur acriter reliquis locis proelium, concurriturque ad duces maximè. Nam quum suo quisque auxilium ferret, magnum cominùs in angusto mari proelium factum est; quantoque conjunctis magis navibus confligendi potestas dabatur, tanto superiores erant Vatiniani: qui admirandâ virtute ex suis navibus in hostium naves transilire non dubitabant; et dimicatione aequatâ, longè superiores virtute rem feliciter gerebant. Deprimitur ipsius Octavii quadriremis: multae praeterea capiuntur, aut rostris perforatae merguntur: propugnatores Octaviani partìm in navibus jugulantur, partìm in mare praecipitantur. Ipse Octavius se in scapham confert: in quam plures quum confugerent, depressâ scaphâ, vulneratus tamen adnatat ad suum [2] myoparonem. Eò receptus, quum proelium nox dirimeret, [3] tempestate magnâ velis pro-

NOTAE.

1 *Ad insulam Tauridem.*] Insula ignobilis atque adèo ignota, de harum numero quas in illo commemorabiles esse negat Strabo; Una forte de Liburnidibus, quarum una ab eo commemoratur Issa, quo se Octavius recepisse credebatur.

2 *Myoparonem.*] Myoparo navigii piratici genus. Budaeus vocat *Brigantin*. Quod *myoparonem* vocavit Plutarchus in Antonio, ab Appiano *phaselus* dicitur. Phaseli autem forma mixta erat ex nave oneraria et longa triremi, quae et remis utebatur et velis, ut videre est apud Catullum. Difficile est ejus vocis originem invenire. Si qua tamen fides est Aristophanis enarratori seu Scholiastae, à Paro insula. Unde conjicere licet à forma navium, quae fiebant in Myunte et Paro insula, nomen Myoparonibus esse inventum.

3 *Tempestate magna velis profugit.*] Manuscriptus Regius unus codex habet: *Vix*

fugit. Sequuntur hunc suae naves nonnullae, quas casus ab illo periculo vindicárat.

XLVII. At Vatinius re benè gestâ receptui cecinit; suisque omnibus incolumibus in eum se portum victor recepit, quo ex portu classis Octaviana ad dimicandum processerat. Capit ex eo proelio [1] penterem I, triremes II, dicrotas VIII; compluresque remiges Octavianos: posteroque ibi die fuit, dum suas, captivasque naves reficeret. Post diem III contendit [2] in insulam Issam: quod eo se recipisse ex fugâ credebat Octavium. Erat nobilissimum regionum earum oppidum, conjunctissimumque Octavio. Quo ut pervenit, oppidani supplices se Vatinio dediderunt: comperitque, ipsum Octavium, parvis paucisque navigiis vento secundo regionem Graeciae petîsse, inde ut Siciliam, deinde Africam, caperet. Ita brevi spatio re praeclarissimè gestâ, provinciâ receptâ, et Cornificio redditâ, classe adversariorum ex illo toto sinu expulsâ, victor se Brundisium, incolumi exercitu et classe, recepit.

XLVIII. Iis autem temporibus, quibus Caesar ad Dyrrhachium Pompeium obsidebat, et [3] Palaepharsali rem feliciter gerebat, Alexandriaeque cum periculo magno, tum etiam majore periculi famâ dimicabat, [4] Cassius Longinus in Hispania propraetor provinciæ ulterioris obtinendæ caussâ relictus sive consuetudine naturæ suæ, sive odio, quod in illam provinciam susceperat quæstor, ex insidiis ibi vulneratus, magnas odii sui fecerat accessiones: quod vel ex conscientiâ suâ, quum de se mutuò sentire provinciam crederet, vel multis signis, et testimoniis eorum, qui difficulter odia dissimulant, animadvertere poterat. et compensare offensionem provinciæ exercitûs amore cupiebat. Itaque quum primum in unum locum exercitum conduxit. [5] HS centenos mili[ti]bus est pollicitus: nec multo pòst, quum in Lusitaniâ Medobregam oppidum, montemque [7] Herminium, expugnâsset, quo

NOTAE.

profugit. Victorinus unus: *Velis vix profugit.* Quae posterior lectio multo optima. Tempestatis enim magnitudo fugiendi laborem efficiebat.

1 *Penterem, &c.*] *Penteris* Graecum nomen est; quae Latino nomine dicitur *quinqueremes*, de quâ, et triremi, et dicroto supra dictum. De triremi sic Virgil, lib. v. Aeneid.

——*triplici pubes quem Dardana versu*
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

2 *In insulam Issam.*] Prima et clarrissima insularum Liburnidum, quae LX numerantur à Strabone in mari Adriatico. Sophiano dicitur *Lissa.*

3 *Palaepharsali.*] Strabo duas Pharsalos memorat; veterem unam, novam alteram quae Graece Παλαιφαρσαλος dicitur. Hic locus ad veterem actum fuisse proelium docet.

4 *Cassius Longinus.*] Cassius is est, qui tribunus plebis tantam operam dederat Caesari cum Antonio, qui cum eo se ad Caesarem contulerat. Caesar eum legionibus IV Hispaniae praefecerat ulteriori. Sed ut hic legimus et omnia et seipsum misere propter avaritiam perdidit. Atque adeo ejus famae hic parum parcitur ab Hirtio.

5 *HS centenos.*] Circiter *sept livres dix sols.* Tota illa pecuniae ratio, iterum moneo, est perturbatissima. Haec enim pecunia est perexigua. nec satìs digna, qua Romanorum militum voluntates ad suos usus qui sibi adjungeret. Si legatur ut ante legebatur in neutro genere sestertia, nimia est, essent enim VII MDLX librae turonenses.

6 *Medobregam.*] Medobrega ignoratur. Quidam putant dici *Armeniam.*

7 *Herminium.*] Herminius mons in Lusitaniâ dicitur *Arminno.*

Medobregenses confugerant; ibique Imperator esset appellatus; iterum HS centenis milites donavit. Multa praeterea et magna praemia singulis concedebat: quae speciosum reddebant praesentem exercitûs amorem, paullatim tamen et occultè militarem disciplinam severitatemque minuebant.

XLIX. Cassius legionibus in hiberna dispositis ad jus dicendum Cordubam se recepit, contractumque in ea æs alienum gravissimis oneribus provinciæ constituit exsolvere; et, ut largitionis postulat consuetudo, per caussam liberalitatis speciosam plura largitori quærebantur; pecuniæ locupletibus imperabantur; quas Longinus sibi [1] expensas ferri non tantum patiebatur, sed etiam cogebat; [2] in gregem locupletium simultatum caussae tenues conjiciebantur. Neque ullum genus quæstûs, aut magni et evidentis, aut minimi et sordidi, prætermittebatur, [3] quo domus et tribunal imperatoris vacaret. Nemo erat, qui modo aliquam jacturam facere posset, [4] quin aut vadimonio teneretur, aut in reos referretur. Ita etiam magna solicitudo periculorum ad jacturas et detrimenta rei familiaris adjungebatur.

L. Quibus de caussis accidit, ut quum Longinus Imperator eadem faceret, quæ fecerat quæstor, similia rursus de morte ejus provinciales consilia inirent. Horum odium confirmabant nonnulli familiares ejus: qui, quum in illâ societate versarentur rapinarum, nihilo minus oderant eum, cujus nomine peccabant: sibique quod rapuerant, acceptum ferebant; quod interciderant, aut erat interpellatum, Cassio assignabant. v. legionem novam conscribit: augetur odium et ex ipso delectu, et sumptu additæ legionis. [5] Complentur equitum III millia: maximisque onerantur impensis: neu provinciæ datur ulla requies.

LI. [6] Interim litteras accepit à Cæsare, ut in Africam exercitum

NOTAE.

1 *Expensas ferri.*] Expensum ferre est scribere se dedisse, quod fiebat etsi non darent. Sed hoc facto fatebantur se daturos, atque adeo debere. Postea vero acceptas referrebant, id est, solvebant,

2 *In gregem locupletium simultatum caussae tenues conjiciebantur.*] Manuscriptus Victorinus unus codex habet *locupletum*, quod melius videtur.

3 *Quo domus et tribunal imperatoris vacaret.*] Praetoria enim cognitio una erat domestica, altera publica. Domestica intra praetorium cubiculumque querelis audiendis ministranteque et admittente cubiculario exercebatur, publica verò in basilica atque in tribunali, scribis, accensis, praeconibus et lictoribus apparentibus.

4 *Quin aut vadimonio teneretur, aut in reos referretur.*] Budaeus prioribus suis in Pandectas annotationibus, ait sponsionem sistendi se in judicio esse vadimonium. Teneri autem vadimonio, qui sit, postea declarat. Vadimonio obstricti hodie dici possunt qui ob crimina in judicium à judicibus vocati, ut fit, impetraverunt, ut aut sua aut sponsorum fide dimittantur, eâ lege ut in diem certum, aut quandocumque judici visum fuerit, ad judicium sistantur, quos *elargitos* vocant.

5 *Complentur equitum* III *milia: maximisque onerantur impensis.*] Manuscripti Regii codices tres, Thuani duo, Victorinus unus, pervetustus item qui in bibliothecâ Sancti Victoris est impressus, unus Romae, apud Petrum de Maximis ann. 1472. habent, *ornantur*, quod melius est. Nam impensis civium complentur et ornantur equites, non onerantur.

6 *Interim litteras accepit à Caesare.*] De quâ re sic Livius apud Priscianum, lib. VI. *Quo tempore firmandi regni Bogudis causa exercitum in Africam trajicere conatus est.*

transjiceret, perque [1] Mauritaniam [2] ad fines Numidiæ perveniret: quod magna [3] Cn. Pompeio Juba rex miserat auxilia, majoraque missurus exisimabatur. Quibus litteris acceptis, insolenti voluptate efferebatur, [4] quod sibi novarum provinciarum, et fertilissimi regni tanta oblata esset facultas. Itaque ipse in Lusitaniam proficiscitur, ad legiones accersendas, auxiliaque adducenda. Certis hominibus dat negotium, ut frumentum navesque c praepararentur, pecuniaeque describerentur atque imperarentur, ne qua res, quum redîsset, moraretur. Reditus ejus fuit celerior omnium opinione; non enim labor aut vigilantia, cupienti praesertim aliquid, Cassio deerat.

LII. Exercitu coacto in unum locum, castris ad [5] Cordubam positis, pro concione militibus exponit, quas res Caesaris jussu gerere deberet, pollicetur que iis, quum in Mauritaniam transjecisset, [6] HS centenos se daturum: v fore in Hispaniâ legionem. Ex concione se Cordubam recepit. Eoque ipso die, meridianâ horâ, quum in [6] Basilicam iret, quidam Minutius Silo cliens L. Racilii libellum, quasi aliquid ab eo postularet, ut miles ei transdit: [8] deinde post Racilium (nam is latus Cassii tegebat) quasi responsum ab eo peteret, celeriter dato loco, quum se insinuâsset, sinistrâ corripit eum, dextrâque bis feriit pugione. Clamore sublato, fit à conjuratis impetus universis. [9] Munatius Plancus proximum gladio transjicit lictorem. Hoc interfecto, [10] Q. Cassium legatum vulnerat. Ibi T. Vasius, et L. Mergilio simili confidentiâ [11] Plancum municipem suum adjuvant. Erant enim omnes [12] Italicenses. Ad ipsum Longinum L. Licinius Squillus involat, jacentemque levibus sauciat plagis.

NOTAE.

1 *Mauritaniam.*] Mauritania duplex, *Tingitania et Caesariensis*, utraque in parte occidua Africae. Duo ibi reges, quorum alter Juba Pompeianis se adjunxit, alter Bogud Caesaris amicitiam est secutus. Is post mortem Caesaris ad Antonium se applicuit, atque in eo bello, quod ipsi cum Octaviano Caesare fuit, cum in manu Agrippae Caesariani venisset, ejus jussu fuit occisus.

2 *Ad fines Numidiae perveniret.*] De Numidiâ supra est dictum.

Cn. Pompeio.] Filio.

4 *Quod sibi novarum provinciarum et fertilissimi regni tanta oblata esset facultas.*] Diripiendi.

5 *Cordubam.*] De Chorduba dictum supra.

6 *HS centenos.*] Sestertios, *sept livres dix sols.*

7 *Basilicam.*] Basilica locus amplus, in quo exercebantur judicia publica, arbitria, et publica convivia fiebant. Forum enim subdialis erat locus, sive ut Graece dicitur *Hypaethros*. Christiani pro *delubris* acceperunt, quia Basilica supra Martyrum sepulcra extruxerant ad hominum conventus excipiendos.

8 *Deinde post Racilium (nam is latus Cassii tegebat.*] Manuscriptus Regius unus codex habet *per Racilium*. Et melius quidem. Nam per illum Racilium caedis participem percussori locus dabatur.

9 *Munatius Plancus proximum gladio transjicit lictorem.*] Manuscripti Regii tres, Victorinus unus, Thuani duo, pervetustus supra memoratus impressus codex, habent: *Munatius Flaccus*, quod verisimilius fit. Quanquam enim clarissimus eo nomine fuerat Lugduni in Gallia conditor, hunc tamen fuisse vix fides fit.

10 *Q. Cassium legatum vulnerat.*] Cassii Longini. Saepe enim sibi propinquos legabant, et frater fratrem, patrem filius.

11 *Plancum municipem suum adjuvant.*] Qui in eodem municipio suo nempe natus erat.

12 *Italicenses.*] Ex Italicâ urbe Hispaniae à Scipione sic nominata, quae sequentibus temporibus Trajani, Adriani et Theodosii Imperatorum patria fuit, ut supra dictum.

LIII. Concurritur ad Cassium defendendum. Semper enim [1] Berones compluresque evocatos cum telis secum habere consueverat. A quibus ceteri intercluduntur, qui ad caedem faciendam subsequebantur. Quo in numero fuit Calpurnius Salvianus, et Manilius Tusculus. [2] Minutius inter saxa, quae jaciebant in itinere, fugiens opprimitur, et relato domum Cassio, ad eum deducitur. Racilius in proximam se domum familiaris sui confert, dum certum cognosceret, confectusne Cassius esset. L. Laterensis, quum id non dubitaret, accurrit laetus in castra; militibus vernaculis et secundae legionis, quibus odio sciebat praecipuè Cassium esse, gratulatur. Tollitur à multitudine in tribunal: Praetor appellatur: nemo enim in provincia natus aut [3] vernaculae legionis miles, aut diuturnitate jam factus provincialis, quo in numero erat II legio, non cum omni provinciâ consenserat in odio Cassii. Nam legiones XXX et XXI paucis mensibus in Italiâ scriptas, Caesar attribuerat Longino; V legio ibi nuper erat confecta.

LIV. Interim nuntiatur Laterensi vivere Cassium. Quo nuntio, dolore magis promotus, quàm animo perturbatus reficit celeriter sese, et ad Cassium visendum proficiscitur. Re cognitâ, XXX legio signa Cordubam infert, ad auxilium ferendum imperatori suo. Facit hoc idem XXI. Subsequitur has V. Quum II legiones reliquae essent in castris, secundam veriti, ne soli relinqueretur, atque ex eo, quod sensissent, indicaretur, secuti sunt factum superiorem. Permansit in sententiâ legio vernacula, nec ullo timore de gradu dejecta est.

LV. Cassius eos, qui nominati erant conscii caedis, jubet comprehendi: legionem V in castra remittit, cohortibus XXX retentis. Indicio Minutii cognoscit, L. Racilium, et L. Laterensem, et [4] Annium Scapulam maximae dignitatis et gratiae provincialem hominem, sibique tam familiarem, quam Laterensem et Racilium, in eâdem fuisse conjuratione. Nec diu moratur dolorem suum, quin eos interfici jubeat. Minutium libertis transdit excruciandum:

NOTAE.

1 *Beroces.*] Hispaniae Tarraconensis populos esse ait Ptolemaeus lib. II. cap. 6. Strabo verò fecit Cantabris finitimos ad septentrionem, quorum urbs Varia ad trajectum Iberi, id est, ubi incipit esse navigabilis. Videntur esse Navarrenses. Dicuntur ibidem à Gallis orti.

2 *Minutius inter saxa, quae jaciebant in itinere, fugiens opprimitur.*] Manuscripti Regii codices duo, Thuani totidem habent: *Inter saxa, quae jacebant.* Quae melior lectio. Lapides enim qui jaciuntur, non capiunt, sed aut occidunt aut vulnerant; qui autem in itinere jacent, fugienti lapsus caussam afferunt, lapsus autem moram objiciens et retardans fugientem, ut opprimatur à persequentibus efficit. Sic Pausanias, interfecto Philippo rege Macedoniae, fugiens, ad vitis stirpem offenso pede cecidit, et lapsus humi à persequentibus oppressus est.

3 *Vernaculae legionis.*] Vernacula legio antea Pompeio militans, à Varrone ejus legato ad Caesarem defecerat.

4 *Annium Scapulam.*] Dio, lib. XLIII, scripsit T. Annium Scapulam virum equestrem, postea hujus tumultus excitati poenas à Caesare metuentem, novum bellum Hispaniense scilicet excitavisse. Hujus mors in fine Commentarii de bello Hispanico perscripta est.

item Calpurnium Salvianum, qui profitetur indicium conjuratorumque numerum auget, verè, ut quidam existimant, ut nonnulli queruntur, coactus. Isdem cruciatibus affectus L. Mergilio. Squillus nominat plures: quos Cassius interfici jubet, exceptis iis, qui se pecuniâ redemerunt. [1] Nam palam HS x cum Calpurnio paciscitur, et cum Q. Sextio quinquaginta, qui etsi maxime nocentes sunt multati, tamen periculum vitae, dolorque vulnerum [a] pecuniâ remissus, crudelitatem cum avaritia certâsse significabat.

LVI. Aliquot post diebus litteras à Cæsare missas accipit; quibus cognoscit Pompeium in acie victum amissis copiis fugisse. Qui re cognitâ, [2] mixtam dolore voluptatem cupiebat. Victoriæ nuntius lætitiam exprimebat; confectum bellum licentiam temporum intercludebat. Sic erat dubius animi, utrum nihil timere, an omnia licere mallet. Sanatis vulneribus accersit omnes, [3] qui sibi pecunias expensas tulerant; acceptasque eas jubet referri. Quibus parum videbatur imposuisse oneris, ampliorum pecuniam imperat. [4] Æquâ autem ratione delectum instituit: quos ex omnibus conventibus coloniisque conscriptos, transmarina militia perterritos ad sacramenti redemptionem vocabat. Magnum hoc fuit vectigal, majus tamen creabat odium. His rebus confectis, [5] totum exercitum lustrat. Legiones, quas in Africam ducturus erat, et auxilia mittit [6] ad Trajectum: ipse classem, quam parabat, ut inspiceret, [7] Hispalim accedit: ibique moratur: propterea quod edictum totâ provinciâ proposuerat, ut, quibus pecunias imperâsset, neque contulissent, se adirent. Quae evocatio vehementer omnes turbavit.

INTERPRETATIO.

a *Condonatus* pecuniae.

NOTAE.

1 *Nam palam*, HS x, &c.] Meminit commemorabilis illius avaritiae Val. Maximus, lib. IX. cap. 4. non x sed XL scribens sestertiis pactum fuisse. Tam incerta est tota illa in omnibus libris ratio propter facilem in arithmeticis notis, antiquorum librariorum lapsum, crebrosque, imo infinitos exscriptorum errores, ut omittere in universum quam emendare tutius videatur, praesertim ubi nostra nihil interest, nec illa ignoratio quicquam nobis adimet.

2 *Mistum dolori voluptatem capiebat.*] Manuscripti Regii duo, Victorinus et Thuanus unus, pervetustus impressus unus habent: *Mixtam dolore voluptatem capiebat.*

3 *Qui sibi pecunias expensas tulerant: acceptasque eas jubet referri.*] Acceptum referre et expensum ferre sunt vetusta loquendi genera. Acceptum referre est scribere se accepisse, expensum verò referre est scribere se expendisse pecuniam et dedisse. Gallice, *Il convertisset les prêts en taxe.*

4 *Aequa autem ratione delectum instituit.*] Corruptus sine dubio locus. Si enim aequa ratione delectum instituisset, aequitas delectus non fuisset publicum odium promerita, quem locum sic emendo ex fide MS. Regii unius codicis qui sic habet: *Equitum autem Romanorum delectum instituit.* Quâ lectione nihil planius est. Haec lectio adjuvatur Thuanorum duorum MSS. lectionibus, quarum altera est, *eque autem Rome:* altera, *eque autem Romæ*, vel *Romi* (non enim liquet satis) sed ut est, magnum praebent MSS. regiis atque adeo huic loco adjumentum.

5 *Totum exercitum lustrat.*] Multae sunt lustrandi significationes. Hic autem nihil aliud significat quam recensere et recognoscere suas copias. Qua de lustratione supra dictum.

6 *Ad Trajectum.*] Videtur esse fretum Herculeum, qua ipsi in Mauritaniam trajiciendum erat.

7 *Hispalim accedit.*] De quâ urbe supra.

LVII. [1] Interim L. Titius, qui eo tempore tribunus mil. legionis vernaculae fuerat, nuntiat famam, legionem XXX, quam Q. Cassius legatus simul ducebat, quum [2] Ilurgim ad oppidum castra haberet, seditione facta, centurionibus aliquot occisis, qui signa tolli non patiebantur, discessisse, et ad II legionem contendisse, quae ad fretum alio itinere ducebatur. Cognita re, noctu cum V cohortibus [a] undevicesimanorum egreditur. Mane pervenit. Ibi eum diem, ut quid ageretur, perspiceret, moratus, [3] Carmonam contendit. Hic quum legio XXX, et XXXI, et cohortes, IV, et V legio, totusque convenisset equitatus, audit, IV cohortes a vernaculis [b] oppressas ad [4] Obuculum, cum his ad secundam pervenisse legionem, omnesque ibi se conjunxisse, et T. Thorium Italicensem ducem delegisse. Celeriter habito concilio, [5] Marcellum Cordubam, ut eam in potestate retineret, Q. Cassium legatum Hispalim mittit. Paucis ei diebus affertur, conventum Cordubensem ab eo defecisse, Marcellumque aut voluntate, aut necessitate adductum (namque id varie nuntiabatur) consentire cum Cordubensibus: II cohortes legionis V, quae fuerant Cordubae in praesidio, idem facere. Cassius his rebus incensus movet castra, et postero die [6] Segoviam ad flumen Silicense venit. Ibi habitâ concione, militum tentat animos: quos cognoscit non suâ, sed Caesaris absentis caussâ sibi fidissimos esse, nullumque periculum deprecaturos, dum per eos Caesari provincia restitueretur.

LVIII. Interim Thorius ad Cordubam veteres legiones adducit; ac, ne dissensionis initium natum seditiosâ militum suâque videretur natura: simul ut contra Q. Cassium, qui Caesaris nomine majoribus viribus uti videbatur, aeque potentem opponeret dignitatem; [7] Cn. Pompeio se provinciam recuperare velle palàm dictitabat. Et forsitan etiam hoc fecerat odio Caesaris, et amore Pompeii: cujus nomen multum poterat apud eas legiones, quas M. Varro obtinuerat: sed id quâ mente commotus fecerit, conjectura sciri non potest. Certè hoc prae se Thorius ferebat: milites adeo fatebantur, ut

INTERPRETATIO.

a *Militum decimae nonae legionis.* b *Interceptas.*

NOTAE.

1 *Interim L. Titius, qui eo tempore tribunus mil. legionis vernaculae fuerat, nuntiat famam*, &c.] Magna suspicio mendi, quod, quia nullius manuscripti ope emendare licet, sic explicare lubet: *L. Titius, qui eo tempore trib. mil. legionis vernaculae fuerat, nuntiat legionem* XXX *discessisse*, &c. Atque id se famâ accepisse, non certo autore.

2 *Illurgim.*] Ptolemaeus meminit, Plinius *Illiturgim* vocat.

3 *Carmonam.*] Carmona urbs Hispaniae Baeticae, *Carmon* dicitur Straboni, hodie *Carmona*, ut est supra dictum.

4 *Obuculam.*] Obucula ad Singulum amnem posita est, non longe ab illo loco ubi ille Baeti miscetur. Plinio libro tertio capite primo dicitur Obulco, quod Pontificale appellatur.

5 *Marcellum.*] Marcello succensuit Caesar, quasi cujus fidei nihil esset credendum eumque relegavit, sed postea revocavit, magnisque honoribus et beneficiis auxit.

6 *Segoviam ad flumen Silicense venit.*] Propterea mentionem facit fluminis, quia duplex est Segovia, alia in Hispaniâ Tarraconensi, alia in Baeticâ, de qua postrema hoc loco agitur. Nomen aliud servat.

7 *Cn. Pompeio.*] Filio.

Cn. Pompeii nomen in scutis inscriptum haberent. Frequens legionibus conventus obviam prodit, neque tantum virorum, sed etiam [1] matrum familias, ac [2] praetextatorum; deprecaturque, ne hostili adventu Cordubam diriperent: nam se contra Cassium sentire cum omnibus; contra Caesarem ne facere cogerentur, orare.

LIX. Tantae multitudinis praecibus et lacrymis exercitus commotus, quum videret, ad Cassium persequendum nihil opus esse Cn. Pompeii nomine et memoriâ, tamque omnibus Caesarianis, quam Pompeianis, Longinum esse in odio, neque se conventum, neque M. Marcellum contra Caesaris caussam posse perducere, nomen Pompeii ex scutis detraxerunt; Marcellum, qui se Caesaris caussam defensurum profitebatur, ducem adsciverunt, praetoremque appellârunt; et sibi conventum adjunxerunt; castraque ad Cordubam posuerunt. Cassius eo biduo circiter IV millia passuum à Cordubâ, citra flumen [3] Baetim in oppidi conspectu loco excelso facit castra: litteras ad regem [4] Bogudem in Mauritaniam, et ad M. Lepidum proconsulem in Hispaniam citeriorem mittit, subsidio sibi provinciaeque Caesaris caussâ quamprimum veniret. Ipse hostili modo Cordubensium agros vastat, aedificia incendit.

LX. Cujus rei deformitate atque indignitate legiones, quae Marcellum sibi ducem ceperant, ad eum concurrerunt: ut in aciem educerentur, orant, priusque confligendi sibi potestas fieret, quam cum tantâ contumeliâ nobilissmae carissimaeque possessiones Cordubensium in conspectu suo rapinis, ferro, flammâque consumerentur. Marcellus, quum confligere miserrimum putaret, quòd, et victoris et victi detrimentum ad eundem Caesarem esset redundaturum, [5] neque suae potestatis esse, legiones Baetim transducit, atque aciem instruit. Quum Cassium contrà pro castris suis aciem instruxisse loco superiore videret, caussâ interpositâ, quod is in aequum non descenderet, Marcellus militibus persuadet, ut se in castra recipiant. Itaque copias reducere

NOTAE.

1 *Matrum familias.*] Ulpianus in digestis de verborum significatione, matrem familias opponit concubinae. Livius vero de Perseo et Demetrio Philippi filiis dicit, lib. XXXIX. *Hunc justa matre familias, illum pellice ortum esse.* Aulus Gellius, lib. 1. cap. 6. irridet Melissum quendam, qui hoc discriminis statuebat matronam inter et matrem familias, quod matrona semel peperisset, mater familias vero plures liberos suscepisset.

2 *Praetextatorum.*] Puerorum aut adolescentum, qui praetextam limbo purpureo togam ferebant usque ad annum aetatis XVII, qua aetate togam puram sine limbo purpureo sumebant.

3 *Baetim.*] Baetis est fluvius Hispaniae, qui oritur in Orospedâ monte, ut testatur Strabo, olim *Tartessus* Straboni Pausaniaeque. Nunc *Guadalquivir.* Nomen dedit Hispaniae ulteriori, quae ejus nomine *Baetica* dicitur, quae conventus habebat quatuor, de quibus crebra fit in his libris mentio.

4 *Bogudem.*] Bogud hic rex à Caesare commilito vocabatur, cujus uxorem Eunoën dilexerat, cui et ipsi plurima et immensa tribuit, teste Suetonio, cap. 3. Bello post mortem Caesaris inter Antonium et Octavianum Caesarem orto ad Antonium transiit, et Methonae tandem ab Agrippâ, qui illam urbem ceperat, fuit necatus, ut est supra dictum.

5 *Neque suae potestatis esse.*] Manuscripti Regii tres, Thuani duo codices, Victorinus unus, omnes denique quos videre licuit, habent, *Neque suae potestatis esset.* Ut ut sit, utraque bona lectio et eadem sententia.

coepit. Cassius quo bono valebat, Marcellumque infirmum esse sciebat, aggressus equitatu legionarios se recipientes, complures novissimos in fluminis ripis interficit. Quum hoc detrimento, quid transitus fluminis vitii difficultatisque haberet, cognitum esset, Marcellus castra Baetim transfert: crebroque uterque legiones in aciem educit; neque tamen confligitur, propter locorum difficultates.

LXI. Erat copiis pedestribus multo firmior Marcellus. Habebat enim veteranas legiones, multisque proeliis expertas. Cassius fidei magis, quam virtuti legionum, confidebat. Itaque quum castra castris collata essent, et Marcellus locum idoneum castello cepisset, quo prohibere aquâ Cassianos posset, Longinus veritus, ne genere quodam obsidionis clauderetur in regionibus alienis sibique infestis, noctu silentio ex castris proficiscitur, celerique itinere [1] Ullam contendit; quod sibi fidele esse oppidum credebat. Ibi adeo conjuncta ponit moenibus castra, ut et loci naturâ (namque Ulla in edito monte posita est) et ipsâ munitione urbis, undique ab oppugnatione tutus esset. Hunc Marcellus insequitur, et quam proxime potest Ullam castra castris confert: locorumque cognitâ naturâ, quo maximè rem deducere volebat, necessitate est adductus, ut neque confligeret, cujus si rei facultas esset, resistere incitatis militibus non poterat, neque vagari Cassium latius pateretur; ne plures civitates ea paterentur, quae passi erant Cordubenses. [a] Castellis idoneis locis collocatis, operibusque in circuitu oppidi continuatis. Ullam, Cassiumque munitionibus clausit: quae prius quam perficerentur, Longius omnem suum equitatum emisit: quem magno sibi usui fore credebat, si pabulari frumentarique Marcellum non pateretur; magno autem impedimento, si clausus obsidione et inutilis necessarium consumeret frumentum.

LXII. Paucis diebus litteris Cassii acceptis, rex Bogud cum copiis venit, adjungitque ei legionem, quam secum adduxerat, complurresque cohortes auxiliarias Hispanorum. Namque, ut in civilibus dissensionibus accidere consuevit, ita temporibus illis in Hispaniâ nonnullae civitates rebus Cassii studebant; plures Marcello favebant. [2] Accedit cum copiis Bogud ad exteriores Marcelli munitiones. Pugnatur utrimque acriter crebròque, ut accidit, fortunâ saepe ad utrumque transferente victoriam; nec tamen unquam ab operibus depellitur Marcellus.

LXIII. [3] Interim Lepidus ex citeriore provinciâ cum cohortibus

INTERPRETATIO.

a *Castellis positis in locis opportunis.*

NOTAE.

Ullam.] *Ullam* vocat Ptolemaeus, itidem Plinius et Dio. Quae verior videtur lectio.

1 *Accedit cum copiis Bogud.*] De quâ re sic Livius apud Priscianum, lib. IX. *Castra quoque diversis partibus Cassius et Bogud adorti, haud multum adfuere quin ea perrumperent.*

3 *Interim Lepidus.*] Tantopere favet Lepido Caesar, ut de tantula re bene gesta triumphum ei concesserit. Testis Dio.

legionariis xxxv, magnoque numero equitum, et reliquorum auxiliorum, venit eâ mente Ullam, ut sine ullo studio contentiones Cassii Marcellique componeret. Huic venienti sine dubitatione Marcellus se credit atque offert. Cassius contrà suis se tenet praesidiis, sive eo quod plus sibi juris deberi quam Marcello existimabat, sive eo quod, ne praeoccupatus animus Lepidi esset obsequio adversarii, verebatur. Ponit ad Ullam castra Lepidus; neque habet à Marcello quidquam divisi. Ne pugnetur, interdicit. Ad exeundum Cassium invitat; fidemque suam in re omni interposuit. Quum diu dubitasset Cassius, quid sibi faciendum, quidve Lepido esset credendum, neque ullum exitum consilii sui reperiret, si permaneret in sententia; postulat uti munitiones disjicerentur, sibique liber exitus daretur. Non tantum induciis factis, sed prope jam constituta opera quum complanarent, custodiaeque munitionum essent deductae auxilia regis in id castellum Marcelli, quod proximum erat regiis castris, neque opinantibus omnibus, [1] si tamen in omnibus fuit Cassius (nam de hujus conscientia dubitabatur) impetum fecerunt, compluresque ibi milites oppresserunt. Quod nisi celeriter, indignatione et auxilio Lepidi proelium esset diremptum; major calamitas esset accepta.

LXIV. Quum iter Cassio patefactum esset; castra Marcellus cum Lepido conjungit. Lepidus eodem tempore, Marcellusque, Cordubam cum suis proficiscitur; Cassius Carmonam. [2] Sub idem tempus Trebonius proconsul ad provinciam obtinendam venit. [3] De cujus adventu ut cognovit Cassius, legiones, quas secum habuerat, equitatumque in hiberna distribuit: ipse, omnibus suis rebus celeriter correptis; [4] Malacam contendit; ibique adverso tempore navigandi naves conscendit, ut ipse praedicabat, ne se Trebonio, et Lepido, et Marcello committeret: ut amici ejus dictitabant, ne per eam provinciam minore cum dignitate iter faceret, cujus magna pars ab eo defecerat: ut caeteri existimabant, ne pecunia illa ex infinitis rapinis confecta in potestatem cujusquam veniret. [5] Progressus secundâ, ut hibernâ, tempestate, quum in Iberum flumen noctis vitandae caussâ se contulisset, inde paullo vehementiore tempestate nihilo periculosius se navigaturum

NOTAE.

1 *Si tamen in omnibus fuit Cassius.*] Quia dixerat *neque opinantibus omnibus*, excipit ex non opinantium numero Cassium, nam opinabatur fore quod jusserat.

2 *Sub idem tempus Trebonius proconsul.*] Quem miserat Caesar exoratus Hispanorum precibus, qui ad ipsum de alio in locum Q. Cassii subrogando scripserant. Autor est Dion.

3 *De cujus adventu ut cognovit*, &c.] Livius apud Priscianum: *Cassius gessisset cum Trebonio bellum, si Bogudem regem trahere in societatem sceleris potuisset.*

4 *Malacam contendit.*] Nunc dicitur *Malagua*, optimi vini ferax, unde in alias terras exportatur; adeo munita, ut tanquam propugnaculum aliquod, objecta videatur Africae.

5 *Progressus secunda, ut biberna, tempestate.*] Id est, secunda tempestate, quantum hiems patiebatur. Sic infra similis est locutio. *Ziela est oppidum in Ponto, positu ipso, ut in plano loco satis munitum.* Id est, quantum planities patitur, satis munitum. Nam illo tempore non erat natura munitum oppidum, quod erat in plano loco constitutum.

credens, profectus, adversis fluctibus occurrentibus ostio fluminis, in ipsis faucibus, quum neque flectere navem propter vim fluminis, neque directam tantis fluctibus tenere posset, demersâ navi periit.

LXV. Quum in Syriam Caesar ex Aegypto venisset, atque ab iis, qui Roma venerant ad eum, cognosceret, litterisque urbanis animadverteret, [1] multa Romae malè et inutiliter administrari, neque ullam partem reipublicae satis commode geri; quod et contentionibus tribunitiis perniciosae seditiones orirentur; et ambitione atque indulgentiâ tribunorum militum, et qui legionibus praeerant, multa contra morem consuetudinemque militarem fierent, [2] quae dissolvendae disciplinae severitatisque essent; eaque omnia flagitare adventum suum videret; tamen praeferendum existimavit, quas in provincias regionesque venisset, eas ita relinquere constitutas, ut domesticis dissensionibus liberarentur, jura legesque acciperent, et externorum hostium metum deponerent. [3] Haec in Syriâ, Ciliciâ, Asiâ celeriter se confecturum sperabat; quod hae provinciae nullo bello premebantur: In Bithyniâ [4] ac Ponto plus oneris videbat impendere sibi. Non enim excessisse Ponto Pharnacem audiêrat, neque excessurum putabat, quum secundo proelio esset vehementer inflatus, quod contra Domitium Calvinum fecerat. Commoratus ferè in omnibus civitatibus, quae majore sunt dignitate praemia bene meritis et viritim et publicè tribuit: de controversiis veteribus cognoscit ac statuit. Reges, [5] tyrannos, [6] dynastas provinciae, finitimosque, qui omnes ad eum concurrerant, receptos in fidem, conditionibus impositis provinciae tuendae ac defendendae, dimittet et sibi, et Populo Rom. amicissimos.

LXVI. Paucis diebus in eâ provinciâ consumptis, Sex. Caesarem amicum et necessarium suum legionibus Syriaeque praefecit. Ipse eâdem classe, quâ venerat, proficiscitur in Ciciliam. Cujus provinciae civitates omnes evocat Tarsum: quod oppidum fere totius Ci-

NOTAE.

1 *Multa Romae male et inutiliter administrari.*] Cum plurima arguunt multa male Romae gesta fuisse, tuum quod Livius scribit P. Dolabellam legem de tabulis novis tulisse. Unde exorta seditio, quam ut compesceret, cum in urbem milites induxisset M. Antonius magister equitum, periisse de plebe DCCC. Multa item male gerebant ejus amici, qui illum sibi esse obnoxium propter operam in bello navatam putabant, quorum primi erant Dolabella, Antonius atque Cornificius.

2 *Quae dissolvendae disciplinae severitatisque essent.*] Hellenismus est, subaudi ἕνεκα causa.

3 *Haec in Syriâ, Ciciliâ, Asiâ*] Proprie dicta, de quâ supra.

4 *Ac Ponto.*] Macedones, debellato Dario Cappadociam, quam Persae duas in Satrapias diviserant, in totidem regna partiti sunt. Alteram ad Taurum, Cappadociam, alteram Pontum appellaverunt, quae Pharnacis erat tempore Caesaris. Quo Pharnace depulso, Mithridates Pergamenus eam beneficio Caesaris habuit.

5 *Tyrannos.*] Parvi reges seu regibus minores. Ipse Aeneas apud Virg. VII. Aeneid. à Latino rege eo nomine appellatur.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Sed quia parvi illi reges vi et caedibus sua regna funestaverunt, obtinuit, ut qui injuste dominatur rex, tyrannus dicatur.

6 *Dynastas provinciae.*] De Dynastis supra dictum.

liciae nobilissimum fortissimumque est. Ibi, rebus omnibus provinciae et finitimarum civitatum constitutis, cupiditate proficiscendi ad bellum gerendum non diutiùs moratur; magnisque itineribus per Cappadociam confectis biduum [1] Mazacae commoratus, venit [2] Comana, vetustissimum et sanctissimum in Cappadociâ [3] Bellonae templum, quod tantâ religione colitur, [4] ut sacerdos ejus Deae majestate, imperio et potentiâ secundus à rege consensu gentis illius habeatur. Id homini nobilissimo Nicomedi Bithynio adjudicavit: qui regio Cappadocum genere ortus, propter adversam fortunam majorum suorum, mutationemque generis, jure minimè dubio, vetustate tamen intermisso, sacerdotium id repetebat. [5] Fratrem autem Ariobarzanis Ariaratem, quum benè meritus uterque eorum de republ. esset, ne aut regni haereditas Ariaratem sollicitaret, aut haeres regni terreret, Ariobarzani attribuit, qui sub ejus imperio ac ditione esset: ipse iter coeptum simili velocitate conficere coepit.

LXVII. Quum propiùs Pontum finesque [6] Gallograeciae accessisset Dejotarus tetrarchus Gallograeciae tunc quidem paene totius, quod ei neque legibus, neque moribus concessum esse caeteri tetrarchae contendebant, sine dubio autem [7] rex Armeniae minoris ab senatu appellatus, depositis regiis insignibus, neque tantum privato vestitu, sed etiam reorum habitu, supplex ad Caesarem venit oratum, ut sibi ignosceret, quod in eâ parte positus terrarum, quae nulla praesidia Caesaris habuisset, exercitibus imperiisque in Cn. Pompeii

NOTAE.

1 *Mazacae.*] Mazaca Cappadociae metropolis. Postea Caesarea dicta, sub Argeo monte.

2 *Comana.*] Duae commemorantur à Strabone urbes eodem nomine, eidem Deae sacrae, altera in Ponto, altera in Cappadociâ, de quâ postrema hic agitur.

3 *Bellona.*] Bellona belli Dea, quae Graece Ἐνυὼ dicitur.

4 *Ut sacerdos ejus Deae.*] Strabo memorat sua aetate plusquam sex mille servos sacros Bellonae, regis quidem Cappadociae subditos, illius sacerdotis imperio paruisse. Quod sacerdotium abstulit Caesar Archelao ob studium Pompeianarum partium, cujus studii illi et Dejotarus et Ariobarzanes soli poenas luerunt.

5 *Fratrem autem Ariobarzanis Ariaratem.*] Hujus meminit Cicero, lib. epist. xv. dicitque illum Ariaratem fuisse à quibusdam sollicitatum ut regnare vellet. Quod ne fieret, videtur Caesar autoritate suâ Ariobarzani regi fratrem Ariaratem subjecisse.

6 *Gallograeciae.*] Strabo, lib. xii. scribit suâ tempestate tres fuisse reges Galatiae, deinde duos, deinde unum Dejotarum, cui successerit Amyntas, post quem, Gallograeciam in provinciam fuisse redactam. Illi porrò Gallograeci à Gallis oriundi, habent ad orientem, Cappadociam, ad occidentem, Bithyniam, ad meridiem, Pamphyliam, ad septentrionem, Pontum Euxinum. T. Livius de illis: *Gallograeci bellicosiores eâ tempestate erant, Gallicos adhuc, nondum exoleta stirpe, servantes animos.* Horum in Asiam commigrationem lege apud T. Livium, lib. xviii. qui bellum Macedonicum et Asiaticum continet.

7 *Rex Armeniae.*] Armenia habet ad meridiem, Taurum montem, quo disterminatur à Mesopotamiâ, ad orientem, Mediam, ad septentrionem, Iberas Albanosque, ad occidentem, Cappadociam. Dividebatur in majorem et minorem. Minoris, de quâ hic agitur, urbes erunt primariae Nicopolis et Sebaste. Majoris verò Artaxata. Posterioribus temporibus minor dicta est prima, major verò secunda, ut patet ex libro notitiarum. Appianus, lib. 11. bell. civil. Ciseuphratenos appellat et Transeuphratenos, quia Euphrates fluvius Armeniam intersecat. Nomen hodie retinet.

castris fuisset: neque enim se judicem debuisse esse controversiarum populi R. sed parere praesentibus imperiis.

LXVIII. Contra quem Caesar, quum plurima sua commemorâsset officia, quae consul ei decretis publicis tribuisset; quumque defensionem ejus nullam posse excusationem ejus imprudentiae recipere coarguisset; quod homo tantae prudentiae ac diligentiae scire potuisset, quis urbem Italiamque teneret; [1] ubi senatus populusque Romanus, ubi respubl. esset, quis deinde post L. Lentulum, C. Marcellum consul esset: sed tamen se concedere id factum superioribus suis beneficiis, veteri hospitio atque amicitiae, dignitati aetatique hominis, precibus eorum qui frequentes concurrissent hospites atque amici Dejotari ad deprecandum: de controversiis tetrarcharum postea se cogniturum esse dixit: regium vestitum ei restituit. Legionem autem, quam ex genere civium suorum Dejotarus armaturâ disciplinâque nostrâ constitutam habebat, equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere jussit.

LXIX. Quum in Pontum venisset, copiasque omnes in unum locum coëgisset; quae numero, atque exercitatione bellorum mediocres erant (exceptâ enim legione VI, quam secum adduxerat Alexandriâ veteranam, multis laboribus periculisque functam, multisque militibus partim difficultate itinerum ac navigationum, partìm crebritate bellorum adeo diminutam, [2] ut minus mille hominum in ea esset; reliquae erant III legiones, una Dejotari, duae quae in eo proelio, quod Cn. Domitium fecisse cum Pharnace scripsimus, fuerant) legati à Pharnace missi Caesarem adeunt, atque in primis deprecantur, ne ejus adventus hostilis esset. Facturum enim omnia Pharnacem, quae imperata essent. Maximèque commemorabant nullà Pharnacem auxilia contra Caesarem Pompeio dare voluisse; quum Dejotarus, qui dedisset, tamen ei satisfecisset.

LXX. Caesar respondit se fore aequissimum Pharnaci, si, quae polliceretur, repraesentaturus esset. [3] Monuit autem, ut solebat, mitibus verbis legatos, ne aut Dejotarum sibi objicerent, aut nimis eo gloriarentur beneficio, quod auxilia Pompeio non misissent. Nam se neque libentiùs facere quidquam, quam supplicibus ignoscere; neque provinciarum publicas injurias condonare iis posse, qui non fuissent in se officiosi: id ipsum, quod commemorâssent, officium utilius Pharnaci fuisse, qui providisset ne vinceretur, quam sibi, cui Dii immortales victoriam tribuissent. Itaque se magnas et graves injurias civium Ro-

NOTAE.

1 *Ubi senatus populusque Romanus.*] Dejotarus reponere poterat illlud Lucani,

——non unquam perdidit ordo
Mutato sua jura loco.——

2 *Ut minus mille hominum in ea esset.*] Quae tamen V millium hominum et CCC esse debuit, si plena fuisset et integra.

3 *Monuit autem, ut solebat, mitibus verbis.*] Dio scripsit illum comiter primos et secundos Pharnacis legatos excepisse, ut incauto propter spem pacis ingrueret, tertiis verò venientibus dixisse graviter, Pompeium bene de se meritum male dereliquisse. Hoc est quod Veget. lib. III. cap. 3. docet: *Frequentius conventionem pacisque simulatio credulis, quam arma nocuerunt.* Male Eutropius indiligens scriptor, tradit cum Pompeio Pharnacem apud Thessaliam fuisse.

manorum, qui in Ponto negotiati essent, quoniam in integrum restituere non posset, concedere Pharnaci. Nam neque interfectis amissam vitam, [1] neque exsectis virilitatem restituere posse; quod quidem supplicium gravius morte cives Romani subîssent: Ponto verò decederet confestim; familiasque publicanorum remitteret; caeteraque restitueret sociis civibusque Romanis, quae penes eum essent. Si fecisset, jam tunc sibi mitteret munera, ac dona, quae benè rebus gestis imperatores ab amicis accipere consuêssent. Miserat enim Pharnaces coronam auream.

LXXI. His responsis datis, legatos remisit. At Pharnaces omnia liberaliter pollicitus; [2] quum festinantem ac properantem Caesarem speraret libentiùs etiam crediturum suis promissis, quam res pateretur; quo celeriùs honestiùsque ad res magis necessarias proficisceretur (nemini enim erat ignotum, plurimis de caussis ad Urbem Caesarem revocari) lentius agere, decedendi diem postulare longiorem, pactiones interponere, in summa frustrari coepit. Caesar cognitâ calliditate hominis, quod aliis temporibus naturâ facere consueverat, tunc necessitate fecit adductus, ut celeriùs omnium opinione manum consereret.

LXXII. [3] Ziela est oppidum in Ponto positu ipso, ut in plano loco, satis munitum. Tumulus enim naturalis, velut manu factus, excelsiore undique fastigio sustinet murum. Circumpositi sunt huic oppido magni multique intercisi vallibus colles: quorum editissimus unus, qui propter victoriam Mithridates, et infelicitatem [4] Triarii, detrimentumque exercitûs nostri, superioribus locis atque itineribus penè conjunctus oppido, magnam in illis partibus habet nobilitatem; nec multo longius millibus passuum III abest ab Zielâ. Hunc locum Pharnaces, veteribus paternorum felicium castrorum, refectis operibus, copiis omnibus suis occupavit.

LXXIII Caesar, quum ab hoste millia passuum V castra posuisset; videretque eas valles, quibus regia castra munirentur, eodem intervallo sua castra munituras; si modo ea loca hostes priores non cepissent, quae multo erant propiora regis castris; aggerem comportari jubet intra munitiones. Quo celeriter collato, proximâ nocte, vigiliâ quartâ, legionibus omnibus expeditis, impedimentisque in castris re-

NOTAE.

1 *Neque exsectis virilitatem*, &c.] Appianus lib. II. scribit Pharnacem, fracto Domitio, captis Amysenis in Ponto, qui partes tenebat Romanorum, pueris exsecuisse virilia, Caesaris autem adventu cognito misisse coronam auream, et filiae qui matrimonium offerrent. Reges enim atque civitates mittere solebat coronas aureas, gratantes bonos successus.

1 *Quum festinantem ac properantem Caesarem speraret libentius*, &c.] Cum ignorem quid *festinare et properare* inter se differant, libens accipio lectionem quam suppeditant MSS. Regii codices tres, Thuani duo *festinantem ac praecurrentem*. Manuscriptus Victorinus habet *procurrentem*.

3 *Ziela*.] Urbs Cappadociae.

4 *Triarii*.] Plutarchus testatur in vita Luculli Triarium ejus legatum, non expectato sui imperatoris exercitu, commisso proelio, gravem cladem accepisse, in quâ VII millia perierunt, centuriones CL, tribuni militum plusquam XXIV, eoque proelio esse castris exutum. Is est qui lib. III, de bello civili commemoratur. Ille verò mons ab Appiano Scotius dicitur.

lictis, primà luce, neque opinantibus hostibus, eum ipsum locum cepit, in quo Mithridates secundum proelium adversus Triarium fecerat. [1] Huc omnem comportari aggerem è castris servitia, quae ageret, jussit; ne quis ab opere miles discederet; quum spatio non amplius mille passuum intercisa vallis castra hostium divideret ab opere incepto Caesaris castrorum.

LXXIV. Pharnaces, quum id repentè primâ luce animadvertisset, copias suas omnes pro castris instruxit; quas, interpositâ tanta locorum iniquitate, consuetudine magis pervulgatâ militari credebat instrui Caesar, vel ad opus suum tardandum, quo plures in armis tenerentur, vel ad ostentationem regiae fiduciae, ne munitione magis quam manu defendere locum Pharnaces videretur. Itaque deterritus non est, quo minus, primâ acie pro vallo instructâ, reliqua pars exercitus opus faceret. At Pharnaces impulsus sive loci felicitate, sive auspiciis et religionibus inductus, quibus obtemperâsse eum postea audiebamus; sive paucitate nostrorum, qui in armis erant, compertâ, quum more operis quotidiani, magnam illam servorum multitudinem, quae aggerem portabat, militum esse credidisset; sive etiam veterani fiduciâ exercitûs sui, quem [cum legione] XXII in acie conflixisse, et vicisse, legati ejus gloriabantur; simul contemptu exercitûs nostri, quem pulsum à se, Domitio duce, sciebat; inito consilio dimicandi, descendere praeruptâ valle coepit. Cujus aliquandiu Caesar irridebat inanem ostentationem, et eo loco militum coarctationem, quem in locum nemo sanus hostis subiturus esset: quum interim Pharnaces eodem gradu, quo praeruptam descenderat in vallem, [2] ascendere adversus arduum collem instructis copiis coepit.

LXXV. Caesar incredibili ejus vel temeritate vel fiduciâ motus, neque opinans imparatusque oppressus, eodem tempore milites ab operibus vocat, arma capere jubet, legiones opponit, aciem instruit. Cujus rei subita trepidatio [3] magnum terrorem attulit nostris, nondum ordinibus instructis. [4] Falcatae regiae quadrigae permistos milites perturbant, quae tamen celeriter multitudine telorum, oppri-

NOTAE.

1 *Huc omnem comportare aggerem à castris servitia, quae ageret, jussit.*] Certum est mendum. Quamquam enim intelligitur sententia male tamen explanatur, nec satis juvant in emendando MSS. codices. Victorinus unus habet: *Huc omnem comportari aggerem servitiaque agi jussit.* Unde sumendo particulam *que* et *e* nostro textu, in voce *ageret* demendo finale *t* repono: *Huc omnem comportare aggerem servitiaque agere jussit.* Agebant enim servitia quod ipsis militibus agendum erat.

2 *Ascendere adversus arduum collem,* &c.] Iniquitas loci magnum habet momentum ad victoriam. Nunquam Caesar iniquo loco pugnavit, quanquam omnia reliqua faverent.

3 *Magnum terrorem attulit,* &c.] Nunquam fere Caesar non instruxit aciem ante hostium adventum.

4 *Falcatae regiae quadrigae.*] Harum formam exprimit Livius lib. XVII. de bello Macedonico: *Armatae autem in hunc modum erant. Cuspides circa temonem ab jugo decem cubitos extantes velut cornua habebant, quibus quicquid obvium daretur, transfigerent, et in extremis jugis binae circum eminebant falces, altera aequata jugo, altera inferior ad terram devexa, illa ut quicquid ab latere objiceretur, abscinderet, haec ut prolapsos procumbentesque contingeret. Item ab axibus rotarum, utrinque bina eodem modo diversae designabantur falces.* Vegetius vero lib. III. cap. 24. remedium illis opponit, quod ibi vide.

muntur. Insequitur has acies hostium; et clamore sublato confligitur, multum adjuvante naturâ loci, plurimum Deorum immortalium benignitate: qui quum omnibus casibus belli intersunt, tum praecipuè eis, quibus nihil ratione potuit administrari.

LXXVI. Magno atque acri cominus proelio facto, dextro cornu, quo veterana legio VI erat collocata, initium victoriae natum est ab eâ parte, quum in proclive detruderentur hostes; multo tardiùs, sed tamen iisdem Diis adjuvantibus, sinistro cornu, mediâque acie, totae profligantur copiae regis. Quae quam facile subierant iniquam locum, tam celeriter gradu pulsae premebantur loci iniquitate. Itaque multis militibus partìm interfectis, partìm suorum ruinâ oppressis, qui velocitate effugere poterant, armis tamen projectis, vallem transgressi, nihil ex loco superiore inermes proficere poterant. At nostri victoriâ elati subire iniquum locum, munitionesque aggredi non dubitârunt. Defendentibus autem iis cohortibus castra, quas Pharnaces praesidio reliquerat, celeriter castris hostium sunt potiti. Interfectâ multitudine omni, aut captâ, suorum Pharnaces cum paucis equitibus profugit. Cui nisi castrorum oppugnatio facultatem attulisset liberiùs profugiendi, vivus in Caesaris potestatem adductus esset.

LXXVII. Tali victoriâ toties victor Caesar [1] incredibili est laetitiâ affectus, quòd maximum bellum tantâ celeritate confecerat: eratque subiti periculi recordatione laetior, quod victoria facilis ex difficillimis rebus acciderat. Ponto recepto, praedâ omni regiâ militibus condonatâ, postero die cum expeditis equitibus ipse proficiscitur: legionem VI decedere ad praemia atque honores accipiendos in Italiam jubet: auxilia Dejotari domum remittit: II legiones cum Coelio Vinciano in Ponto reliquit.

LXXVIII. Ita per Galiograeciam Bithyniamque in Asiam iter facit: omniumque earum provinciarum de controversiis cognoscit et statuit: jura in tetrarchas, reges, civitates distribuit. Mithridatem Pergamenum, à quo rem feliciter celeriterque gestam in Aegypto supra scripsimus, regio genere ortum, disciplinis etiam regiis educatum (nam eum Mithridates rex Asiae totius propter nobilitatem Pergamo parvulum secum asportaverat in castra, multosque tenuerat annos) [2] regem Bosphori constituit, quod sub imperio Pharnacis fuerat; provinciasque populi Rom. à barbaris atque inimicis regibus, interposito amicissimo rege, munivit. Eidem tetrarchiam [legibus] Gallograecorum, jure gentis et cognationis adjudicavit, occupatam et possessam paucis ante annis à Dejotaro. Neque tamen usquam diutius moratus est, quàm necessitas urbanarum seditionum pati videbatur. Rebus felicissimè celerrimèque confectis, in Italiam celerius omnium opinione venit.

NOTAE.

1 *Incredibili est laetitia affectus*, &c.] Suetonius refert intra quintum quam affuerat diem, quatuor vero, quibus in conspectum venit, horis, una acie profligasse Pharnacem, crebro commemorata felicitate Pompeii, cui de tam imbelli genere hostium praecipua militiae laus contigisset, datisque litteris in urbem scripsisse: *Veni, Vidi, Vici.*

2 *Regem Bosphori constituit.*] Non hic intelligitur fretum quod est Constantinopoli, sed quod est ad paludem Moeotin, cujus regnum Pharnaces amiserat.

III. Postquam [1] Adrumetum accessit, [2] ibi praesidium erat adversariorum, cui praeerat C. Considius, et à Clupeis secundum oram maritimam cum equitatu Adrumeti [3] Cn. Piso cum Maurorum circiter III millibus apparuit. Ibi paulisper Caesar ante portum commoratus, dum reliquae naves convenirent, [4] exponit exercitum. Cujus numerus in praesentiâ fuit peditum III millium, equitum CL: castrisque ante oppidum positis, sine injuria cujusquam consedit; cohibetque omnes à praeda. Oppidani interim muros armatis complent. Ante portam frequentes considunt ad se defendendum. Quorum numerus II legionum intus erat. Caesar circum oppidum vectus naturâ loci perspectâ, redit in castra. Non nemo culpae ejus imprudentiaeque assignabat, quod neque certum locum gubernatoribus praefectisque, quem peterent, praeceperat: neque, ut mos ipsius consuetudoque superioribus temporibus fuerat, tabellas signatas dederat, ut in tempore iis perlectis, locum certum peterent universi. Quod minime Caesarem fefellerat. Namque nullum portum terrae Africae, quo classes decurrerent, pro certo tutum ab hostium praesidio fore suspicabatur: sed fortuitu oblatam occasionem egressus aucupabatur.

IV. [5] L. Plancus interim legatus petit à Caesare, ut sibi daret facultatem cum [6] Considio agendi, si posset aliquâ ratione perduci ad sanitatem. Itaque datâ facultate litteras conscribit, et eas captivo dat perferendas in oppidum ad Considium. Quo simul atque captivus pervenisset, litterasque, ut erat mandatum, Considio porrigere coepisset, prius quam acciperet ille; Unde, inquit, istas? [7] Tum captivus, [Venio] à Caesare. Tunc Considius; Unus est, inquit, Scipio Imperator hoc tempore populi Rom. Deinde in conspectu suo captivum statim interfici jubet; litterasque nondum perlectas, sicut erant signatae, dat homini certo ad Scipionem perferendas.

V. Postquam unâ nocte et die ad oppidum consumptâ, neque responsum ullum à Considio dabatur; [8] neque ei reliquae copiae succurrebant: neque equitatu abundabat; et ad oppidum oppugnan-

NOTAE.

1 *Adrumentum.*] In Africâ proprie dictâ, hodie *Machometa*, aliis *Toulb.*

2 *Ibi praesidium erat adversariorum.*] Ex fide. MSS. Regiorum trium. Thuanorum duorum Victoriani unius repono *ubi* pro *ibi*, quod corruptum fuit *v* in *i* perperam commutato.

3 *Cn. Piso.*] Hic Piso postea partes Brutii et Cassii secutus, nihilo sectus cencesso reditu consulatum adeptus est. Filium habuit eum, qui Germanicum Caesarem creditus est veneno sustulisse.

4 *Exponit exercitum.*] Ibi cum è navi egrediens Caesar cecidisset, easumque in omen verterent milites, ipse in melius vertit dicendo, *Teneo te, Africa.* Autores sunt Suetonius, Frontinus, Dio.

5 *L. Plancus.*] Is est ad quem scribit Cicero, et de quo toties fit mentio.

6 *Considio.*] Considius ille esse potest, qui dicitur in I. lib. de bello Gallico vano metu perterritus. Sed hic Caius dicitur, cum ille Publius dicatur.

7 *Tum captivus, [Venio] à Caesare.*] Ex responso patet addendum esse, *Imperatore.* MSS. codices duo Thuani habent, non *Venio*, sed *Immo*, ubi duae primae litterae vocis *Imperatore* reperiuntur.

8 *Neque ei reliqae copiae succurrebant.*] Inferius enim dicitur Rabirius Postumos in Siciliam missus, qui secundum commeatum arcerseret.

dum non satis copiarum habebat, et eas tironum: neque primo adventu convulnerari exercitum volebat; et oppidi egregia munitio, difficilisque ad oppugnandum erat accessus: et nuntiabantur auxilia magna equitatus oppidanis [a] suppetias venire: non est visa ratio ad oppugnandum oppidum commorandi; ne, dum eâ re Caesar esset occupatus, circumventus à tergo ab equitatu hostium laboraret.

VI. Itaque castra cum movere vellet, [1] subitò ex oppido erupit multitudo: atque equitatus subsidio uno tempore eis casu succurrit, qui erat missus ab Jubâ ad stipendium accipiendum: castraque, unde Caesar egressus iter facere coeperat, occupant: et ejus agmen extremum insequi coeperunt. Quae res quum animadversa esset, subitò legionarii consistunt; et equites, quanquam erant pauci, tamen contra tantam multitudinem audacissime concurrunt. [2] Accidit res incredibilis, ut equites minus XXX Galli, Maurorum equitum II millia loco pellerent, [3] urgerentque in oppidum. Postquam repulsi et conjecti erant intra munitiones, [4] Caesar iter constitutum ire contendit. Quod quum saepius facerent; et modo insequerentur, modo rursus ab equitibus in oppidum repellerentur: cohortibus paucis ex veteranis, quas secum habebat, in extremo agmine collocatis, et parte equitatus, iter leniter cum reliquis facere coepit. Ita, quanto longius ab oppido discedebatur, tanto tardiores ad insequendum erant Numidae. Interim in itinere ex oppidis et castellis legationes venire, polliceri frumentum, paratosque esse, quae imperâsset, facere. Itaque eo die castra posuit ad oppidum [5] Ruspinam Kalendis Januar.

VII. Inde movit, et pervenit ad oppidum [6] Leptin liberam civitatem et immunem. Legati ex oppido veniunt obviam; libenter se omnia facturos, quae vellet, pollicentur. Itaque, centurionibus ad portas oppidi, et custodiis impositis, ne quis miles in oppidum introiret,

INTERPRETATIO.

a *Auxilio.*

NOTAE.

1 *Subito ex oppido erupit multitudo.*] Hunc sibi casum Caesar accersivit sua fiducia, cum tam paucis copiis in terram descendit.

2 *Accidit res incredibilis.*] Gallorum fortitudinis, Maurorumque ignaviae, argumentum et egregium monumentum. Sic certe de Gallorum equitatu Strabo, Gallos omnes esse pugnaces, meliores tamen equites quam pedites: Plutarchus verò in Marcello testatur Gallos optimos equites, eâque re plurimum videri praestare.

3 *Urgentque in oppidum.*] Manuscriptus Regius codex unus habet *fugarent*, alter *refugarent.* Alius item Victorinus, Thuanus unus *refugerent*, quae posteriores lectiones, quamvis mendosae, priorem tamen probant et confirmant, ut esse debeat *fugarent.*

4 *Caesar iter constitutum ire contendit.*] Latina locutio. Sic Propertius:

> *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.*

5 *Ruspinam.*] Ruspini oppidum Africae proprie dictae.

6 *Leptin.*] Leptis duplex, alia magna, alia parva. Haec parva est maritima inter duas syrtes constituta, eadem cum Neapoli, de quâ superius est dictum, si et hujus libri scriptori et Straboni fides. Plinius tamen, Mela et Antoninus in Itinerario duas Leptes agnoscunt et Neapolim. Ptolemaeus verò sic habet: Νεάπολις ἡ καὶ Τρίπολις. Palatinus verò ejus codex ἡ καὶ Λέπτις μεγάλη. Quod omnia reddit perquam incerta.

A. HIRTII
COMMENTARIORUM
DE BELLO AFRICANO
LIBER UNUS.

ARGUMENTUM LIBRI.

Dum Caesar fugientem Pompeium persequitur, ac in Aegyptum delatus cum Alexandrinis et eorum rege Ptolemaeo bellum gerit, deinde contra Pharnacem per Syriam in Pontum proficiscitur, superstites Pompeii duces et ex clade Pharsalica profugi; nacti tempus et otium certatim in Africam contenderunt, Actii Vari copiis et Jubae regis opibus confisi, quorum illustriores fuere Q. Metellus Scipio, Pompeii socer, Petreius, Afranius, Torquatus, T. Labienus, Faustus Sylla; et praecipue M. Cato, cujus laudataque modestia fuit, quod ab omnibus belli dux electus; Scipioni Consulari viro Praetorius ipse eo munere et honore cedere maluerit. Sed male consuluit patriae, dum consulit famae. Cum enim vir esset et melior et prudentior, bellare cum Caesare potuit eventu meliore, si gradum retinuisset. Caesar interim ex Ponto in Italiam regressus; compositis tumultibus urbanis; et militum seditione missionem et praemia flagitantium, ne minus augerentur hostium vires metuens, non anni tempore, non religione moveri potuit, quo minus mox in Africam trajiceret. Nam et immolanti cum aufugisset hostia, profectionem non distulit, et cum hyems esset, monerentque vates et augures, ne ante brumam trajiceret, constantissime trajecit: cessitque ea res felicissime. Hostes enim quantumlibet animis et armis instructos ingenti caede profligavit; et ad urbem reversus, non hujus tantum victoriae, sed etiam superiorum huc usque dilatos quatuor simul spectatissimos triumphos duxit, Gallicum videlicet, Alexandrinum, Ponticum, et Africanum. Hujus libri autor Hirtius putatur, ut et superioris, quem tamen incertum ait Suetonius.

I. CAESAR [1] itineribus justis confectis, nullo die intermisso, [2] ad XIV Kal. Jan. in [3] Lilybaeum pervenit: statimque ostendit, sese

In hunc librum INTERPRETATIONES *et* NOTAE.

1 *ITINERIBUS justis confectis.*] A Româ Africam versus, neque lente, neque celeriter.

2 *Ad.* XIV *Kal. Januarias.*] XVII Decembris. Erat enim apud Romanos December dierum XXIX, et hoc est quod Plutarchus ait, illum in Siciliam transisse, *περὶ τροπὰς χειμερινὰς, circa solstitium hibernum.*

3 *Lilybaeum.*] Promontorium est Siciliae cum urbe cognomine, quod spectat Africam;

naves velle conscendere; cum non amplius legionem tironum haberet unam, equitesque vix DC. Tabernaculum secundum littus ipsum constituit, ut prope fluctus verberaret. Hoc eo concilio fecit, ne quis sibi morae quidquam fore speraret, et ut omnes in dies horasque parati essent. Incidit per id tempus, ut tempestates ad navigandum idoneas non haberet. Nihilo tamen minus in navibus remiges militesque continere, et nullam praetermittere occasionem profectionis; quum praesertim [1] ab incolis ejus provinciae nuntiarentur adversariorum copiae, equitatus infinitus, [2] legiones regiae IV, levis armaturae magna vis, Scipionis legionis X, elephanti CXX, classesque esse complures; tamen non deterrebatur, animoque et spe confidebat. [3] Interim in dies et naves longae adaugeri, et onerariae complures eodem concurrere, et legiones tironem convenire; in his veterana legio V, equitum ad II millia.

II. Legionibus collectis VI, et equitum II millibus, ut quaeque prima legio venerat, in naves longas imponebatur, equites autem in onerarias. Ita majorem partem navium antecedere jussit, et insulam petere [4] Aponianam, [5] quae non abest à Lilybaeo. Ibique commoratus bona paucorum vendit publice: deinde [6] Alieno praetori, qui Siciliam obtinebat, de omnibus rebus praecipit, et [7] de reliquo exercitu celeriter imponendo. Datis mandatis, ipse navem conscendit a. d. VI. Kal. Jan. et reliquas naves statim est consecutus. Ita vento certo, celerique navigio vectus, [8] post diem quartam cum longis paucis navibus in conspectum Africae venit. Namque onerariae reliquae, praeter paucas, vento dispersae atque errabundae diversa loca petièrunt. [9] Clupeam classe praetervehitur, inde [10] Neapolim. Complura praeterea castella et oppida non longè a mari relinquit.

NOTAE.

unum de tribus illis primariis, unde est Trinacria dicta, *Capo Bocbo.*

1 *Ab incolis ejus provinciae.*] Dubium an à Siculis apud quos erat Caesar, an ab Afris apud quos plures habebat amicos, ut Uticenses.

2 *Legiones regiae.*] Jubae regis Numidiae.

3 *Interim in dies et naves longae adaugeri, et onerariae complures eodem concurrere.*] Numero supple *coeperunt*, estque modi enallage, *Eodem*, id est, in Lilybaeum.

4 *Aponianam.*] Dum nulla apud autores Aponianae fiat mentio, et Paconia commemoretur apud Ptolemaeum insula e regione Lilybaei promontorii Siciliae Africam versus, facile crediderim esse mendum.

5 *Quae non abest à Lilybaeo.*] In manuscriptis Thuanis duobus legitur *quae abest.* Aliquid suspicor desiderari, ut CC *passibus*, aut aliquid simile. Certe mendum inest. Quid enim sibi velit, *non abest à Lilybaeo?*

6 *Alieno praetori.*] Alieno ut proconsuli scribit Cicero epist. lib. XIII. studuit postea Cassio, cui et legiones tradidit, ut Cassius ipsa fatetur, lib. XII. earundem epistolarum.

7 *De reliquo exercitu celeriter imponendo.*] Navibus.

8 *Post diem quartam.*] Ex fide duorum MSS. bibliothecae Thuanae repono *quartam.* Vix enim, nisi pro tempore sumitur, dies faeminina in positione legitur.

9 *Clupeam*] Clupea sive Clypea civitas Africae proprie dictae; sita in promontorio Mercurii, de quâ supra dictum. Nonnulli vocant *Zapharam*, alii *Quipiam.*

10 *Neapolim.*] Multae sunt ubique urbes hoc nomine. Haec vero est in Africâ ad mare Mediterraneum sita, alio nomine *Leptis parva* inter duas syrtes, ubi habitabant Lotophagi quorum fit apud Homerum mentio.

equitatum universum, cujus copiam habuit in praesentiâ non magnam, et sagittarios, quorum parvus e castris exiêrat numerus, accersi, atque ordinatim signa se leniter consequi: ipse antecedere cum paucis armatis. Jamque quum procul hostis conspici posset, milites in campo jubet galeari, et ad pugnam parari. Quorum omnino numerus fuit xxx cohortium cum equitibus CD, et sagittariis**.

XIII. Hostes interim, quorum dux erat Labienus, et duo Pacidii, aciem dirigunt mirabili longitudine, non peditum, sed equitum confertam: et inter eos levis armaturae Numidas et sagittarios pedites interposuerant; et ita condensaverant ut procul Caesariani pedestres copias arbitrarentur: et dextrum ac sinistrum cornu magnis equitum copiis firmaverant. Interim Caesar aciem dirigit simplicem, ut poterat, propter paucitatem. Sagittarios ante aciem constituit: equites dextro sinistroque cornu opponit: et ita praecipit, ut providerent, ne multitudine equitatûs hostium circumvenirentur. Existimabat enim se cum pedestribus copiis, acie instructâ, dimicaturum.

XIV. Quum utrimque expectatio fieret; neque Caesar se moveret: et cum suorum paucitate contra magnam vim hostium artificio magis, quàm viribus decernendum videret; subitò adversariorum equitatus sese extendere, et in latitudinem promovere, collesque complecti, et Caesaris equitatum extenuare, simulque ad circumeundum comparare se coeperunt. Caesariani equites eorum multitudinem aegre sustinebant. Acies interim mediae quum concurrere conarentur, subitò ex condensis turmis pedites Numidae levis armaturae cum equitibus procurrunt; et inter legionarios pedites jacula conjiciunt. Hic quum Caesarini in eos impetum fecissent; illorum equites refugiebant; pedites interim resistebant, dum equites rursus, cursu renovato, peditibus suis succurrerent.

XV. Caesar novo genere pugnae oblato, quum animadverteret ordines suorum in procurrendo turbari (pedites enim, dum equites longiùs à signis persequuntur, latere nudato, à proximis Numidis jaculis vulnerabantur, equites autem hostium pilum militis cursu facile vitabant) edicit per ordines, ne quis miles à signis IV pedes longiùs procederet. Equitatus interim Labieni suorum multitudine confisus, Caesaris paucitatem circumire conatur. Equites Juliani pauci, multitudine hostium defessi, equis convulneratis, paullatim cedere: hostes magis magisque instare. Ita puncto temporis omnibus legionariis ab hostium equitatu circumventis, Caesarisque copiis in orbem compulsis, [1] intra cancellos omnes conjecti pugnare cogebantur.

XVI. Labienus in equo, capite nudo, versari in primâ acie, simul suos cohortari, nonnunquam legionarios Caesaris ita appellare: Quid tu, inquit, miles tiro, tam feroculus es? [2] Vos quoque iste verbis infatuavit. In magnum mehercule vos periculum impulit. Misereor

NOTAE.

1 *Intra cancellos.*] Similitudine ducta ab iis qui feris objecti intra septa quaedam pugnare coguntur.

2 *Vos quoque iste verbis infatuavit.*] Caesar. Quasi fatuum esse necesse sit, qui pro Caesare pugnet.

vestri. Tum miles: Non sum, inquit, tiro, Labiene, sed de legione x veteranus. Tum Labienus: Non agnosco, inquit, signa Decumanorum. Tum miles: Jam me, quis sim, intelliges. [1] Simul cassidem de capite dejecit, ut cognosci ob eo posset; atque ita pilum viribus contortum dum in Labienum mittere contendit, equi graviter adverso pectori affixit; et ait: Labiene, Decumanum militem, qui te petit, scito esse. Omnium tamen animi in terrorem conjecti, et maxime tironum. Circumspicere enim Caesarem, neque amplius facere, nisi hostium jacula vitare.

XVII. [2] Caesar interim, consilio hostium cognito, jubet aciem in longitudinem quam maximam porrigi, et alternis conversis cohortibus, ut una post alteram ante signa tenderet. Ita coronam hostium dextro sinistroque cornu mediam dividit; et unam partem ab altera exclusam, equitibus intrinsecùs adortus, cum peditatu telis conjectis in fugam vertit: neque longius progressus, veritus insidias, se ad suos recipit. Idem altera pars equitum peditumque Caesaris facit. His rebus gestis, et procul hostibus repulsis, convulneratisque, ad sua praesidia sese, sic ut erat instructus, recipere coepit.

XVIII. Interim [3] M. Petreius, et [4] Cn. Piso cum equitibus Numidis mille c electis, peditatuque ejusdem generis satis grandi, ex itinere rectà subsidio suis occurrunt. At hostes, suis ex terrore firmatis rursusque renovatis animis, legionarios conversis equitibus se recipientes novissimos adoriri, et impedire coeperunt, quo minus se in castra reciperent. Hâc re animadversâ, Caesar jubet signa converti, et medio campo redintegrari proelium. Quum ab hostibus eodem modo pugnaretur; nec cominùs ad manus rediretur; Caesarisque equites jumenta ex nauseâ recenti, siti, languore, paucitate, vulneribus defatigata, ad insequendum hostem [5] perseqerandumque cursum tardiora haberent: dieique pars exigua jam reliqua esset; cohortibus equitibusque circumdatis imperat, ut uno ictu contenderent, neque remitterent, donec ultra ultimos colles hostes repulissent, atque eorum essent potiti. Itaque, signo dato, quum jam hostes languidè negligenterque

NOTAE.

1 *Simul cassidem de capite dejecit.*] Hinc intelligitur cassides illas, nostrarum similes, vultum texisse, quas sensim tandem sequentibus temporibus laborem exosi deposuerunt, ut queritur Vegetius, lib. 1. cap. 20. *Qui laborem in portandis veteribus munimentis armorum ferre non possunt, detectis corporibus et vulnera sustinere coguntur, et mortes, et, quod est gravius et turpius, aut capi, aut certe fuga Rempublicam prodere.*

2 *Caesare, interim, consilio hostium cognito.*] Quod scilicet in orbem cogi suam aciem et circumveniri vellent, ipse quoque suam aciem in longum exporrexit.

3 *M. Petreius.*] De Marco Petreio supra dictum.

4 *Cn. Piso.*] Quis fuerit, non facile dictu. Commemoratur unus eo nomine à Sallustio, quem ait occisum fuisse in Hispaniâ, atque adeo is esse non potuit; alter à Val. Maximo, qui non absurde, quoniam nomen et tempus congruit, hic esse putetur qui, Pompeio sua gratia è judicio Manilium Cripsum eripienti multa et gravia crimina objecit. Interrogatus deinde ab eo, cur se quoque non accusaret? Da, inquit, prædes Reip. te, si postulatus fueris, civile bellum non excitaturum, etiam de tuo prius quam de Manilii capite in consilium judices mittam.

5 *Perseverandumque cursum.*] Raro exemplo *perseverare* active dicitur. Ut plurimum enim neutrali in positione dicitur.

aut injuriam faceret cuipiam incolæ, non longe ab oppido secundum littus facit castra. Eodem naves onerariae et longæ nonnullæ casu advenerunt. Reliquae, ut est ei nuntiatum, incertae locorum, [1] Uticam versus petere visae sunt. Interim Caesar à mari non digredi, neque Mediterranea petere, propter navium errorem; equitatumque in navibus omnem continere, ut arbitror, ne agri vastarentur; aquam in naves jubet comportari. Remiges interim, qui aquatum è navibus exiêrant, subitò equites Mauri, neque opinantibus Caesarianis, adorti multos jaculis convulnerárunt, nonnullos interfecerunt. Latent enim in insidiis cum equis inter convalles, et subito existunt, non ut in campo cominùs depugnent.

VIII. Caesar interim in [2] Sardiniam nuntios cum litteris, et in reliquas provincias finitimas dimisit, ut sibi auxilia, commeatus, frumentum, simul atque litteras legissent, mittenda curarent: exoneratisque partim navibus longis, [3] Rabirium Postumum in Siciliam ad secundum commeatum accersendum mittit. Interim cum x navibus longis ad reliquas naves onerarias conquirendas, quae deerrâssent, et simul mare tuendum ab hostibus, [4] jubet proficisci. Item C. Sallustium Crispum praetorem ad [6] Cercinam insulam versus, quam adversarii tenebant, cum parte navium ire jubet; quod ibi magnum numerum frumenti esse audiebat. Haec ita imperabat, itaque unicuique praecipiebat, ut fieri posset, nec ne locum nullum excusatio haberet, nec moram tergiversatio. Ipse interea ex perfugis et incolis, cognitis conditionibus Scipionis, et qui cum eo contra se bellum gerebant, miserari (regium enim equitatum in provinciâ Africâ Scipio alebat) tantâ homines esse dementiâ, ut mallent regis esse vectigales, quam cum civibus in patriâ in suis fortunis esse incolumes.

IX. Caesar a d III Non. Jan. castra movet: Leptique VI cohortium praesidio cum Saserna relicto, ipse rursus, unde pridie venerat, Ruspinam cum reliquis copiis convertit: ibique sarcinis exercitus relictis, ipse cum expeditâ manu proficisitur circum villas frumentatum; oppidanisque imperat, ut plaustra jumentaque omnia sequantur. Itaque magno frumenti invento numero, Ruspinam redit. Hoc eum idcirco existimo fecisse, ne maritima oppida post se vacua relinqueret, praesidioque firmata [7] ad classim receptacula muniret.

NOTAE.

1 *Uticam.*] Utica post excidium Carthaginis facta primaria Africae. Hodie *Portosarina* creditur esse.

2 *Sardiniam.*] Sardinia maris Mediterranei insula inter Italiam et Africam. Hispaniam Galliamque fere media, Graece Σαρδὼ.

3 *Rabirium Postumum.*] Rabirius Postumus hic est, pro quo extat oratio Ciceronis.

4 *Jubet proficisci.*] Milites.

5 *C. Sallustium Crispum.*] Is est primus Romana scriptor in historia, qui quod ab Appio Claudio censore Pompeianarum partium fuisset senatu motus, ad partes accesserat Caesaris. Autor Dio.

6 *Cercinam.*] Cercina insula testibus Plinio et Salustio, ad promontorium minoris Syrtis, teste Mela, perparva, Carthaginem versus. Nomen adhuc retinet.

7 *Ad classim receptacula.*] Manuscriptus codex Victorinus habet, *ad classis receptacula.* Quae forte melior lectio.

X. Itaque, ibi relicto P. Saserna, fratre ejus, quem Lepti proximo oppido reliquerat cum legione, jubet comportari ligna in oppidum quam plurima: ipse cum cohortibus VII, quae ex veteranis legionibus in classe cum Sulpicio et [1] Vatinio rem gesserant, ex oppido Ruspina egressus; proficiscitur ad portum, qui abest ab oppido millia passuum II; ibique classem sub vesperum cum eâ copiâ conscendit. [2] Omnibus in exercitu insciis, et requirentibus Imperatoris consilium; magno metu ac tristitia sollicitabantur. [3] Parvà enim cum copiá, [4] et eâ tironum, neque omni expositâ, in Africa contra magnas copias, et insidiosæ nationis, equitatumque innumerabilem, se expositos videbant; neque quidquam solatii in præsentiâ, neque auxilium in suorum consilio animadvertebant, nisi in ipsius Imperatoris vultu, vigore, mirabilique hilaritate. Animum enim altum et erectum prae se gerebat. Huic acquiescebant homines, et in ejus scientiâ et consilio omnia sibi proclivia omnes fore sperabant.

XI. Caesar in navibus unà nocte consumptâ, jam coelo albente, quum proficisci conaretur, subitò navium pars, de quâ timebat, ex errore eodem conferebatur. Hâc re cognitâ, Caesar celeriter de navibus imperat omnes egredi, atque armatos in littore reliquos advenientes milites expectare. Itaque sine morâ navibus eis in portum receptis, et advectis militum equitumque copiis, rursus ad oppidum Ruspinam redit, atque ibi castris constitutis, ipse cum cohortibus expeditis XXX frumentatum est profectus. Ex eo est cognitum Caesaris consilium: illum cum classe navibus onerariis, quae deerrâssent, subsidio ire clam hostibus voluisse; ne casu imprudentes suae naves in classem adversariorum inciderent; [5] neque eam rem eos voluisse scire, qui in praesidiis relicti sui milites fuissent; ne illi propter suorum paucitatem, et hostium multitudinem, metu deficerent.

XII. Interim quum jam Cæsar progressus esset à castris circiter millia passuum III, per speculatores et [6] antecessores equites nuntiatur ei, copias hostium haud longè à se visas. Et herclè cum eo nuntio pulvis ingens conspici coeptus est. Hâc re cognita, Cæsar celeriter jubet

NOTAE.

1 *Vatinio.*] De Vatinio supra in libro III. de bello Civili et de bello Alexandrino.

2 *Omnibus in exercitu insciis.*] Vegetius lib. III. cap. 6. scribit veteres Minotauri signum in legionibus habuisse, ut quemadmodum ille in intimo et secretissimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis consilium semper occultum esset.

3 *Parvâ enim cum copiâ.*] Raro dictum invenias. Dicitur enim *copiae*,

4 *Et ea tironum.*] Hujus libri initio unam legionem Caesari apud Lilybaeum fuisse scriptum est.

5 *Neque eam rem eos voluisse scire.*] Ne, ut infra dicitur, propter suorum paucitatem et hostium multitudinem metu deficerent. Tale consilium Eumenis magnopere est laudatum, qui cum suos milites contra fortissimos hostes duceret; deviis itineribus duxit, in quibus vera audire non possent, et his persuasit se contra quosdam barbaros proficisci, et prius in aciem exercitum eduxit, quam milites sui scirent cum quibus arma conferrent. Autores sunt Cornelius Nepos et Plutarchus.

6 *Antecessores equites.*] Antecessores sunt, ut videtur Turnebo, lib. XXIV. adversariorum cap. 16. qui ante agmen eunt, locaque castris metandis idonea deligunt, et vias qua duci exercitus possit, vident. Eosdem homines antecursores Caesar dicit, lib. I. de bello Civili.

tudinem. Labienus saucios suos, quorum numerus maximus fuit, jubet in [1] plostris deligatos Adrumetum deportari. Naves interim Caesaris onerariae errabundae male vagabantur, incertae locorum atque castrorum suorum: quas singulas scaphae adversariorum complures adortae incenderant atque expugnaverant. Hâc re nuntiatâ Caesari, classes circum insulas portusque disposuit: quo tutiùs commeatui supportari posset.

XXII. M. Cato interim qui Uticæ præerat, Cn. Pompeium filium multis verbis, assiduèque objurgare non desistebat. [2] Tuus, inquit, pater, istuc ætatis quum esset, et [3] animadvertisset remp. ab audacibus sceleratisque civibus oppressam, bonosque aut interfectos, aut auxilio multatos patriâ civitateque carere; gloriâ et animi magnitudine elatus, privatus, atque adolescentulus, paterni exercitus reliquiis collectis, pene oppressam funditus et deletam Italiam, urbemque Romanam, in libertatem vindicavit: idemque Siciliam, Africam, Numidiam, Mauritaniam mirabili celeritate armis recepit. Quibus ex rebus sibi eam dignitatem, quae est per gentes clarissima notissimaque, conciliavit; adolescentulusque, atque eques Romanus triumphavit. Atque ille non ita amplis rebus patris gestis, neque tam excellenti majorum dignitate [partâ] neque tantis clientelis, nominisque claritate praeditus in remp. est ingressus. Tu contra et patris nobilitate et dignitate, et per te ipse satis animi magnitudine diligentiâque praeditus, nonne eniteris, et proficisceris ad paternas clientelas, auxilium tibi, reique publicae, atque optimo cuique efflagitatum?

XXIII. His verbis hominis gravissimi incitatus adolescentulus cum naviculis cujusquemodi generis xxx, inibi paucis rostratis, profectus ab Uticâ est in Mauritaniam, regnumque Bogudis est ingressus: expeditoque exercitu, numero servorum, liberorum, II millium, cujus partem inermem, partem armatam habuerat, ad oppidum [4] Ascurum accedere cœpit: in quo oppido praesidium fuit regium. Pompeio adveniente, oppidani usque eo passi propius eum accedere, donec ad ipsas portas ac murum appropinquaret, subitò eruptione factâ prostratos perterritosque Pompeianos in Mare passim navesque compulerunt. Ita re male gestâ Cneius Pompeius filius naves inde avertit, neque postea littus attigit; classemque ad insulas Baleares versus convertit.

XXIV. Scipio interim cum iis copiis, quas paullo ante demonstravimus, Uticae grandi praesidio relicto, profectus primum Adrumeti castra ponit; deinde ibi paucos dies commoratus, noctu itinere

NOTAE.

1 *Plostris.*] *Au* in *a* saepe convertitur Saepius *plaustris.* Ne invalidi motu ex vehiculo excuterentur.

2 *Tuus, inquit, pater, istuc aetatis.*] Testantur Velleius Patercul. et Plutarchus tunc fuisse natum XXIII annis, cum Carboni obsistere coepit.

3 *Animadvertisset remp.*] Quales erant Cinna, Carbo, de quibus vide Plutarchum in vitâ Pompeii, item Appianum, lib. I.

4 *Ascurum.*] Africae urbs in Mauritaniâ, quae tunc erat sub Bogudis imperio.

5 *Ad insulas Baleares.*] Baleares duae numerantur à Ptolemaeo, quarum incolae erant optimi jaculatores, de quibus supra dictum.

facto, cum Petreii et Labieni copiis se conjungit; atque unis castris factis, III millia passuum longè considunt. Equitatus interim eorum circum Caesaris munitiones vagari, atque eos, qui pabulandi aut aquandi gratiâ extra vallum progressi essent, excipere. Ita omnes adversarios intra munitiones continere. Quâ re Caesariani gravi annona sunt conflictati; ideo quod nondum neque ab Siciliâ, neque ab Sardiniâ commeatus supportatus erat, [1] neque per anni tempus in mari classes sine periculo vagari poterant; neque ampliùs millia passuum VI terrae Africae quoquoversus tenebant, pabulique inopia premebantur. Quâ necessitate coacti veterani milites, equitesque, qui multa terrâ marique bella confecissent, et periculis inopiâque tali saepe essent conflictati, [2] algâ à littore collectâ, et aquâ dulci elutâ, et ita jumentis esurientibus datâ, vitam eorum producebant.

XXV. [3] Dum hæc ita fierent, rex Juba, cognitis Cæsaris difficultatibus, copiarumque paucitate, non est visum dari spatium convalescendi, augendarumque ejus opum. Itaque comparatis equitum magnis peditumque copiis, subsidio suis, egressus è regno, ire contendit. [4] P. Sitius, interim, et rex [5] Bogud, conjunctis suis copiis, cognito regis Jubae egressu, propius ejus regnum copias suas admovere: [6] Cirtamque oppidum ejus regni opulentissimum adorti paucis diebus pugnando capiunt; et praeterea duo oppida [7] Getulorum. Quibus quum conditionem ferrent, ut oppido excederent, idque sibi vacuum transderent, conditionemque repudiàssent, postea ab iis capti interfectique sunt omnes. Inde progressi agros oppidaque vexare non desistunt. Quibus rebus cognitis Juba, quum jam non longè â Scipione atque ejus duci-

NOTAE.

1 *Neque per anni tempus.*] Nam mense Januario ineunte ista gerebantur.

2 *Alga à littore collecta.*] Plutarchus scribit algae immiscuisse herbae paululum, quam agrestin appellat, vitem albam Dioscorides, idque pro condimento.

3 *Dum haec ita fierent, rex Juba cognitis Caesaris difficultatibus, copiarumque paucitate, non est visum,* &c.] Magna videtur esse orationis inconsequentia. Deberet enim esse *regi Jubae visum est.* Sed quia *visum est* positum est pro *credidit*, rectus casus est praemissus, quasi esset *rex Juba credidit.*

4 *P. Sitius.*] Exulabat ab Italiâ ob conjurationem, ut puto, Catilinae. Nam apud Sallustium Catilina popularibus suae conjurationis dicit in Mauritaniâ esse cum exercitu P. Sitium Nucerinum, consilii sui participem; nactusque is exules aliquot, ex Hispaniâ in Mauritaniam transiit, ubi non segnem operam Boccho regi praestabat, quam tandem Caesari obtulit, sed tam opportunam, ut Dio dicat ab aliquo Deo missum fuisse videri, cum nullum haberet ante à Caesare beneficium imo nec esset ipsi cognitis, eoque tempore Caesarem juvit, ut salutem attulerit. Is tandem ab Arabione Manassis regis filio fuit interemptus, ut testatur Appianus, lib. IV.

5 *Bogud.*] Erat Mauritaniae rex, Caesaris amicus, de quo supra.

6 *Cirtamque.*] Cirta Numidiae metropolis, Massinissae quondam regia. Plinius et Mela coloniam Sitianorum vocant. Forte ab hoc P. Sitio est eo deducta Constantinae nomen huic inditum, ut scribit Aurelius Victor, atque hoc nomen adhuc retinere contendunt. Equitum millia x, peditum xx facile emittebat, teste Strabone.

7 *Getulorum.*] Getuli parebant regi Jubae, ut videtur, maxima tamen pars eorum vaga erat; primi, teste Sallustio, Africae populi cum Libybus ex Punicorum annalium fide, asperi, incultique carne ferina et pabulo, ut pecora vescentes: unde eorum posteri multa avita adhuc retinebant.

tela mitterent, subitò immittit cohortes turmasque suorum: atque puncto temporis, hostibus nullo negotio campo pulsis, post collemque dejectis, nacti locum, atque ibi paullisper commorati, [a] ita ut erant instructi, leniter se ad suas recipiunt munitiones. Itemque adversarii male accepti tum demum se ad sua praesidia contulerunt.

XIX. [1] Interim ea re gestâ, et proelio dirempto, ex adversariis perfugae plures ex omni hominum genere, et praeterea intercepti hostium complures equites peditesque: ex quibus cognitum est hostium consilium, eos hac mente et conatu venisse, ut novo atque inusitato genere prœlii tirones, legionariique pauci perturbati, Curionis exemplo ab equitatu circumventi opprimerentur; et ita Labienum dixisse pro concione; tantam sese multitudinem auxiliorum adversariis subministraturum, ut etiam cædendo in ipsâ victoriâ fatigati vincerentur, atque à suis superarentur: quippe qui in illorum sibi confideret multitudine, [2] primum, quòd audîerat, Romae legiones veteranas dissentire, neque in Africam velle transire; deinde, quòd triennio in Africa suos milites consuetudine retentos, fideles jam sibi effecisset: maxima autem auxilia haberet Numidarum equitum levisque armaturæ. Præterea ex fugâ, prœlioque Pompeiano, quos secum à Brundisio transportaverat, equites Germanos Gallosque, [3] ibique postea ex hybridis libertinis servisque conscripserat, armaverat, [4] equoque frænato uti condocuerat. Præterea regia auxilia, elephantes CXX, equitatusque innumerabilis, deinde legiones conscriptæ ex cujusque modi generis amplius [5] XII millibus. Hàc spe atque eâ audaciâ inflammatus Labienus, cum equitibus Gallis Germanisque mille DC. Numidarum sine fraenis VIII millibus, præterea Petreiano auxilio adhibito equitibus mille C, peditum ac levis armaturæ, quater tantis, sagittariis ac funditoribus, [6] hippotoxotisque compluribus; his copiis [7] pridiè

INTERPRETATIO.

a *Sicut erant edocti.*

NOTAE.

1 *Interim ea re gesta, et proelio dirempto,* &c.] Aliquod verbum desideratur, quod hic non apparet. Manuscriptus Victorinus codex habet, *se ad suos recipiunt munitiones. Itemque adversarii fecerunt, et profugae plures ex omni genere hominum, et praeterea intercepti complures equites peditesque, ex quibus cognitum est,* &c. Hic verbum apparet, quod in nostro textu abest, quamquam nonnihil etiam desideretur.

2 *Primum, quod audierat, Romae legiones veteranas dissentire.*] A Caesare.

3 *Ibique postea ex hybridis libertinis.*] Hybridae mixtum genus, ut canis ex gregario et venatico natus, ut sus ex fero et domestico procreatus; indeque translatione sumpta homo ex libero et servo, vel ex libertino et servo natus. Hic intelligit Romano patre et matre peregrina natos.

4 *Equoque fraenato uti condocuerat.*] Quia Numidae in regendo equo fraenis non utuntur. Unde Virgilio Aeneid. IV. dicuntur.

Infraeni Numidae.

5 XII *millibus.*] Delendum *millibus* ex fide MSS. Regiorum duorum, et victorini unius.

6 *Hippotoxotis.*] Equitibus sagittariis. Vox est Graeca.

7 *Pridie Non. Januar.*] Quarto die Januarii mensis.

Non. Januar. post diem tertium quam Africam attigit, [1] in campis planissimis plurissimisque, ab horâ diei quintâ usque ad solis occasum est decertatum. In eo proelio Petreius graviter ictus ex acie recessit.

XX. Cæsar interim castra munire diligentiùs, praesidia firmare majoribus copiis, vallumque ab oppido Ruspinâ usque ad mare deducere, et à castris alterum eodem, quo tutiùs ultro citroque commeare, auxiliaque sine periculo sibi succurrere possent: tela tormentaque ex navibus in castra comportare, remigum partem ex classe Gallorum Rhodiorumque Epibatarumque armare, et in castra evocare; uti, si posset, eâdem ratione, quâ adversarii, levis armatura interjecta inter equites suos interponeretur; sagittariisque ex omnibus navibus [2] Ityreis, Syriis, et cujusque generis ductis in castra compluribus, frequentabat suas copias. Audiebat enim, Scipionem post diem tertium ejus diei, quo prœlium factum erat, appropinquare, copias suas cum Labieno et Petreio conjungere: cujus copiæ legionum VIII, et equitum IV millium esse nuntiabantur: [3] officinas ferrarias instruere; [4] sagittasque et tela uti fierent complura, curare; glandes fundere, sudes comparare, litteras in Siciliam nuntiosque mittere, ut sibi crates materiemque congererent, [5] ad arietes, cujus inopia in Africâ esset; præterea ferrum plumbumque mitteretur, et animum etiam advertebat, frumento se in Africâ nisi importatitio uti non posse. Priore enim anno, propter adversariorum delectus, quod stipendiarii aratores milites essent facti, messem non esse factam: præterea ex omni Africâ frumentum adversarios in pauca oppida et bene munita comportâsse, omnemque regionem Africæ exinanisse frumento: oppida, praeter pauca quæ ipsi suis præsidiis tueri poterant, reliqua dirui atque deleri et eorum incolas intra sua præsidia coëgisse commigrare, agros desertos ac vastatos esse.

XXI. Hâc necessitate Cæsar coactus, privatos ambiendo, et blandè appellando, aliquantulum frumenti numerum in sua præsidia congesserat: et eo parcè utebatur. Opera interim ipse quotidiè circumire, et [6] alternas cohortes in statione habere propter hostium mul-

NOTAE.

1 *In campis planissimis purissimisque,* &c.] Id est, vacuis ab omni pugnae impedimento, aut insidiarum suspicione. Sic Livius, lib. IV. belli Punici: *Postero die signis collatis dimicaturum puro ac patenti campo, ubi sine ullo insidiarum metu vera virtute res geri posset.* Item, lib. 1. Pomoerium: *Est circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Hetrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant, ut neque interiore parte aedificia moenibus continuarentur, et extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli.*

2 *Ityreis.*] Ituraea sive Thraconitis regio Palestinae. Ab Hegesippo dicitur *Peraea,* quam Plinius asperis dispersam montibus, et à Judaeis caeteris Jordano amne discretam scripsit, lib. v.

3 *Officinas ferrarias instruere.*] Haec sequentia ad Caesarem referuntur.

4 *Sagittasque et tela uti fierent complura, curare*] Nisi ad Hellenismum confugiatur, soloecismus videbitur MS. Regius, Victorinus et impressus pervenustus habent *sagittae,* quod melius.

5 *Ad arietes.*] Eligebantur ad id abietes et orni.

6 *Alternas.*] Lipsio videtur reponendum *alteras,* et sex perlectis MSS. in nullo reperiri *alternas* sed *alteras.* Neque tamen non retinendam puto receptam lectionem, quae rationi et vero videtur mihi proprior.

qui perterriti, fugâ se in castra recipiunt. Quo facto postea sunt deterriti oppidum tentare.

XXX. Scipio interim ferè quotidiè non longè à suis castris passibus ccc instruere aciem, ac majore diei parte consumptâ, rursus se in castra recipere. Quod quum saepiùs fieret, neque ex Caesaris castris quisquam prodiret, neque propiùs ejus copias accederet, despectâ patientiâ Caesaris exercitûsque ejus, universis copiis productis, elephantisque turritis xxx ante aciem instructis, quam latissimè potuit, porrectâ equitum peditumque multitudine, uno tempore progressus, haud ita longè à Caesaris castris constitit in campo.

XXXI. Quibus rebus cognitis, Cæsar jubet milites, qui extra munitiones processêrant, quique pabulandi, aut lignandi, aut etiam muniendi gratiâ vallum petiêrant, quaeque ad eandem rem opus erant, omnes intra munitiones minutatim modestèque sine tumultu aut terrore se recipere, atque in opere consistere. Equitibus autem, qui in statione fuerant, praecipit, ut usque éo locum obtinerent, in quo paullo ante constitissent, donec ab hoste missum telum ad se perveniret; quòd si propiùs accederetur, quàm honestissimè se intra munitiones reciperent. Alii quoque equitatu edicit, uti quisque suo loco paratus armatusque præsto esset. At hæc non ipse per se coram, quum de vallo perspecularetur, sed [1] mirabili peritus scientia bellandi, in praetorio sedens, per speculatores et nuntios imperabat, quæ fieri volebat. Animadvertebat enim, quamquam magnis essent copiis adversarii freti, tamen saepè à se fugatis, pulsis, perterritisque et [2] concessam vitam, et ignota peccata. Quibus rebus nunquam tanta suppeteret ex ipsorum inertiâ conscientiâque animi victoriae fiducia, ut castra suâ adoriri auderent. Praeterea ipsius nomen auctoritasque magnâ ex parte eorum exercitûs minuebat audaciam. Tum egregiae munitiones castrorum, et valli fossarumque altitudo, [3] et extra vallum styli caeci, mirabilem in modum consiti, vel sine defensoribus aditum adversariis prohibebant. Scorpionum [4] catapultarum caeterorumque telorum, quae ad defendendum solent parari, magnam copiam habebat. Atque haec

NOTAE.

1 *Mirabili peritus scientia bellandi.*] Reponendum è Lipsio videtur *penitus.* Sed perperam. Nam omnes MSS. codices constanter habent *peritus.* Tum Latinam esse locutionem alia Caesaris loca docent. Sic lib. III. de bello Civili legitur: *Usu periti ac superioribus pugnis exercitati, sua sponte cursum represserunt.*

2 *Concessam vitam, et ignota peccata.*] Et ad Massilium, Corfinium, Ilerdam, imo et apud Pharsalum.

3 *Et extra vallem styli caeci.*] Caecus dicitur qui non videt aut non videtur, quorum stylorum modus describitur, lib. VII. de bello Gallico. Ferrea acumina erant, in quae se induebant incauti.

4 *Catapultarum.*] Catapulta eadem quae balista. sed diversis aetatibus diversa fuerunt nomina, tela mittat et ligna, nec non lapides. Aliae erant majores, aliae minores, quarum descriptio legitur apud Ammianum à nobis supra commemorata. Hujus tanta vis tormenti erat, teste Hegesippo, ut percussi hominis occipitium usque ad tertium stadium excuteretur: mulieris quoque gravidae in utero percussae, supra stadii dimidium de intima sede genitalis secreti infans excuteretur. De cujus effigie consule Vitruvium, lib. x. cap. 19. qui eam fuse describit.

praesentis paucitatem et tirocinium praeparaverat, non hostium vi et metu commotus. Patientem se, timidumque hostium opinioni praebebat. Neque idcirco copias, quamquam erant paucae, tironumque, non educebat in aciem, quod victoriae suorum diffideret: sed referre arbitrabatur cujusmodi victoria esset futura. Turpe enim sibi existimabat, tot rebus gestis, tantisque exercitibus devictis, tot tam claris victoriis partis, ab reliquis copiis adversariorum suorum ex fugâ collectis, se cruentam adeptum existimari victoriam. Itaque constituerat gloriam exsultationemque eorum pati, donec sibi veteranarum legionum pars aliqua in secundo commeatu occurrisset.

XXXII. Scipio interim paulisper, ut ante dixi, in eo loco commoratus, ut quasi despexisse Caesarem videretur, paullatim reducit suas copias in castra, et concione advocatâ, [1] de terrore suo, desperationeque exercitûs Caesaris verba facit; et cohortatus suos, [2] victoriam propriam se eis brevi daturum pollicetur. Caesar jubet milites rursus ad opus redire, et per caussam munitionum, tirones in labore defatigare non intermittit. Interim Numidae Getulique diffugere quotidiè ex castris Scipionis, et partìm in regnum se conferre, partìm, [3] quod ipsi majoresque eorum beneficio C. Marii usi fuissent, Caesaremque ejus affinem esse audiebant, in ejus castra perfugere catervatim non intermittunt. Quorum ex numero electis hominibus, illustriores Getulos, litteris ad suos cives datis, cohortatus, ut manu factâ, se suosque defenderet, et ne suis inimicis adversariisque dicto audientes essent, mittit.

XXXIII. Dum haec ad Ruspinam fiunt, legati [4] ex Acillâ civitate liberâ, etiam undique ad Caesarem veniunt; seque paratos, quaecumque imperâsset, et libenti animo facturos pollicentur: tamen orare et petere ab eo, ut sibi praesidium daret, quo tutiùs id, et sine periculo facere possent: se et frumentum, et, quaecumque res eis suppeteret, communis salutis gratiâ subministraturos. Quibus rebus facilè à Caesare impetratis, praesidioque dato, [5] C. Messium aedilitiâ functum potestate, Acillam jubet proficisci. Quibus rebus cognitis,

NOTAE.

1 *De terrore suo.*] Quem ipse Caesarianis incusserat.

2 *Victoriam propriam.*] Sic apud Virgil. Aeneid. VI.

——*propria haec si dona fuissent.*

Quod Servius interpretatur *perpetua*, quae non cladis alterius subsequentis labe corrumpatur, ut aliquando fit. Sic passim autores Latini. Hebraei dicunt *in finem* לנצח *Lanesach.*

3 *Quod ipsi majoresque eorum beneficio C. Maris usi fuissent.*] Suetonius Plutarchusque idipsum testantur: nempe Juliam amicam Caesaris fuisse uxorem majoris Marii. Id porro factum est, cum Marius consul Jugurtham Numidiae regem devicit.

4 *Ex Acilla.*] Quia nullibi tale urbis nomen apparet, videtur esse, quae â T. Livio et Strabone dicitur *Acolla:* facilis enim est permutato *i* in *o*. Urbs est maritima Africae proprie dictae.

5 *C. Messium aedilitia functum potestate.*] Ejus aedilitatis est testimonium apud Valer. Maximum, lib. II. cap. 5. cum ait hoc Messio aedili, facienteque ludos floriales, populum, ut pro more nudarentur mimae, praesente Catone, flagitare erubuisse. Aedilitius porro dicebatur, qui aedilis fuerat. Hic magistratus sacrarum privatarumque aedium curam gerebat. Cicero III de Legibus: *Suntoque aediles curatores urbis, annonae ludorumque solemnium, collisque ad ampliorem gradum is primum adscensus esto.*

bus abesset, capit consilium, satiùs esse sibi suoque regno subsidio ire, quam dum alios adjuturus proficisceretur, ipse suo regno expulsus, forsitan utrâque re expelleretur. Itaque rursus se recepit, atque auxilia à Scipione etiam abduxit, sibi suisque rebus timens: elephantisque xxx relictis, suis finibus oppidisque suppetias profectus est.

XXVI. Cæsar, quum de suo interim adventu dubitatio in provinciâ esset, neque quisquam crederet ipsum, sed aliquem legatum cum copiis in Africam venisse; conscriptis literis circum provinciam, omnes civitates facit de suo adventu certiores. Interim nobiles homines ex suis oppidis profugere, et in castra Caesaris devenire, et de adversariorum ejus acerbitate crudelitateque commemorare coeperunt. Quorum lacrymis querelisque Cæsar commotus, quum antea constitisset in stativis castris, æstate initâ, cunctis copiis auxiliisque accitis, bellum cum adversariis gerere instituit; litterisque celeriter in Siciliam ad Alienum et [1] Rabirium Postumum conscriptis, et per [2] catascopum missis, ut sine morâ, aut ullâ excusatione hiemis, ventorumque, exercitus sibi quam celerrimè transportaretur: Africam provinciam perire, funditùsque everti à suis inimicis: quod nisi celeriter sociis fore subventum, praeter ipsam Africam terram nihil, ne tectum quidem, quo se reciperent, ab illorum scelere insidiisque reliquum futurum. Atque ipse in tantâ erat festinatione et exspectatione, ut postero die quam misisset litteras nuntiumque in Siciliam, classem exercitumque morari diceret, noctes diesque oculos mentemque ad mare dispositos directosque haberet. Nec mirum. Animadvertebat enim villas exuri, agros vastari, pecus diripi trucidarique, oppida castellaque dirui deserique, principesque civitatum aut interfici, aut in catenis teneri, liberos eorum obsidum nomine in servitutem abripi. Iis se in miseriis, suamque fidem implorantibus, auxilio propter copiarum paucitatem esse non posse. Milites interim in opere exercere, castra munire, turris, castella facere, molesque jacere in mare non intermittere.

XXVII. [3] Scipio interim elephantes hoc modo condocefacere instituit. Duas instruxit acies: unam funditorum contra elephantos, quae quasi adversariorum locum obtineret, et contra eorum frontem adversam lapillos minutos mitteret; deinde in ordinem elephantos constituit: post illos autem aciem suam instruxit; ut, quum ab adversariis lapides mitti coepissent, et elephanti perterriti se ad suos convertissent, rursus à suâ acie, lapidibus missis, eos converterent adversum hostem: quod aegrè tardèque fiebat: rudes enim elephanti multorum annorum doctrinâ usuque vetusto vix edocti, [4] tamen communi periculo in aciem producuntur.

NOTAE

1 *Rabirium Postumum.*] Rabirius de quo supra, quem antea in Siciliam miserat ad secundum commeatum transportandum.

2 *Catascopum.*] Catascopus vox Graeca *exploratoriam navem* significat.

3 *Scipio interim elephantes hoc modo condocefacere instituit.*] Plinius lib. VIII. cap. 8. his consentanea scribit.

4 *Tamen communi periculo*, &c.] Communi suorum militum et hostium.

XXVIII. Dum hæc ad Ruspinam ab utrisque ducibus administrantur, C. Virgilius Praetorius, qui [1] Thapso oppido maritimo praeerat, quum animadvertisset naves singulas cum exercitu Caesaris incertas locorum atque castrorum suorum vagari, occasionem nactus, navem, quam ibi habuit actuariam, complet militibus et sagittariis; eidem scaphas de navibus adjungit; ac singulas naves Cæsarianas consectari coepit; et quum plures adortus, pulsus fugatusque inde discessisset, nec tamen desisteret periclitari, fortè incidit in navem, in quâ erant duo Titi Hispani adolescentes, tribuni legiones V, quorum partem Caesar in senatum legerat, et cum his [2] T. Salienus centurio legionis ejusdem, qui [3] M. Messalam legatum obsederat Messanae, et seditiosissimâ oratione apud eum est usus: idemque et pecuniam, et ornamenta triumphi Caesaris retinenda et custodienda curaverat; et ob has caussas timebat sibi. Hic propter conscientiam peccatorum suorum persuasit, adolescentibus ne repugnarent, seseque Virgilio transderent. Itaque deducti à Virgilio ad Scipionem custodibus transditi, et [4] post diem III sunt interfecti. Qui quum ducerentur ad necem, petîsse dicitur major Titus à centurionibus, ut se priorem, quam fratrem, interficerent; idque ab eis facilè impetrâsse, atque ita esse interfectos.

XXIX. Turmæ interim equitum, quæ pro vallo in stationibus esse solebant, ab utrisque ducibus quotidie minutis proeliis inter se pugnare non intermittunt. Nonnunquam etiam Germani Gallique Labieniani cum Caesaris equitibus, fide datâ, inter se colloquebantur. Labienus interim cum parte equitatus Leptim oppidum, cui praeerat [5] Saserna cum cohortibus III, oppugnare, ac vi irrumpere, conabatur: quod à defensoribus propter egregiam munitionem oppidi, et tormentorum multitudinem, facilè et sine periculo defendebatur. Quod ubi ejus facere equitatus saepiùs non intermittebat; et quum fortè ante portam turma densa adstitisset; [6] scorpione accuratius misso, atque eorum decurione percusso, et * ad [7] Decumanam defixo, reli-

NOTAE.

1 *Thapso.*] Thapsus Africae proprie dictae oppidum.

2 *T. Salienus centurio legionis ejusdem.*] Caesarianus erat, sed in seditione multa adversus Caesarem admiserat.

3 *M. Messalam legatum.*] Caesaris.

4 *Post diem* III *sunt interfecti.*] Ideo tam crudeles in bello Civili, quia praeterquam quod amicorum, postquam inimici sunt facti, quam ignotorum majora sunt odia, inter cives non dabantur captivitates.

5 *Saserna cum cohortibus* III.] Paullo supra scriptum hunc Lepti relictum cum cohortibus VI. Sed poterant III, aliae alio esse missae, aut inde aliqua de caussa deductae.

6 *Scorpione.*] Vegetius manubalistas vocat, quae à viro uno dirigebatur.

7 *Decumanam.*] Decumana est scutum amplissimum, ita dictum quod esset ut Decumanus fluctus. Autor Festus lib. de veterum verborum significatione. Censeo tamen hic esse mendum, quod indicat asteriscus, atque adeo Decumanae portae castrorum fieri mentionem, quae teste Veget. lib. I. cap. 12. post Praetoriam est, ut et supra dictum MSS. duo Regii et Victorinus usus codex habent *ad terram*, quae verisimilior est lectio. Illa porro lacuna potuerit esse scriptum, quod habet Plutarchus, neque hic legitur, Numidas intervenisse equitibus Caesaris, dum commisissent equos servis, seque saltatione et cantu Afri cujusdam oblectarent, quod nisi Caesar et Asinius Pollio succurrissent, actum erat de summa belli.

Considius Longus, qui Adrumeti cum II legionibus, et equitibus DCC praeerat, celeriter, ibi parte praesidii relictâ, cum VIII cohortibus Acillam ire contendit. Messius celeriùs itinere confecto prior Acillam cum cohortibus pervenit. Considius interim, quum ad urbem cum copiis accessisset, et animadvertisset praesidium Caesaris ibi esse, non ausus periculo suo rem facere, nulla re gestâ pro multitudine hominum, rursus Adrumetum se recepit: deinde paucis post diebus, equestribus copiis à Labieno adductis, rursus Acillanos castris positis obsidere coepit.

XXXIV. Per id tempus C. Sallustius Crispus, quem paucis ante diebus missum à Caesare cum classe demonstravimus, Cercinnam pervenit. Cujus adventu C. Decimus [1] quaestorius, qui ibi cum grandi familiae suae praesidio praeerat commeatui, parvulum navigium nactus consecendit, ac se fugae commendat. Sallustius interim praetor à Cercinnatibus receptus, magno numero frumenti invento, naves onerarias, quarum ibi satis magna copia fuit, complet, atque in castra ad Caesarem mittit. [2] Allienus interim proconsul è Lilybaeo in naves onerarias imponit legiones XIII et XIV, et equites Gallos DCCC; funditorum, sagittariorumque mille, ac secundum commeatum in Africam mittit ad Caesarem: quae naves, ventum secundum nactae, IV die in portum ad Ruspinam, ubi Caesar castra habuerat, incolumes pervenerunt. Ita Caesar duplici laetitiâ ac voluptate uno tempore auctus, frumento auxiliisque, tandem suis exhilaratis, annonaeque levatâ sollicitudine, deponit legiones: equitesque ex navibus egressos jubet [3] ex languore, nauseâque reficere; dimissos in castella munitionesque disponit.

XXXV. Quibus rebus Scipio, quique cum eo essent comites, mirari, et requirere: C. Caesarem, qui ultro consuêsset bellum inferre, ac lacessere proelio, subito commutatum non sine magno consilio suspicabantur. Itaque ex ejus patientiâ in magnum timorem conjecti, ex Getulis duos, quos arbitrabantur suis rèbus amicissimos, magnis praemiis pollicitationibusque propositis, pro perfugis speculandi gratiâ in Caesaris castra mittunt. Qui simul ad eum sunt deducti, petiêrunt, ut sibi liceret sine periculo verba proloqui. Potestate factâ; Saepenumero, inquiunt, Imperator, complures Getuli, qui sumus clientes C. Marii, et propemodum omnes cives Romani, qui sunt in legione IV et VI, ad te voluimus, in tuaque praesidia confugere; sed custodiis equitum Numidarum, [a] quo id sine periculo minùs faceremus, impediebamur. Nunc datâ facultate, pro speculatoribus missi à Scipione ad te cupidissimè venimus, ut perspiceremus, num quae fossae, aut in-

INTERPRETATIO.

a *Quominus id sine periculo faceremus.*

NOTAE.

1 *Quaestorius.*] Qui fuerat quaestor, atque dignitate ampliore.

2 *Allienus interim proconsul.*] Siciliae.

3 *Ex languore nauseaque reficere.*] Nausea est aegritudo quae navigantibus ex navis jactatione oritur, à nave dicta.

sidiae elephantis ante castra portasque valli facta essent; simulque consilia vestra contra easdem bestias, comparationemque pugnae cognosceremus, atque ei renuntiaremus. Qui collaudati à Caesare, [1] stipendioque donati, ad reliquos perfugas deducuntur. Quorum orationem celeriter veritas comprobavit. Namque postero die ex legionibus iis, quas Getuli nominaverunt, milites legionarii complures à Scipione in castra Caesaris perfugerunt.

XXXVI. Dum haec ad Ruspinam geruntur, [2] M. Cato, qui Uticae praeerat, delectus quotidie [3] libertinorum, Afrorum, servorum denique, et cujusquemodi generis hominum, qui modo per aetatem arma ferre poterant, habere, atque sub manum Scipionis in castra submittere non intermittit. Legati interim ex oppido [4] Tisdro, [5] in quo triciti modium millia CCC comportata fuerant à negotiatoribus Italicis aratoribusque ad Caesarem venêre; quantaque copia frumenti apud se sit, docent; simulque orant, ut sibi praesidium mittat, quo faciliùs et frumentum et copiae suae conserventur. Quibus Caesar in praesentiâ gratias agit; praesidiumque brevi tempore se missurum dicit; cohortatusque ad suos cives jubet proficisci. [6] P. Sitius interim cum copiis Numidiae fines ingressus, castello in montis loco munito locato, in quod Juba belli gerendi gratiâ et frumentum, et res caeteras, quae ad bellum usui solent esse, comportaverat, vi expugnando est potitus.

XXXVII. Caesar, postquam legionibus veteranis II, equitatu levique armatura copias suas ex secundo commeatu auxerat, naves VI onerarias statim jubet Lilybæum ad reliquum exercitum transportandum proficisci: ipse [7] VI. Kal. Febr. circiter vigiliâ primâ imperat speculatores apparitoresque omnes ut sibi praesto essent. Itaque, omnibus insciis, neque suspicantibus, vigiliâ tertiâ jubet omnes legiones ex castris educi, atque se consequi ad oppidum Ruspinam versus, in quo ipse praesidium habuit, et quod primum ad amicitiam ejus accessit. Inde parvulam proclivitatem digressus, sinistrâ parte campi, propter mare legiones ducit. Hic campus mirabili planitie patet millia passuum XV; quem jugum ingens à mari ortum, neque ita praealtum, [8] velut theatri efficit speciem. In hoc jugo colles sunt excelsi pauci; in quibus singulae

NOTAE.

1 *Stipendioque donati.*] Stipendium aliud nihil est quam munera.

2 *M. Cato, qui Uticae praeerat.*] Hoc oppidum, excisa Carthagine, primarium fuit Africae, quod, propter ejus civium in Caesarem studium, diruere cupiebant Pompeiani, et praecipue Juba rex; sed dissentiénte Catone, nihil tutius aut consultius putaverunt, quam ut ipsi traderetur. Testes Livius et Strabo.

3 *Libertinorum.*] Libertini dicebantur, qui ex libertis nati erant. Liberti autem erant servi libertate donati.

4 *Tisdro.*] Tisdrum vocat Plinius Tisdritanum oppidum.

5 *In quo triciti modium.*] Manuscripti Regii codices duo, et Thuanus unus habent *in quod*, qui legitimus est ordo. Sin est scribendum *quo*, delendum erit *in*. De modio supra dictúm.

6 *P. Sitius.*] De quo supra dictum in Jubae regnum conjunctis cum Bogude copiis impressionem fecisse.

7 vi. *Kal. Febr.*] XXVII die Januarii.

8 *Velut theatri efficit speciem.*] Cum Vitruvius, lib. v. de Architect. cap. 6, et 8. theatrum referre formam hemicycli scripserit, sequitur illum campum fuisse semirotundum.

turres speculaeque singulae perveteres erant collocatae; quarum apud ultimam praesidium et statio fuit Scipionis.

XXXVIII. Postquam Caesar ad jugum, de quo docui, adscendit, [1] atque in unumquemque collem turres castellaque facere coepit; atque ea minùs semihorâ efficit; et postquam non ita longè ab ultimo colle turrique fuit, quae proxima fuit castris adversariorum, in qua docui esse praesidium stationemque Numidarum; paullisper commoratus, perspectâque naturâ loci, equitatu in statione disposito, legionibus opus attribuit: brachiumque medio jugo ab eo loco, ad quem pervenerat, usque ad eum unde egressus erat, jubet dirigi ac muniri. Quod postquam Scipio Labienusque animadverterunt, equitatu omni ex castris educto, acieque equestri instructâ, â suis munitionibus circiter passus mille progrediuntur, [2] pedestremque copiam in secundâ acie minus passus CD à castris suis constituunt.

XXXIX. Caesar in opere milites adhortari, neque adversariorum copiis moveri. Jam quum non amplius passuum MC inter hostium aciem suasque munitiones esse animadvertisset; intellexissetque ad impediendos milites suos, et ab opere depellendos hostem propiùs accedere; necesseque haberet legiones à munitionibus deducere; imperat turmae Hispanorum, ut ad proximum collem properè accurrerent, praesidiumque inde deturbarent, locumque caperent; eodemque jubet levis armaturae paucos consequi subsidio. Qui missi celeriter, Numidas adorti partim vivos capiunt, nonnullos equites fugientes convulneraverunt, locoque sunt potiti. Postquam id Labienus animadvertit, quo celeriùs iis auxilium ferret, ex acie instructâ equitatus sui propè totum dextrum cornu avertit, atque suis fugientibus suppetias ire contendit. Quod ubi Caesar conspexit, Labienum ab suis copiis longiùs abscessisse; equitatus sui alam sinistram ad intercludendos hostes immisit.

XL. Erat in eo campo, ubi ea res gerebatur, villa permagna IV turribus exstructa, quae Labieni prospectum impediebat, ne posset animadvertere ab equitatu Caesaris se intercludi. Itaque non prius vidit turmas Julianas, quam suos caedi à tergo sensit. Ex quâ re subitò in terrorem converso equitatu Numidarum, rectà in castra fugere contendit: Galli Germanique qui restiterant, ex superiore loco et post tergum circumventi; fortiterque resistentes conciduntur universi. Quod ubi legiones Scipionis, quae pro castris erant instructae, animadverterunt; metu ac terrore obcaecatae, omnibus portis in sua castra fugere coeperunt. Postea Scipione ejusque copiis campo collibusque exturbatis, atque in castra compulsis, quum receptui Caesar cani jussisset, equitatumque omnem intra suas munitiones recepisset,

NOTAE.

1 *Atque in unumquemque collem.*] Sic lego transpositis virgulis punctulisque; *Postquam Caesar ad jugum de quo docui adscendit, atque in unumquemque collem; turres castellaque facere coepit.* Hoc probat id quod subsequitur: *Postquam non ita longe ab ultimo colle turrique fuit, quae proxima fuit castris adversariorum.*

2 *Pedestremque copiam.*] Raro in singulari numero.

campo purgato, animadvertit mirifica corpora Gallorum Germanorumque, qui partìm ejus auctoritatem erant ex Gallia secuti, partìm pretio policitationibusque adducti ad eum se contulerant: nonnulli, qui ex Curionis proelio capti conservatique, parem gratiam in fide partiendâ praestare voluerant. [1] Horum corpora mirificâ specie amplitudineque, caesa toto campo, ac prostrata diversè jacebant.

XLI. His rebus gestis, postero die Caesar ex omnibus praesidiis cohortes deducit, atque omnes suas copias in campo instruxit. Scipio, suis malè acceptis, occisis vulneratisque, intra suas continere se munitiones coepit. Caesar instructâ acie secundum infimas jugi radices propiùs munitiones leniter accessit. Jamque minus mille passuum ab oppido [2] Uzita, quod Scipio tenebat, aberant legiones Julianae: quum Scipio veritus, ne oppidum amitteret, unde aquari, reliquisque rebus sublevari ejus exercitus consueverat; eductis omnibus copiis, quadruplici acie instructâ, ex instituto suo, primâ equestri turmatìm directâ, elephantisque turritis interpositis, armatisque, suppetias ire contendit. Quod ubi Caesar animadvertit, arbitratus Scipionem ad dimicandum paratum ad se certo animo venire, in eo loco, quo paullo ante commemoravi, ante oppidum constitit, suamque aciem mediam eo oppido texit. Dextrum sinistrumque cornu, ubi elephanti erant, in conspectu patenti adversariorum constituit.

XLII. Quum jam propè solis occasum Caesar exspectavisset, neque ex eo loco, quo constiterat, Scipionem progredi propiùs se animadvertisset, locoque se magis defendere, si res coëgisset, quam in campo cominùs consistere audere; non est visa ratio propiùs accedendi eo die ad oppidum; quoniam ibi praesidium grande Numidarum esse cognoverat, hostesque mediam aciem suam oppido texisse; sibique difficile factu esse intellexit, simul et oppidum uno tempore oppugnare, et in acie in cornu dextro, et sinistro, ex iniquiore loco pugnare, praesertim quum milites à mane diei jejuni sub armis stetissent defatigati. Itaque reductis suis copiis in castra, postero die propiùs eorum aciem instituit exporrigere munitiones.

XLIII. Interim Considius, qui Acillam, et VIII cohortes stipendiarias Numidis Getulisque obsidebat, ubi C. Messius cohortibus praeerat, diu multumque expertus, magnisque operibus saepè admotis, et iis ab oppidanis incensis, quum proficeret nihil, [3] subito nuntio de equestri proelio allato commotus, frumento, cujus in castris copiam

NOTAE.

1 *Horum corpora mirifica specie,* &c.] De quibus sic habet Pausanias in Phocicis: Εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλως οἱ Κελτοὶ μακρῷ πάντας ὑπερηρκότες μήκει τοὺς ἀνθρώπους. *Sunt alioqui Galli longe magnitudine superantes caeteros homines.* Galles corpora plusquam humana habere memoriae prodidit Jornandes, celsioris staturae Ammianus, procera Livius, molles alboque corpore facit Strabo. Sed gentem hanc adulteraverunt suis coloniis Romani, nec tantum modo coloniis, sed matrimoniis, et furtivis aut violentis passim concubitibus.

2 *Uzita.*] Uzitam Strabo tradit esse eversam à Caesare in bello, quod adversus Scipionem gessit in Africa.

3 *Subito nuntio de equestri praelio allato.* Quo Scipioniani fusi erant.

habuerat,i ncenso, vino, oleo, caeterisque rebus, quae ad victum parari solent, corruptis, Acillam, quam obsidebat, deseruit; atque itinere per regnum Jubae facto, copias cum Scipione partitus Adrumetum se recepit.

XLIV. Interea ex secundo commeatu, quem a Sicilia miserat Allienus, navis una, in qua fuerat Q. Cominius, et L. Ticida eques Romanus, ab residua classe quum erravisset, delataque esset vento ad Thapsum, à Virgilio scaphis naviculisque actuariis excepta est, et ad Scipionem deducta. Item altera navis triremis ex eâdem classe errabunda, ac tempestate ad [1] Aegimurum delata, à classe Vari et M. Octavii est capta; in quâ milites veterani cum uno centurione, et nonnulli tirones fuerunt: quos Varus asservatos sine contumeliâ deducendos curavit ad Scipionem. Qui, postquam ad eum pervenerunt, et ante suggestum ejus constiterunt: non vestra, inquit, sponte vos, certo scio, sed illius scelerati vestri imperatoris impulsu et imperio coactos, cives et optimum quemque nefariè consectari: quos quoniam fortuna in nostram detulit potestatem, si, id quod facere debetis, rempublicam cum optimo quoque defenditis, certum est vobis vitam et pecuniam donare; quapropter, quid sentiatis, proloquimini.

XLV. Hâc habitâ oratione, Scipio, quum existimâsset pro suo beneficio sine dubio ab iis gratias sibi actum iri, potestatem iis dicendi fecit. [2] Ex eis centurio legionis XIV; Pro tuo, inquit, summo beneficio, Scipio, tibi gratias ago (non enim imperatorem te appello) quod mihi vitam incolumitatemque belli jure capto polliceris: et forsan isto uterer beneficio, si non ei summum scelus adjungeretur. Egone contra Caesarem imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, ejusque exercitum, pro cujus dignitate victoriàque [3] amplius XXXVI annis depugnavi, adversus armatusque consistam? Neque ego istud facturus sum, et te magnopere, ut de negotio desistas, adhortor. Contra cujus enim copias contendas, si minùs antea expertus es, licet nunc cognoscas. Elige [4] ex tuis cohortem unam, quam putas esse firmissimam, et constitue contra me: Ego autem ex meis commilitonibus, quos nunc in tuâ tenes potestate, non amplius X sumam. Tunc ex virtute nostrâ intelliges, quid ex tuis copiis sperare debeas.

XLVI. Postquam haec centurio praesenti animo adversus opinionem ejus est locutus; irâ percitus Scipio, atque animi dolore incensus

NOTAE.

1 *Aegimurum.*] Aegimurus Africi maris insula (scopulos potius quam insulam ait esse Plinius) haud procul à Cosura inter Siciliam et Africam posita. De ea sic iterum Plinius: *Sinum Carthaginis claudit insula Aegimurus.* Fortasse *Goulette.* Quidam *Gaiette.*

2 *Ex eis centurio legionis* XIV.] Hunc Val. Maximus Pontium nominat.

3 *Amplius* XXXVI *annis depugnavi.*] Demendae numerorum de notis duae decusses, ut sint XVI anni. Nec enim plures annos Caesar imperavit. Sed, ut saepe admonui, tota numerorum ratio est mendosissima. Errorem emendat MS. Victorinus codex qui habet XVI.

4 *Ex tuis cohortem unam.*] Tempore Polybii erant cccc. Nec id perpetuum. Scribit enim, si plures sint in legione quàm millia IV. pro portione divisionem facere solitos Romanos.

annuit centurionibus, quid fieri vellet: atque ante pedes centurionem interficit, reliquosque veteranos à tironibus jubet secerni. Adducite, inquit, istos, nefario scelere contaminatos, et caede civium saginatos. [1] Sic extra vallum deducti sunt, et cruciabiliter interfecti. Tirones autem jubet inter legiones dispertiri, et Cominium cum Ticida in conspectum suum prohibet adduci. Quâ ex re Caesar commotus, eos, quos in stationibus cum longis navibus apud Thapsum custodiae caussâ [2] in salo esse jusserat, ut suis onerariis longisque navibus praesidio essent, ob negligentiam ignominiae causâ dimittendos ab exercitu, gravissimumque in eos edictum proponendum curavit.

XLVII. Per id tempus ferè Cæsaris exercitui res accidit incredibilis auditu. Namque, [3] Vigiliarum signo confecto, circiter vigiliâ secundâ noctis, nimbus cum saxeâ grandine subito est exortus ingens. Ad hoc autem incommodum accesserat, quod Caesar, non more superiorum imperatorum, in hibernis exercitum continebat, sed in tertio quartoque die procedendo, propiusque hostem accedendo, castra communiebat; opereque faciendo, [4] milites se circumspiciendi non habebant facultatem. Paeterea ita ex Sicilia exercitum transportaverat, ut praeter ipsum militem et arma, neque vas, neque mancipium, neque ullam rem, quae usu militi esse consuevit, in naves imponi pateretur. [5] In Africam autem non modo sibi quidquam non acquisiêrant aut paraverant; sed

NOTAE.

1 *Sic extra vallum deducti sunt.*] Militares animadversiones extra vallum fiebant. Ita Seneca, lib. I. de ira, cap. 16. *Damnatus extra vallum deductus est, et jam cervicem porrigebat.*

2 *In salo.*] *A la rade.*

3 *Vigiliarum signo confecto.*] Frustra hactenus ab interpretibus in eo loco desudatum est, quem utpote corruptum ex fide MSS. trium, Regiorum duorum et Victorini unius emendo, *vigiliarum signo confecto*, quod quidem buccina quater in nocte, prima, secunda, tertia et quarta vigilia dabatur. In tot enim vigilias totum nocturnum tempus dividebatur. Cujus moris cum plura testimonia proferre liceat, uno aut altero contenti erimus. Primum è Vegetio petitur, lib. III. de re militari, cap. 8. *Et quia impossibile videbatur in specula per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in* IV *partes ad clepsydram sunt divisae vigiliae, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine omnes vigiliae committuntur. Et finitis horis à cornicine revocantur.* Alterum è Frontino qui lib. I. stratagem. de L. Syllâ haec habet: *Hostem propter inducias negligentia resolutum animadvertens, nocte profectus relicto buccinatore, qui vigiliis ad fidem remanentium divideret, et quarta vigilia commissa, cum sequeretur, incolumes suos cum omnibus impedimentis tormentisque in tuta perduxit.* Attestabitur et Livius, lib. VII. de Decio sic scribens. *Vigiliis deinde dispositis, caeteris omnibus tesseram dari jubet. Ubi secundae vigiliae buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se venirent.* Hic Hirtius auget horrorem rei, cum intempesta nocte evenisse scribit et vigilia secunda, *quod tempus mortales somno altissimo premit*, ut docet Decius loco Livii citato, et signo quidem confecto vigiliarum. Cum enim committebantur vigiliae (quod signo tubae fiebat) et qui tres jam horas vigilaverant, tentoria sua repetebant, et qui tres proximas horas vigilaturi erant ad stationis locum tendebant. Unde aliqua in castris discursatio, quae horrorem casus subiti aut eximere aut minuere poterat. Vigiliarum porro commemoratio à facto tota aliena est, quod nec post ortum nec post occasum earum omnino incidisse comperitur.

4 *Milites se circumspiciendi non habebant facultatem.*] Sic apud Terentii Heautont. *Neque te respicis.* Quam facultatem milites habuissent, si se praesidiis quibusdam potuissent adversus subitas illas tempestates instruere.

5 *In Africam autem non modo sibi quidquam non acquisierant.*] Mendum est, quod ex fide MS. Thuani unius emendo *in Africa.*

etiam, propter annonæ caritatem, ante parata consumpserant. Quibus rebus attenuati, oppido perquam pauci sub pellibus acquiescebant. Reliqui ex vestimentis tentoriolis factis, atque arundinibus scopisque contextis, permanebant. Itaque subito imbre grandineque consecutâ, gravati pondere, tenebris, aquâque omnes subruti disjectique, nocte intempestâ, ignibus extinctis, rebusque ad victum pertinentibus omnibus corruptis, per castra passim vagabantur, scutisque capita contegebant. Eâdem nocte v legionis pilorum cacumina suâ sponte arserunt.

XLVIII. Rex interim Juba de equestri prœlio Scipionis certior factus, evocatusque ab eodem litteris, [1] præfecto Sabura cum parte exercitus contra Sitium relicto, ut sic, quum ipse aliquid auctoritatis haberet, exercitus Scipionis à terrore Cæsaris liberaretur, cum III legionibus, equitibusque frænatis DCCC, [2] Numidis sine fraenis, peditibusque ejus armaturae grandi numero, elephantisque XXX, egressus è regno ad Scipionem est profectus. Postquam ad eum pervenit, castris regiis seorsùm positis, cum eis copiis, quas commemoravi, haud ita longè à Scipione consedit [3] Erat in castris Cæsaris superiori tempore magnus terror, et expectatione copiarum regiarum, [4] exercitus ejus magis suspensiore animo ante adventum Jubæ commovebatur. Postquam vero castra castris contulit; despectis ejus copiis, omnem terrorem deponit. Ita, quam antea absens habuerat auctoritatem, eam omnem præsens dimiserat. Quo facto facile fuit intellectu, Scipioni additum animum fiduciamque regis adventu. Nam postero die universas suas regisque copias cum elephantis LX productas in aciem, quam speciosissimè potuit, instruxit: ac paullò longiùs progressus à suis munitionibus, haud ita diu commoratus, se recepit in castra.

NOTAE.

1 *Praefecto Sabura cum parte exercitus contra Sitium relicto.*] Qui regnum ejus cum Bogude invaserat.

2 *Numidis sine fraenis.*] De quibus supra, et de iis Claudianus:

——sonipes ignarus habenae,
Virga regit.——

Silius vero Italicus:

Numidae gens inscia fraeni,
Queis inter geminas, per ludum mobilis, aures,
Quadrupedem flectit, non cedens virga lupatis.

Titus vero Livius, lib. XXXV. *Nihil primo aspectu contemptius, equi hominesque pauluti et graciles: discinctus et inermis eques, praeter quum quod jacula secum portat: equus sine fraenis, deformis ipse cursus, rigida cervice et extento capite currentium.* Idem fere habet Herodianus, lib. VII.

3 *Erat in castris Caesaris superiori tempore magnus terror.*] De quo sic Suetonius, cap. 66. *Cum expectatio adventus Jubae terribilis esset, convocatis ad concionem militibus, Scitote, inquit, paucissimis his diebus regem affuturum cum X legionibus, equitumque XXX levis armaturae C millibus, elephantis CCC. Proinde desinant quidem quaerere ultra, aut opinari, mihique, (qui compertum habeo, credant) aut quidem vetustissima nave impositos quocunque vento in quoscumque terras jubebo avehi.*

4 *Exercitus ejus magis suspensiore animo ante adventum Jubae commovebatur.*] Hoc pleonasmo passim autores utuntur. Sic Plautus in Sticho: *Imo enim hic magis est dulcius.* Val. Maximus: *Magis invidia quam pecunia locupletior.* Fatendum est tamen MSS. Regios codices aliter habere. Duo quidem habent: *Exercitus ejus magis suspensione animi ante adventum commovebatur:* Tertius autem: *Exercitus suspensiore animo ante adventum Jubae commovebatur,* omnia particula *magis.*

XLIX. Cæsar postquam animadvertit Scipioni auxilia ferè, quæ expectâsset, omnia convenisse, neque moram pugnandi ullam fore, per jugum summum cum copiis progredi cœpit, et brachia protinus ducere, et castella munire, propiùsque Scipionem capiendo loca excelsa occupare contendit. Adversarii magnitudine copiarum confisi proximum collem occupaverunt, [1] atque ita longiùs sibi progrediendi eripuerunt facultatem. Ejusdem collis occupandi gratiâ Labienus consilium ceperat; et, quo propiore loco fuerat, eo celeriùs occurrerat.

L. Erat convallis satìs magna latitudine, altitudine prærupta, crebris locis speluncæ in modum subrutis: [2] quæ erant transgrediendae Cæsari ante, quam ad eum collem, quem capere volebat, perveniretur: ultraque eam convallem olivetum vetus crebris arboribus condensum. Hic quum Labienus animadvertisset, Cæsarem, si vellet eum locum occupare, prius necesse esse convallem olivetumque transgredi, eorum locorum peritus in insidiis cum parte equitatus, levique armaturâ consedit: et præterea post montem collesque, equites in occulto collocaverat; ut quum ipse ex improviso legionarios adortus esset, ex colle se equitatus ostenderet, et re duplici perturbatus Cæsar, ejusque exercitus, neque retro regrediundi, neque ultrà procedendi oblatâ facultate, circumventus concideretur. Cæsar, equitatu ante præmisso, inscius insidiarum quum ad eum locum venisset, [3] abusi, sive obliti præceptorum Labieni, sive veriti, ne in fossâ ab equitibus opprimerentur, rari, ac singuli de rupe prodire, et summa petere collis, quos Cæsaris equites consecuti partìm interfecerunt, partìm vivorum sunt potiti. Deinde protìnus collem petere contenderunt, atque eum, decusso Labieni praesidio, celeriter occupaverunt. Labienus cum parte equitum vix fugâ sibi peperit salutem.

LI. Hâc re per equites gestâ, Cæsar legionibus opera distribuit, atque in eo colle, quo erat potitus, castra munivit. Deinde ab suis maximis castris per medium campum, è regione oppidi [4] Uzitæ, quod inter sua castra et Scipionis, in planitie positum erat, tenebaturque à Scipione, duo brachia instituit duci, et ita erigere, ut ad angulum dextrum sinistrumque ejus oppidi convenirent. Id hâc ratione opus instruebat, ut, quum propiùs oppidum copias admovisset, oppugnareque cœpisset, tecta latera suis munitionibus haberet, ne ab equitatus multitudine circumventus ab oppugnatione deterreretur: præterea, quo

NOTAE.

1 *Atque ita longius sibi progrediendi eripuerant facultatem.*] Quidam emendare voluerunt *Caesari* vel *illi* frustra. Nam promiscue *sibi* et *illi* dicitur, modo nihil dubii relinquatur, falsaeque in hoc sunt leges Grammaticorum. Exempla ubique obvia sunt.

2 *Quae erant transgrediendae Caesari*] MS. Regius codex unius habet: *Quæ erant transgredienda Cæsari*, quae emendato est lectio. Victorinus unus et impressus pervetustus codex habent; *Quæ erant transeunda Cæsari*, quod peraeque se habet. Vel enim referas ad *crebris locis*, et legendum est, *quæ erant transgredienda*, vel ad *erat convallis*, et legendum *erat transgredienda*.

3 *Abusi sive obliti præceptorum Labieni.*] Arbitror esse reponendum *Labieniani*.

4 *Uzitæ.*] Strabo Uzitos appellat, apud quos iterum debellatum Scipionem à Caesare scribit, quorum urbs cum aliis in illo bello vel semiruta vel tota diruta est.

faciliùs colloquia fieri possent, et si qui perfugere vellent, id quod antea saepè accidebat magno cum eorum periculo, tum facilè et sine periculo fieret. Voluit etiam experiri, quum propiùs hostem accessisset, haberetne in animo dimicare. Accedebat etiam ad reliquas caussas, quod is locus depressus erat, puteique ibi nonnulli fieri poterant. Aquatione enim longâ et angusta utebatur. Dum haec opera, quae ante dixi, fiebant à legionibus, interim pars aciei ante opus instructa sub hoste stabat. Equites barbari levisque armaturæ, prœliis minutis comminùs dimicabant.

LII. Caesar ab eo opere quum jam sub vesperum copias in castra reduceret; magno incursu, cum omni equitatu, levique armaturâ, Juba, Scipio, Labienus in legionarios impetum fecerunt. Equites Cæsariani vi universæ subitæque hostium multitudinis pulsi parumper cesserunt. [1] Quæ res aliter adversariis cecidit. Namque Cæsar ex medio itinere copiis reductis, equitibus suis auxilium tulit. Equites autem adventu legionum animo addito, conversis equis, in Numidas cupidè insequentes dispersosque impetum fecerunt, atque eos convulneratos usque in castra regia repulerunt, multosque ex iis interfecerunt. Quod ni in noctem prœlium esset conjectum; [2] pulvisque vento flatus omnium prospectu offecisset; [3] Juba cum Labieno capti in potestatem Cæsaris venissent; equitatusque cum levi armaturâ funditus ad internecionem deletus esset. Interim incredibiliter ex legionibus IV et VI Scipionis milites diffugere, partìm in castra Cæsaris, partim in quas quisque poterat legiones pervenire. Itemque equites [4] Curiani diffisi Scipioni ejusque copiis, complures se eòdem conferebant.

LIII. Dum hæc circum Uzitam ab utrisque ducibus administrantur, legiones duæ, IX et X, ex Siciliâ navibus onerariis profectæ, quum jam non longè à portu Ruspinæ abessent, conspicatæ naves Cæsarianis, quæ in statione apud Thapsum stabant, [5] veriti, ne in adversariorum, ut insidiandi gratiâ ibi commorantium, classem inciderent, imprudentes vela in altum dederunt; ac diu multumque jactati tandem multis post diebus siti inopiâque confecti ad Cæsarem pervenerunt.

LIV. Quibus legionibus expositis, memor in Italiâ pristinæ licentiæ militaris ac rapinarum certorum hominum, parvulam modo caussulam nactus Cæsar, quod C. Avienus tribunus mil. X. legionis navem

NOTAE.

1 *Quæ res aliter adversariis credidit.*] *Quam putabant*, suspicor addendum.

2 *Pulvisque vento flatus omnium prospectu offecisset.*] MS Regius codex unus habet: *Omnium prospectum abstulisset*, quam etiam lectionem habet pervetustus impressus codex. Alter MS. Regius codex, et Victorinus habent: *omnium prospectum offendisset.* Denique tertius MS. Regius: *Omnium prospectum offecisset*: Quae optima videtur lectio.

3 *Juba cum Labieno capti.*] Syllepsis, ut illud Ovidianum;

Ilia cum Lauso de Numitore sati.

4 *Curiani.*] Lipsius optime emendat *Curioniani.* Ii sunt, qui paulo ante sub Curione meruerant, quos Scipio suis copiis immiscuerat post sui imperatoris mortem, quos et Gallos fuisse supra memorat.

5 *Veriti.*] Synthesis est figura, cum juxta legitimum ordinem deberet esse *veritæ*,

commeatu, familiâ suâ atque jumentis occupavisset, neque militem unum ab Siciliâ sustulisset; postero die de suggestu, convocatis omnium legionum tribunis centurionibusque: Maximè vellem, inquit, homines suæ petulantiæ, nimiæque libertatis, aliquando finem fecissent, meæque lenitatis, modestiæ, patientiæque rationem habuissent. Sed quoniam ipsi sibi neque modum, neque terminum constituunt, quo cæteri dissimiliter se gerant; egomet ipse documentum more militari constituam. C. Aviene, [1] quòd in Italiâ milites populi R. contra republicam instigâsti; rapinasque per municipia fecisti; quodque mihi reique publicæ inutilis fuisti; et pro militibus tuam familiam jumentaque in naves imposuisti; tuâque operâ, militibus tempore necessario respublica caret: ob eas res, ignominiæ caussâ, ab exercitu meo te removeo: hodièque ex Africâ abesse, et quantum potest, proficisci jubeo. Itemque te, A. Fontei, quod tribunus militum seditiosus, malusque civis fuisti, ab exercitu dimitto. T. Saliene, M. Tiro, C. Clusinas, quum ordines in meo exercitu beneficio, non virtute consecuti, ita vos gesseritis, ut neque bello fortes, neque pace boni aut utiles fueritis, et magis in seditione concitandi milites adversus vestrum imperatorem, quam pudoris, modestiæque fueritis studiosiores; indignos vos esse abitror, qui in meo exercitu ordines ducatis; [2] missosque facio, et, quantum potest, abesse ex Africâ jubeo. [3] Itaque transdidit eos centurionibus; [4] et singulis non ampliùs singulis additis, servos in navi imponendos separatìm curavit.

LV. Getuli interim perfugæ, quos cum litteris mandatisque à Cæsare missos supra docuimus, ad suos cives perveniunt, quorum auctoritate facile adducti, Cæsarisque nomine persuasi, à rege Juba desciscunt, celeriterque cuncti arma capiunt; contraque regem facere non dubitant. Quibus rebus cognitis [5] Juba distentus triplici bello, necessitate coactus, de suis copiis, quas contra Cæsarem adduxerat, VI

NOTAE.

1 *Quod in Italiâ.*] Seditionem intelligit quam factam esse, ipso Alexandriae et in Ponto bellum gerente, supra commemoratum est.

2 *Missosque facio.*] Missio quadruplex erat, honesta, causaria, gratiosa, et ignominiosa, cujus postremae hoc exemplum est luculentum. Atque hoc est quod Suetonius tradit, cap. 67. *Delicta neque observabat omnia, neque pro modo exequebatur, sed deserturum, ut seditiosorum, et inquisitor, et punitor acerrimus, connivebat in cæteris.* Idipsum habet Polyaenus. Hi autem fuerant seditiosi ut patet ex hac publicâ oratione Caesaris. Sed animadvertendum est sumpsisse tempus, quo et militum satis se habere putabat, et id fecisse militum licentiam veritum, quae in prima victoria erupit, quanta quidem tota his bellis non apparuerat. Invito enim Caesare multos nobiles occiderunt.

3 *Itaque transdidit eos centurionibus.*] *Milites enim*, ut ait idem Suetonius, *tractabat pari severitate atque indulgentia.*

4 *Et singulis non amplius singulis additis, servos in navi imponendos separatim curavit.*] Manuscripti Regii duo codices sic habent: *Et singulis non amplius singulos additos servos in navem imponendos separatim curavit.* Cui consentit pervetustus impressus codex, Manuscripti tres codices, quorum unus est Regius, alius Victorinus, tertius Thuanus habent: *Et ad singulos non amplius singulis additis servis in navi imponendos separatim curavit.* Facile priorem lectionem posteriori et in textu positae praetulerim.

5 *Juba distentus triplici bello.*] Contra P. Sitium, contra Getulos, contra Caesarem.

cohortes in fines regni sui mittit, quæ essent præsidio contra Getulos.

LVI. Cæsar brachiis perfectis, promotisque eo usque, ut telum ex oppido adjici non posset, castra munit; ballistis scorpionibusque crebris ante frontem castrorum, contraque oppidum collocatis, defensores muri deterrere non intermittit; eoque v legiones ex superioribus castris deducit. Quâ facultate oblatâ, illustriores notissimique, conspectum amicorum propinquorumque efflagitabant, atque inter se colloquebantur. Quæ res quid utilitatis haberet, Cæsarem non fallebat. Namque Getuli ex equitatu regio nobiliores, equitumque praefecti, quorum patres cum Mario ante meruerant, ejusque beneficio agris finibusque donati, post Syllæ victoriam sub [1] Hiempsalis regis erant potestate dati, occasione captâ, nocte jam luminibus accensis, cum equis calonibusque suis circiter mille perfugiunt in Cæsaris castra, quae erant in campo proximè Uzitæ locata.

LVII. Quod postquam Scipio, quique cum eo erant, cognoverunt, quum commoti ex tali incommodo essent, ferè per id tempus M. Aquinium cum C. Saserna colloquentem viderunt. Scipio mittit ad Aquinium, nil attinere eum cum adversariis colloqui. [2] Quum nihilo minus ejus sermonem nuntius ad se referret, restaretque, ut reliqua, quæ vellet, perageret, viator postea ab Juba ad eum est missus, qui diceret, audiente Savernâ: Vetat te rex colloqui. Quo nuntio perterritus discessit; et dicto audiens fuit regi. [3] Usu venisse hoc civi Romano miror, et ei, qui à populo Romano honores accepisset, incolumi patria, fortunisque omnibus, Jubæ barbaro potius obedientem fuisse, quam aut Scipionis obtemperâsse nuntio, aut cæsis ejusdem partis civibus, incolumem reverti malle. Atque etiam superbiùs Jubæ factum, non in M. Aquinium hominem novum, parvumque senatorem, sed in Scipionem hominem illâ familiâ, dignitate honoribusque præstantem. Nam quum Scipio sagulo purpureo ante regis adventum uti solitus esset, dicitur Juba cum eo egisse, non opor-

NOTAE.

1 *Hiempsalis regis.*] Interpretes Caesaris hic falsi sunt nominis similitudine, quâ adducti crediderunt hunc esse Hiempsalem, de quo Sallust. in lib. de bell. Jugurth. memoriae prodidit, qui multis tamen ante annis fuerat à Jugurtha necatus. Hic Hiemsal, fuit Numidiae rex, quem Pompeius à Numidis ejectum jussu Syllae, in regnum restituit, quam ob causam et ejusdem Syllae permissu triumphavit, cum esset annorum tantum XXIV. necdum equestri ordine excessisset. Testes sunt Plutarchus in Pompeio, et Appianus in lib. 1. de bello civili.

2 *Quum nihilo minus ejus sermonum nuntius ad se referret, restaretque.*] Aliud hic desiderari nemo non videt. Ego perlectis et expensis manuscriptis Regiis codicibus tribus. Thuanis duobus, et Victorino uno, ex eorum fide sic emendo, vocabulum nempe unum et alterum hinc et inde rapiendo: *Quum nihilominus ejus sermonem nuntius ad eum* (Scipionem) *referret, se restare, ut reiquae quae vellet, perageret, viator praeterea ab Juba ad eum est missus*, &c.]

3 *Usu venisse hoc civi Romano miror.*] Nil mirum ei qui conditiones societatis Scipionis et Jubae cogitaverit. Cum enim rex evocatus à Scipione non veniret, totam Africam quae patebat Romanis se ei daturum promisit. Qua pollicitatione adductus alios Sitio opposuit, ipse ad Caesarem profectus est. Hoc sciebat Aquinius, et gravius laturum Scipionem si Jubae parere nollet ipse, quam si ipsi Scipioni.

tere illum eôdem uti vestitû, atque ipse uteretur. Itaque factum est, ut Scipio ad album sese vestitum transferret, et Jubæ homini superbissimo inertissimoque obtemperaret.

LVIII. Posterô die universas omnium copias de castris omnibus deducunt; [a] et supercilium quoddam excelsum nacti non longè à Cæsaris castris aciem constituunt, atque ibi consistunt. Cæsar item producit copias, celeriterque iis instructis, ante suas munitiones, quæ erant in campo constitit: sine dubio existimans, ultro adversarios, quum tam magnis copiis auxiliisque regis essent præditi, promptiùsque prosiluissent, ante se concursuros, propiùsque se accessuros. Equo circumvectus, legionesque cohortatus, signo dato, accessum hostium aucupabatur. Ipse enim à suis munitionibus longiùs non sine ratione non procedebat; quod in Oppido Uzitæ, quod Scipio tenebat, hostium erant cohortes armatæ. Eidem autem oppido ad dextrum latus ejus cornu erat oppositum. Verebaturque, ne, si prætergressus esset, ex oppido eruptione factâ, ab latere eum adorti conciderent. Præterea hæc quoque eum caussa tardavit, quod erat locus quidam perimpeditus ante aciem Scipionis, quem suis impedimento ad ultro occurrendum fore existimabat.

LIX. Non arbitror esse prætermittendum, quemadmodum exercitus utriusque fuerunt in aciem instructi. Scipio hoc modo aciem direxit. Collocabat in fronte suas et Jubæ legiones; postea autem Numidas in subsidiariâ acie ita extenuatos, et in longitudinem directos, ut procul simplex esse acies media à legionariis militibus videretur; in cornibus autem duplex esse existimabatur. Elephantos dextro sinistroque cornu collocaverat, æqualibus inter eos intervallis interjectis. [1] Post autem elephantos, amaturas leves, Numidasque substituerat auxiliares. Equitatum frænatum universum in suo dextro cornu disposuerat. Sinistrum enim cornu oppido Uzita claudebatur, neque erat spatium equitatus explicandi: propterea Numidas levisque armaturæ infinitam multitudinem ad dextram partem suæ aciei opposuerat, ferè interjecto non minùs mille passuum spatio, et ad collis radices magis appulerat, longiusque ab adversariorum, suisque copiis promoverat: id hoc consilio, ut quum acies II inter se concurrissent initio certaminis, paullo longiùs ejus equitatus circumvectus ex improviso clauderet multitudine suâ exercitum Cæsaris, atque perturbatum jaculis configeret. [2] Hæc fuit ratio Scipionis eâ die præliandi.

LX. Cæsaris autem acies hoc modo fuit collocata, ut ab sinistro ejus cornu ordiar, et ad dextrum perveniam. Habuit in sinistro

INTERPRETATIO.

a *Invento vertice quodam alto* collis.

NOTAE.

1 *Post autem elephantos, armaturas leves.*] Eo consilio, ut si illi ab hostibus repellerentur, funditores, qui inter armaturam levem erant, lapides in ipsos conjicerent, quo in hostes retorquerentur.

2 *Haec fuit ratio Scipionis ea die proeliandi.*] Ex fide MSS. Regiorum trium, Theanorum duorum, Victorini unius codicis emendo, *eo die*. Nam fere apud Latinos Autores *dies* in foeminina postione pro tempore invenitur.

cornu legionem IX, VII: in dextro cornu XXX, XXIX; XIII, XIV, XXVIII, XXVI, in mediâ acie: [1] ipsum autem dextrum cornu, secundam aciem fere, in earum legionum parte cohortium collocaverat. Praeterea ex tironum legionibus paucas adjecerat. Tertiam autem aciem in sinistrum suum cornu contulerat, et usque ad aciei suae mediam legionem porrexerat, et ita collocaverat, uti sinistrum suum cornu triplex esset. Id eo consilio fecerat, quod suum dextrum latus munitionibus adjuvabat: sinistrum autem, ut equitatus hostium multitudini resistere posset, laborabat. Eodemque suum omnem contulerat equitatum: et, quod ei parum confidebat, praesidio his equitibus legionem V praemiserat; levemque armaturam inter equites interposuerat. Sagittarios variè passimque locis certis, maximèque in cornibus collocaverat.

LXI. Sic utrorumque exercitus instructi, non plus passuum CCC interjecto spatio, quod forte ante id tempus acciderat nunquam quin dimicaretur, à mane usque ad horam X diei perstiterunt. Jamque Cæsar dum exercitum reducere intra munitiones suas cœpisset; subito universos equitatus ulterior Numidarum Getulorumque sine frœnis ad dextram partem se movere, propiùsque Caesaris castra, quae erat in colle, se conferre cœpit; frænatus autem Labieni eques in loco permanere, legionesque distinere: [2] quum subito pars equitatus Caesaris cum levi armaturâ contra Getulos injussu ac temerè longiùs progressi, paludemque transgressi, multitudinem hostium sustinere pauci non potuerunt, levique armaturâ deserti, ac pulsi, convulneratique, uno equite amisso, multis equis sauciis, levis armaturae XXVI occisis, ad suos refugerunt. Quo secundo equestri proelio facto Scipio laetus in castra nocte copias reduxit. (Quod) [3] proprium gaudium bellantibus fortuna tribuere non decrevit. [4] Namque postero die Caesar cum parte equitatus sui Leptim, frumenti gratiâ, misit. In itinere prædatores equites Numidas Getulosque ex improviso adorti circiter centum partim occiderunt, partim vivorum potiti sunt. Cæsar interim quotidie legiones in campum deducere, atque opus facere, vallumque et fossam per medium campum ducere, [5] adversariorumque excursionibus iter officere non intermittit. Scipio item munitiones contra facere, et ne jugo à Cæsare excluderetur, approperare. Ita duces utrique et

NOTAE.

1 *Ipsum autem dextrum cornu, secundum aciem ferre, in earum legionem parte cohortium collocaverat.*] Latet aliquod mendum, quod tollere nullius manuscripti codicis ope licuit.

2 *Quum subito pars equitatus Caesaris cum levi armatura contra Getulos, injussu ac temere longius progressi.*] Synthesis est figura; sic Sallust. Jugurth. *Magna pars vulneribus confecti abeunt.* Sic Livius dec. 4. lib. II. *Pars in fugam effusi sunt.*

3 *Proprium gaudium.*] Supra dictum est proprium illud dici, quod sequenti adverso eventu non corrumpitur.

4. *Namque postero die Caesare cum parte equitatus, &c.*] Lego *partem*, aliter non constaret sententia, idque ex fide manuscripti Regii codicis unius.

5 *Adversariorumque excursionibus iter officere non intermittit.*] Pro *itineri*. Sic Plautus in Truculento: *Jam hercle ego te hic offatim officiam.*

in operibus occupati erant, et nihilo minùs equestribus proeliis inter se quotidiè dimicabant.

LXII. Interim Varus classem, quam antea Uticæ hiemis gratiâ subduxerat, cognito [1] legionis VII et VIII ex Siciliâ adventu, celeriter deducit; ibique Getulis remigibus epibatisque complet; insidiandique gratiâ progressus Adrumetum cum LV navibus pervenit. Cujus adventus inscius Cæsar L. Cispium cum classe XXVII navium Thapsum versus in stationem, præsidii gratiâ, commeatus sui, mittit: itemque Q. Aquilam cum XIII navibus longis Adrumetum eadem de caussa præmittit. Cispius, quo erat missus, celeriter pervenit. Aquila tempestate jactatus, promontorium superare non potuit, atque angulum quendam tutum à tempestate nactus, cum classe se longius à prospectu removit, Reliqua classis in salo ad Leptim, egressis remigibus, passimque in littore vagantibus, partim in oppido victus sui mercandi gratiâ progressis, vacua à defensoribus stabat. Quibus rebus Varus ex perfugis cognitis, occasionem nactus, vigiliâ secundâ Adrumeto ex [2] Cothone egressus, primo mane Leptim universâ classe vectus, naves onerarias, quae longiùs à portu in salo stabant, incendit, et penteres duas, vacuas à defensoribus, nullo repugnante cepit.

LXIII. Cæsar interim celeriter per nuntios in castris, quum opera circuiret, certior factus, quæ aberant à portu millia passuum VI, equo admisso, omissis omnibus rebus, celeriter pervenit Leptim: [3] ibique moratus, omnes ut se naves consequerentur, primum ipse navigiolum parvum conscendit; in cursu Aquilam multitudine navigiorum perterritum atque trepidantem nactus, hostium classem sequi coepit. Interim Varus celeritate Caesaris audaciâque motus, cum universâ classe, conversis navibus. Adrumetum versus fugere contendit. Quem Caesar in millibus passuum IV consecutus, recuperatâ quinqueremi cum omnibus suis epibatis, atque etiam hostium custodibus CXXX in eâ nave captis, triremem hostium proximam, quae in repugnando erat commorata, onustam remigum epibatarumque, cepit. Reliquae naves hostium promontorium superârunt, atque Adrumetum in Cothonem se universae contulerunt. Caesar eodem vento promontorium superare non potuit; atque in salo in anchoris eâ nocte commoratus, prima luce Adrumetum accedit; ibique navibus onerariis, quae erant extra Cothonem, incensis, omnibusque reliquis aliis, aut subductis, aut in Cothonem compulsis, paullisper commoratus, si forte vellent classe dimicare, rursus se recepit in castra.

NOTAE.

1 *Legionis* VII *et* VIII.] Intelligit Caesarianorum.

2 *Cothone.*] Cothon insula rotunda ante Carthaginem in ejus portu; teste Strabone, cujus ore à Romanis munitionibus obstructo Carthaginiensis aliud effoderunt. Aliqui portum etiam esse dicunt. Verùm quia portus et insula similis ante Adrumetum, eodem etiam nomine dicebatur. Hesych. *Κώθων μονῶτον ποτήριον κεράμεον εἶδος ποτηρίου. Cothon poculum cui una auris est, fictile, genus poculi.* Unde sic forte dictus Cothon portus, quia illi vasi figura similis.

3 *Ibique moratus, omnes ut se naves consequerentur, primum ipse navigiolum parvum conscendit.*] Manuscripti Thuani duo habent: *Ibique moratur, omnes ut se navis consequerentur, postea ipse parvulum navigiolum conscendit.* Quae commodior videtur mihi lectio.

LXIV. In eâ nave captus est P. Vestrius eques Romanus, et [1] P. Ligarius Afranianus, quem Cæsar in Hispaniâ cum reliquis dimiserat, et postea se ad Pompeium contulerat; inde ex prœlio effugerat; in Africamque ad Varum venerat. [2] Quem ob perjurium perfidiamque Cæsar jussit necari. P. Vestrio autem, quod ejus frater Romæ pecuniam imperatam numeraverat, et quod ipse suam caussam Cæsari probaverat, se Nasidii classe captum, quum ad necem duceretur, beneficio Vari esse servatum, postea facultatem sibi nullam datam transeundi, ignovit.

LXV. [3] Est in Africâ consuetudo incolarum, ut in agris, et in omnibus ferè villis, sub terrâ specus, condendi frumenti gratiâ, clam habeant, atque id propter bella maximè, hostiumque subitum adventum præparent. Quâ de re Cæsar certior per indicem factus, tertiâ vigiliâ legiones II cum equitatu mittit à castris suis millia passuum X; atque inde magno numero frumenti onustas recepit in castra. Quibus rebus cognitis Labienus progressus à suis castris millia passuum VII, per jugum et collem, per quem Cæsar pridiè iter fecerat, ibi castra duarum legionum facit; [4] atque ibi ipse quotidiè existimans Cæsarem eadem sæpe frumentandi gratiâ commeaturum, cum magno equitatu levique armaturâ insidiaturus locis idoneis consedit.

LXVI. Cæsar interim de insidiis Labieni ex perfugis certior factus, paucos dies ibi commoratus, dum hostes quotidiano instituto, sæpe idem faciendo, in negligentiam adducerentur, subito mane imperat portâ Decumana legiones se VIII veteranas cum parte equitatus sequi: atque, equitibus præmissis, neque opinantes insidiatores subito in convallibus latentes levi armaturâ concidit circiter D: reliquos in fugam turpissimam conjecit. Interim Labienus cum universo equitatu fugentibus suis suppetias occurrit. Cujus vim multitudinis quum equites pauci Cæsariani jam sustineri non possent, Cæsar instructas legiones hostium copiis ostendit. Quo facto perterrito Labieno, ac retardato, suos equites recepit incolumes. Postero die Juba Numidas eos, qui loco amisso fugâ se receperant in castra, in cruce omnes suffixit.

LXVII. Cæsar interim, quoniam frumenti inopiâ premebatur, copias omnes in castra conducit; atque præsidio Lepti, Ruspinae, Acillæ relicto, Cispio, Aquilæque classe transditâ, [5] ut alter Adrumetum, alter Thapsum mari obsiderent, ipse castris incensis, IV noctis vigiliâ,

NOTÆ.

1 *P. Ligarius Afranianus.*] Quia sub Afranio in Hispaniâ meruerat.

2 *Quem ob perjurium,* &c.] Afraniani enim et Petreiani in Hispaniâ ea erant lege dimissi, ut postea neutrius essent partium. Sic Afranio postea Caesar ob eandem causam non pepercit.

3 *Est in Africâ consuetudo,* &c.] Hoc in calidis regionibus facile factu, in humidis minus facile sit. Si tamen arida est humus, fieri potest. Quod et solitum Germanis suo tempore testatur Tacitus in libro de eorum moribus: *Solent et subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi, et receptaculum frugibus.*

4 *Atque ibi ipse quotidie existimans Caesarem eadem saepe frumentandi gratia commeaturum.*] Male positum *ibi* videtur, quod manuscripti Thuani codices duo omittunt.

5 *Ut alter Adrumetum, alter Thapsum mari obsiderent,*] Ex fide MS. R. unius, Victorini, et impressu pervetusti codicis, repono *obsideret*.

acie instructâ, impedimentis in sinistrâ parte collocatis, ex eo loco proficiscitur, et pervenit ad oppidum [1] Agar, quod à Getulis sæpe anteâ oppugnatum, summâque vi per ipsos oppidanos erat defensum. Ibi in campo castris unis positis, ipse frumentatum circum villas cum parte exercitus profectus, magno invento hordei, olei, vini, fici numero; pauco tritici, atque recreato exercitu, rediît in castra. Scipio interim, cognito Cæsaris discessu, cum universis copiis per jugum Cæsarem subsequi cœpit; atque ab ejus castris millia passuum VI longè trinis castris, dispartitis copiis, consedit.

LXVIII. Oppidum erat [2] Zetta, quod aberat à Scipione millia passuum X, ad ejus regionem, et partem castrorum collocatum, à Cæsare autem diversum ac remotum, quod erat ab eo longè millia passuum XVIII. Huc Scipio legiones II frumentandi gratiâ misit. Quod postquam Cæsar ex perfugâ cognovit, castris ex campo in collem ac tutiora loca collocatis, atque ibi præsidio relicto, ipse IV vigilia egressus præter hostium castra proficiscitur cum copiis et oppido potitur. Legiones Scipionis comperit longiùs in agris frumentari: et, quum eo contendere conaretur, animadvertit copias hostium iis legionibus occurrere suppetias. Quæ res ejus impetum retardavit. Itaque, capto C. Mutio Regino equite Romano, Scipionis familiarissimo, qui ei oppido præerat, et P. Atrio equite Romano, de conventu Uticensi, et camelis xxii regis adductis, praesidio ibi cum Oppio legato relicto, ipse se recipere coepit ad castra.

LXIX. Quum jam non longè à castris Scipionis abesset, quae eum necesse erat praetergredi; Labienus, Afraniusque cum omni equitatu, levique armaturâ, ex insidiis adorti agmini ejus extremo se offerunt, atque ex collibus primis existunt. Quod postquam Caesar animadvertit, equitibus suis hostium vi oppositis, sarcinas legionarios in acervum jubet comportare, atque celeriter signa hostibus inferre. Quod postquam coeptum est fieri primo impetu legionum equitatus, et levis armatura hostium nullo negotio loco pulsa et dejecta est de colle. Quum jam Caesar existimâsset hostes pulsos deterritosque finem lacessendi facturos, et iter coeptum pergere coepissent; iterùm celeriter ex proximis collibus erumpunt, atque eâdem ratione, quâ ante dixi, in Caesaris legionarios impetum faciunt Numidae, levisque armaturae, mirabili velocitate praediti; qui inter equites pugnabant, et unà pariterque cum equitibus accurrere et refugere consueverant. Quum hoc saepiùs facerent, et Julianos proficiscentes insequerentur, et refugerent instantes, propiùs non accederent, et singulari genere pugnae uterentur; eosque jaculis convulnerâre satis esse existimarent; Caesar intellexit nihil aliud illos conari, nisi, ut se cogerent castra in eo loco

NOTAE.

1 *Agar.*] Agar oppidum, quod nunc, ut alia multa, ubi sit, ignoratur.

2 *Zetta.*] Zettam Strabo videtur appellare Zellam. Est urbs maritima Africae. Dicunt nunc *Zerbi* vocari. Sed tutius dubitatur quam affirmatur: usque adeo tota illa regio est ab Arabibus vastata.

ponere, ubi omnino aquae nihil esset; ut exercitus ejus jejunus, qui à quartâ vigiliâ, usque ad horam X diei, nihil gustâsset, ac jumenta siti perirent.

LXX. Quum jam ad solis occasum esset, et non totos C passus in horam IV esset progressus, equitatu suo, propter equorum interitum, extremo agmine remoto, legiones invicem ad extremum agmen evocabat. Ita vim hostium, placidè leniterque procedens, per legionarium militem commodiùs sustinebat. Interim equitum Numidarum copiae dextrâ sinistraque per colles præcurrere, coronæque in modum cingere multitudine sua Cæsaris copias, pars agmen extremum insequi. Cæsaris autem non amplius tres, aut quatuor milites veterani, si se convertissent, et pila viribus contorta in Numidas infestos conjecissent, amplius II millium numero ad unum terga vertebant; ac rursus ad aciem passìm, conversis equis, se colligebant, atque in spatio consequebantur, et jacula in legionarios conjiciebant. Ita Caesar, modò procedendo, modò resistendo, tardiùs itinere confecto, noctis horâ primâ omnes suos ad unum in castris incolumes, sauciis X factis, reduxit. Labienus, circiter CCC amissis, multis vulneratis, ac defessis instando omnibus, ad suos recepit. Scipio interim legiones productas cum elephantis, quos antea castra in acie, terroris gratiâ, in conspectu Caesaris collocaverat, reducit in castra.

LXXI. Caesar contra ejusmodi hostium genera copias suas, non ut Imperator exercitum veteranum, victoremque maximis rebus gestis, [1] sed ut lanista tirones gladiatores condocefacere: quo pede sese reciperent ab hoste, et quemadmodum obversi adversariis, et in quantulo spatio resisterent, modò procurrerent, modò recederent, comminarenturque impetum, ac propè quo loco et quemadmodum tela mitterent, praecipit. Mirificè enim hostium levis armatura anxium exercitum nostrum atque sollicitum habebat; quia et equites deterrebat proelium inire, propter equorum interitum; quod eos jaculis interficiebat; et legionarium militem defatigabat, propter velocitatem.

NOTAE.

1 *Sed ut lanista tirones.*] Lanistae erant qui docebant gladiatores batuendo rudibus artem gladiatoriam. De militum exercitatione lege Vegetium, quam nec se indignam Caesar judicavit. Tirones quidem quotidie et mane et à meridie omnibus armorum generibus exercebantur, veterani vero semel. Idem Augusti atque Adriani constitutionibus ait cautum, ut ter in mense tam equites quam pedites ambulatum educerentur. Hoc enim verbo genus hujus exercitationis appellabant, X millia passuum armatus gradu illo militari quem diximus, ibat redibatque, sed magnam partem itineris plensore gradu, maximam cursu perficiebat, neque planis tantum locis haec itinera fiebant, sed clivosis et arduis, et nullae non provisa difficultas esset. Si ambulatio nulla esset, exercitatio tamen non deficiebat. Miles sylvam caedebat, aestivis temporibus natabat, ad palum dimicabat, saltabat, currebat. Exempla hujus exercitationis, crebra sunt apud Livium. Sic ille de Scipione Africano 3. decad. lib. VI. *Primo die legiones in armis IV. millium spatio decurrerunt. Secundo die arma curare et tergere ante tentoria jussit. Tertio die sudibus inter se in modum justae pugnae concurrerunt, praepilatisque missilibus jaculati sunt. Quarto die quies data. Quinto iterum in armis decursum est.* Quibus porro modis obviam eatur elephantis, lege lib. III. Vegetii, cap. 24. quo loco fuse tota res illa explicatur.

[1] Gravis enim armaturae miles [2] simul atque ab his insectatus constiterat, in eosque impetum fecerat, illi veloci cursu facilè periculum vitabant.

LXXII. Quibus ex rebus Cæsar vehementer commovebatur: quia quodcunque proelium, quoties erat commissum, equitatu suo, sine legionario milite, hostium equitatui, levique armaturae eorum, nullo modo par esse poterat. Sollicitabatur autem his rebus, quod nondum hostium legiones cognoverat, et quonam modo sustinere se posset ab eorum equitatu, levique armaturâ, quæ erat mirifica, si legiones quoque accessissent. Accedebat etiam hæc caussa, quod elephantorum magnitudo multitudoque militum animos detinebat in terrore. Cui uni rei tamen invenerat remedium. [3] Namque elephantos ex Italiâ transportari jusserat, quo et miles noster speciemque et virtutem bestiæ cognosceret, et cui parti corporis ejus telum facilè adjici posset: ornatusque ac loricatus elephantus quum esset, quae pars ejus coporis nuda sine tegmine relinqueretur, ut eo tela conjicerentur: praeterea, ut jumenta bestiarum odorem, stridorem, speciem consuetudine captarum non reformidarent. (Quibus ex rebus) largiter erat consecutus. Nam et milites bestias manibus pertractabant, earumque tarditatem cognoscebant: equitesque in eos [4] pila praepilata conjiciebat, atque in consuetudinem equos patientia bestiarum adduxerat.

LXXIII. Ob eas caussas, quas supra commemoravi, sollicitabatur Cæsar, tardiorque et consideratior erat factus, et ex pristinâ bellandi consuetudine celeritateque excesserat. Nec mirum. Copias enim habebat in Galliâ bellare consuetas locis campestribus, et contra Gallos homines apertos minimèque insidiosos; qui per virtutem, non per dolum, dimicare consueverunt. Tum autem erat ei laborandum, ut consuefaceret milites, hostium dolos, insidias, artificia cognoscere, et quid sequi, quid vitare conveniret. Itaque quo haec celeriùs conciperent, dabat operam, ut legiones non in uno loco contineret, sed per caussam frumentandi, hùc atque illùc raptaret: ideo quod hostium copias ab se, suoque vestigio non discessuras existimabat. Atque post diem III productas accuratiùs suas copias, sicut instruxerat,

NOTAE.

1 *Gravis enim armaturae miles.*] Gravis armatura quam πανοπλίαν Graeci dicunt gladii majoris et minoris, pili, scuti, galeae, loricae manicarum ocrearum tribuebatur pediti. Pilorum ligni magnitudo erat tricubitalis, ferrum vero hamatum erat paris magnitudinis.

2 *Simul atque ab his insectatus constiterat.* Sic loquitur Plautus apud Captivos: *Jam illic nos insectabit lapidibus, nisi illam jubes comprehendi.*

3 *Namque elephantos ex Italiâ transportari jusserat, quo et miles noster speciemque virtutem bestiae cognosceret,*] Manuscripti Regii tres ǝɔopɪ!sɔ Thuani duo, Victorinus unus, pervetustus impressus, omnes denique quos videre contigit, ad unum omnes, inquam, concorditer habent: *Namque elephantos in Italiam transportari jusserat, quos et miles noster nosceret, speciemque et virtutem bestiae cognosceret.* Et revera hoc bestiarum experimentum in ipsâ Italiâ ante ipsam profectionem otiose fieri potuit, non in Africâ, ubi otium non erat. Aliquis erratum arbitratus mutavit depravavitque.

4 *Pila praepilata.*] Ea quae pilae instar obtusa acumine erant, quibus utebantur in non veris pugnis.

propter hostium castra praetergressus, æquo loco invitat ad dimicandum. Postquam eos abhorrere videt, reducit sub vesperum legiones in castra.

LXXIV. Legati interim ex oppido [1] Vaccâ, quod finitimum fuit Zettae, cujus Cæsarem potitum esse demonstravimus, veniunt. Petunt et obsecrant, ut sibi praesidium mittat. Se res complures, quae utiles bello sunt, administraturos. [2] Per id tempus de eorum voluntate studioque erga Caesarem transfuga suos cives facit certiores: Jubam regem celeriter cum copiis suis, antequam Caesaris præsidium eo perveniret, ad oppidum adcucurrisse, atque advemente multitudine circumdatâ, eo potitum; omnibusque ejus oppidi incolis ad unum interfectis, dedisse oppidum diripiendum delendumque militibus.

LXXV. Cæsar interim, lustrato exercitu ad XII Kalend. Apr. postero die productis universis copiis, [3] processus à suis castris millia passuum V, à Scipionis circiter II millium interjecto spatio, in acie constitit. Postquam satìs diùque adversarios à se ad dimicandum invitatos supersedere pugnae animadvertit, reducit copias. Postero die castra movet, atque iter ad oppidum Sarsuram, ubi Scipio Numidarum habuerat praesidium, frumentumque comportaverat, ire contendit. Quod ubi Labienus animadvertit, cum equitatu levique armaturâ agmen ejus extremum capere cœpit; atque ita [4] lixarum mercatorumque, qui plostris merces portabant, interceptis sarcinis, addito animo, propiùs audaciùsque accedit ad legiones, quod existimabat, milites sub onere ac sub sarcinis defatigatos pugnare non posse. Quæ res Cæsarem non fefellerat. Namque expeditos ex singulis legionibus tricenos milites esse jusserat. Itaque eos in equitatum Labieni immissos turmis suorum suppetias mittit. Tum Labienus, conversis equis, [5] signorum conspectu perterritus, turpissimè contendit fugere; multis ejus occisis, compluribus vulneratis. Milites legionarii ad sua se recipiunt signa, atque iter incoeptum ire coeperunt. Labienus per jugum summum collis dextrorsùs procul milites subsequi non desistit.

NOTAE.

1 *Vacca.*] Oppidum Numidarum est, forumque rerum venalium totius regni, inquit Sallustius.

2 *Per id tempus de eorum voluntate studioque erga Caesarem transfuga suos cives facit certiores : Jubam regem celeriter cum copiis suis, antequam Caesaris praesidium eo perveniret, ad oppidum ad cucurrisse, atque adveniente multitudine circumdata, eo petitum.*] Turpissimo mendo totam orationem obscuranti medicinam faciunt manuscripti codices duo Thuani, item Regius unus sic habent : *Per id tempus Deorum voluntate studioque erga Caesarem transfuga suos cives facit certiores Jubam regem celeriter cum copiis suis, antequam Caesaris praesidium eo perveniret, ad oppidum accucurrisse atque ad venientem multitudine circumdata, eo potitum.* Revera singulari Dei benignitate erga Caesarem factum est, ut cognoverit prius oppidum esse captum à Jubâ, quam praesidium eo misisset, quod ab eo rege per insidias sine dubio fuisset oppressum.

3 *Processus.*] Quia nullum tale est exemplum in Latinâ linguâ, malum reponere *progressus*, vel *profectus*, quod habet manuscriptus Regiae bibliothecae codex unus.

4 *Lixarum mercatorumque.*] Ex hoc loco satis patet quinam fuerint, qui, ut scribit Pompeius, exercitum sequuntur quaestus gratia. Item ex illo Livii, lib. v. *Minus militum periit, quia praeter aegros lixarum in modum omnes per agros vicinasque urbes negotiabantur.* Gallicae *Vivandiers.*

5 *Signorum conspectu perterritus.*] Expeditorum militum Caesaris quorum modo mentio facta fuit.

LXXVI. Postquam Cæsar ad oppidum [1] Sarsuram venit, inspectantibus adversariis, interfecto praesidio Scipionis, quum suis auxilium ferre non auderent, fortiter repugnante P. Cornelio Scipionis evocato, qui ibi praeerat, atque à multitudine circumvento interfectoque, oppido potitur; atque ibi frumento exercitui dato, postero die ad oppidum [2] Tisdram pervenit, in quo Considius per id tempus fuerat cum grandi praesidio, cohorteque suâ gladiatorum. Caesar oppidi naturâ perspectâ, [3] atque inopiâ ab oppugnatione ejus deterritus, protinùs profectus circiter millia passuum IV ad aquam fecit castra; atque, inde IV die egressus, redit rursus ad ea castra, quae ad Agar habuerat. Idem facit Scipio, atque in antiqua castra copias reducit.

LXXVII. [4] Thabenenses interim, qui sub ditione et potestate Jubae esse consuêssent, in extremâ ejus regni regione maritimâ locati, interfecto regio praesidio, legatos ad Caesarem mittunt, rem à se gestam docent. Petunt orantque, ut suis fortunis, de populo Romano quod bene meriti essent, auxilium ferret. Caesar, eorum consilio probato, M. Crispum tribunum cum cohorte, et sagittariis, tormentisque compluribus praesidio Thabenam mittit. Eodem tempore ex legionibus omnibus milites, qui aut morbo impediti, aut [5] commeatu dato, cum signis non potuerant ante transire in Africam, ad millia IV, equites CD, funditores sagittariique mille, [6] uno commeatu Caesari occurrerunt. Itaque tum his copiis, et omnibus legionibus eductis, sicut erat instructus, VIII millibus passum à suis castris, ab Scipionis verò IV millibus passuum longè constitit in campo.

LXXVIII. Erat oppidum infra castra Scipionis nomine [7] Tegea, ubi praesidium equestre circiter CD habere consueverat. Eo equitatu dextrâ sinistrâque directo ab oppidi lateribus, ipse, legionibus ex castris eductis, atque in jugo inferiore instructis, non longiùs fere mille passus ab suis munitionibus progressus, in acie constitit. Postquam diutiùs in uno loco Scipio commorabatur; et tempus diei in otio consumebatur; Caesar equitum turmas suorum jubet in hostium equitatum, qui ad oppidum in statione erat, facere impressionem; levemque armaturam, sagittarios funditoresque eodem submittit. Quod ubi cœptum est fieri, et equis concitatis Juliani impetum fecissent; Pacidius suos

NOTAE.

1 *Sarsuram.*] Sarsura oppidum Africae, forte Sasura Ptolemaei.

2 *Tisdram.*] De Tisdra supra dictum.

3 *Atque inopia ab oppugnatione ejus deterritus.*] Non cibariorum, aut frumenti quod pridie militibus dederat, sed rerum ad oppugnationem necessariarum.

4 *Thabenenses.*] Urbs Africae proprie dictae, de quâ etiam Possidius in vitâ Sancti Augustini.

5 *Commeatu dato.*] Commeatus est facultas à militia ad tempus recedendi, quam praebet militi imperator ad praescriptum diem reversuro. In singulari tantum numero dicitur *Congè.*

6 *Uno commeatu.*] In utroque numero dicitur, et aliud significat, nempe transitnm, *Passage.*

7 *Tegea.*] Sunt plures urbes in Graeciâ ejus nominis, imo et alibi. Sed haec est in Africa, quae à Ptolemaeo alio nomine *Tege dicitur.*

equites exporrigere coepit in longitudinem, [1] ut haberent facultatem turmas Julianas circumfundere, et nihilò minùs fortissimè acerrimèque pugnare. Quod ubi Cæsar animadvertit, CCC, quos ex legionibus habere expeditos consueverat, ex proximâ legione, quae ei proelio in acie [a] constiterat, jubet equitatui succurrere. Labienus interim suis equitibus auxilia equestria summittere, sauciisque ac defatigatis integros, recentioribusque viribus equites subministrare. Postquam equites Juliani CD vim hostium ad IV millia numero sustinere non poterant, et à levi armaturâ Numidarum vulnerabantur, minutatimque cedebant; Cæsar alteram alam mittit, [b] qui satagentibus celeriter occurrerent. Quo facto sui sublati universi, in hostes impressione factâ, in fugam adversarios dederunt, multis occisis, compluribus vulneratis. Insecuti per III mille passuum, usque in colles hostibus adactis, se ad suos recipiunt. Cæsar in horam X commoratus, sicut erat instructus, se ad sua castra recepit, omnibus incolumibus. In quo prœlio Pacidius graviter [2] pilo per cassidem caput ictus, compluresque duces, ac fortissimus quisque interfecti vulneratique sunt.

LXXIX. Postquam nullâ conditione cogere adversarios poterat, ut in æquum locum descenderent, legionumque periculum facerent; neque ipse propiùs hostem castra ponere propter aquæ penuriam se posse animadverteret; [3] adversarios non eorum virtute confidere, [4] sed aquarum inopiâ fretos, despicere se intellexit: Pridiè Non. Apr. tertiâ vigiliâ egressus, ab Agar XVI millia passuum nocte progressus, [5] ad Thapsum, ubi Vergilius cum grandi præsidio præerat, castra ponit, oppidumque eo die circummunire coepit, locaque idonea opportunaque complura praesidiis occupare; ne hostes intrare ad se, [6] ac loca interiora capere possent. Scipio interim, cognitis Caesaris consiliis, ad necessitatem adductus dimicandi, ne per summum dedecus fidissimos suis rebus Thapsitanos et Vergilium amitteret; confestim Cæsarem per superiora loca consecutus, millia passuum VIII a Thapso binis castris consedit.

LXXX. [7] Erat stagnum salinarum, inter quod, et mare, angustiæ

INTERPRETATIO.

a *Non cesserat.* b *Qui cito subvenirent laborantibus.*

NOTAE.

1 *Ut haberent facultatem turmas Julianas circumfundere.*] MSS. Regii tres codices, Thuani duo, Victorinus unus, omnes denique ad unum quos videre licuit habent *circumfundi*, quae melior mihi videtur lectio.

2 *Pilo per cassidem caput ictus.*] Hellenismus. Habens caput ictum per cassidem.

3 *Adversarios non eorum virtute confidere.*] Observanda Syntaxis, *non eorum virtute*, pro *sua.*

4 *Sed a quarum inopia fretos, despicere se intellexit.*] Manuscripti Regii codices tres, Victorinus unus et pervetustus impressus codex habent *copia*, quam lectionem sic probo, ut nostram non repudiem, modò inopia Caesaris intelligatur.

5 *Ad Thapsum.*] Dio eo consilio venisse Thapsum dicit, ut aut proelio congrederetur, aut inspectantibus ipsis urbem caperet.

6 *Ac loca interiora capere possent.*] Ideo interiora dicit, quia Thapsus erat in peninsula posita, ut scripsit Dio.

7 *Erat stagnum salinarum.*] Id est fossarum in quibus sal sit in maritimis locis.

quaedam non amplius mille et quingentos paussus intererant: quas Scipio intrare, et Thapsitanis auxilium ferre conabatur: quod futurum Caesarem non fefellerat. Namque pridie in eo loco castello munito, ibique trino praesidio relicto, ipse cum reliquis copiis lunatis castris Thapsum operibus circummunivit. Scipio interim exclusus ab incoepto itinere, supra stagnum postero die et nocte confectâ, coelo albente, non longè â castris, praesidioque, quod supra commemoravimus, mille D passibus, ad mare versus consedit, et castra munire coepit. [1] Quod postquam Caesari nuntiatum est, milites ab opere deductos, castris praesidio Asprenate proconsule cum legionibus II relicto, ipse cum expeditâ copiâ in cum locum citatìm contendit; classisque parte ad Thapsum relictâ, reliquas naves jubet post hostium tergum quam maximè ad littus appelli, signumque suum observare; quo signo dato, subito clamore facto, ex improviso hostibus aversis incuterent terrorem; ut perturbati ac perterriti respicere post terga cogerentur.

LXXXI. Quo postquam Caesar pervenit, et animadvertit aciem pro vallo Scipionis, elephantosque dextro sinistroque cornu collocatos, e nihilominùs partem militum castra non ignaviter munire; ipsi acie triplici collocatâ, legione X, secundâque dextro cornu, VIII et IX sinistro oppositis V legionibus in quartâ acie, ante ipsa cornua quinis cohortibus contra bestias collocatis, sagittariis funditoribus in utrisque cornibus dispositis, levique armaturâ inter equites interjectâ, ipse pedibus circum milites concursans, virtutesque veteranorum, proeliaque superiora commemorans, blandèque appellans, animos eorum excitabat. Tirones autem, qui nunquam in acie dimicássent, hortabatur, ut veteranorum virtutem aemularentur, eorumque famam, nomen, locumque, victoriâ partâ, cuperent possidere.

LXXXII. Itaque in circumeundo exercitum, animadvertit hostes circa vallum trepidare, atque ultrò citròque pavidos concursare, et modo se intra portas recipere, modo inconstanter immoderatèque prodire. Quumque idem à pluribus animadvertì coeptum esset; subitò legati evocatique obsecrare Cæsarem, ne dubitaret, signum dare: [2] victoriam sibi propriam à Diis immortalibus portendi. Dubitante Cæsare, atque eorum studio cupiditatique resistente, sibique eruptione pugnari non placere clamitante, et etiam atque etiam aciem sustentante, subitò dextro cornu, injussu Caesaris, [3] tubicen, à militibus coactus, canere coepit. Quo facto, ab universis cohortibus signa in hostem coepere

NOTAE.

1 *Quod postquam Caesari nuntiatum est, milites ab opere deductos, castris praesidio Asprenate proconsule cum legionibus* II *relicto ipse eum expedita copia in eum locum citatim contendit.*] Mendum non dubium, quod ex fide manuscripti Regii, Victorini unius codicis, et Thuani sic emendo: *Milite ab opere deducto.* Aliter magna est orationis inconsequentia.

2 *Victoriam sibi propriam.*] Quod tale est ut non sit dubium, aut alia clade delendum, id proprium dicitur Gallice, *final* aut *definitif.*

3 *Tubicen.*] Florus idem confirmat, quod negat unquam accidisse, ut ante imperium ducis signum cecinerit, utpote contra rei militaris leges.

inferi, quum centuriones pectore adverso resisterent, vique continerent milites, ne injussu imperatoris concurrerent; nec quidquam proficerent.

LXXXIII. Quod postquam Caesar intellexit, incitatis, militum animis resisti nullo modo posse, [1] signo felicitatis dato, equo admisso in hostem contra principes ire contendit. A dextro interim cornu funditores, sagittariique concita tela in elephantos frequentes injiciunt. Quo facto bestiae stridore fundarum lapidumque perterritae sese convertere, et suos post se frequentes stipatosque proterere, et in portas valli semifactas ruere contendunt. Item Mauri equites qui in eodem cornu cum elephantis erant, praesidio deserti principes fugiunt. Ita celeriter bestiis circuitis, legiones vallo hostium sunt potitae: et paucis acriter repugnantibus interfectis, reliqui concitati in castra, unde pridiè erant egressi, confugiunt.

LXXXIV. Non videtur esse praetermittendum de virtute militis veterani v legionis. Nam quum in sinistro cornu elephantus vulnere ictus et dolore concitatus in lixam inermem impetum fecisset, eumque sub pede subditum, deinde genu innixus pondere suo, proboscide erectâ vibrantique, stridore maximo premeret atque enecaret, miles hic non potuit pati, quin se armatum bestiae offerret: quem postquam elephantus ad se telo infesto venire animadvertit, relicto cadavere, militem proboscide circumdat, atque in sublime extollit armatum. Qui in ejusmodi periculo quum constanter agendum sibi videret, gladio proboscidem, quo erat circumdatus, caedere, quantum viribus poterat, non destitit: quo dolore adductus elephantus, milite abjecto, maximo cum stridore cursuque conversus ad reliquas bestias se recepit.

LXXXV. Interim Thapso qui erant praesidio, ex oppido eruptionem portâ maritimâ faciunt: et, sive ut suis subsidio occurrerent, sive ut, oppido deserto, fugâ salutem sibi pararent, egrediuntur, [2] atque ita per mare umbilici fine ingressi, terram petebant: qui à servis puerisque, qui in castris erant, lapidibus pilisque prohibiti terram attingere, rursus se in oppidum receperunt. Interim Scipianis copiis prostratis, passimque toto campo fugientibus, confestim Caesaris legiones consequi, spatiumque se non dare colligendi: qui postquam ad ea castra quæ petebant, perfugerunt, ut refectis castris rursus sese defenderent: ducem aliquem requirunt, quem respicerent, cujus auctoritate imperioque rem gererent: [3] qui postquam adverterunt neminem ibi esse praesidio, [4] protinùs armis abjectis in regia castra fugere contendunt. Quo postquam pervenerunt, eaque ab Julianis teneri vident, desperatâ sa-

NOTAE.

1 *Signo felicitatis dato.*] Tessera uno alterove verbo dabatur sub pugnam ab imperatore.

2 *Atque ita per mare umbilici fine ingressi.*] Id est usque ad umbilicum. Sic Sallust. lib. III. histor. dixit: *Fine inguinum ingrediuntur mare.* Unde Italica vox nata, *fine usque ad.*

3 *Qui postquam adverterunt neminem ibi esse praesidio.*] Scipio XII cataphractis navibus per mare fugeret, ut refert Appianus.

4 *Protinus armis abjectis.*] Clypeo scilicet, qui fugienti magno est impedimento. Quod probat sequens oratio, ubi est *armis demissis*, quod de aliis armis intelligitur.

lute in quodam colle consistunt; atque [1] armis demissis [2] salutationem more militari faciunt. Quibus miseris ea res parvo praesidio fuit. Namque milites veterani [3] irâ et dolore incensi, non modo ut parcerent hosti, non poterant adduci, sed etiam ex suo exercitu illustres urbanos, [4] quos auctores appellabant, complures aut vulnerârunt, aut interfecerunt. In quo numero fuit Tullius Rufus quaestorius: qui pilo transjectus consultò à milite interiît. Item [5] Pompeius Rufus brachium gladio percussus, nisi celeritèr ad Caesarem adcucurrisset, interfectus esset. Quo facto complures equites Romani senatoresque perterriti ex proelio se receperunt; ne à militibus, [6] qui ex tantâ victoriâ licentiam sibi assumpsissent immoderatè peccandi, impunitate propter maximas res gestas, ipsi quoque interficerentur. Itaque ii omnes Scipionis milites, [7] quum fidem Caesaris implorarent, inspectante ipso Caesare, et à militibus deprecante eis uti parcerent, ad unum sunt interfecti.

LXXXVI. Caesar trinis castris potitus, occisisque hostium x millibus fugatisque compluribus, se recepit, L militibus amissis, paucis sauciis, in castra: [8] ac statim ex itinere ante oppidum Thapsum constitit; elephantosque LXIV ornatos armatosque cum turribus ornamentisque capit, captos ante oppidum instructos constituit: id hoc consilio, si posset Vergilius, quique cum eo obsidebantur, rei malè gestae suorum indicio à pertinacia deduci. Deinde ipse Vergilium appellavit, invitavitque ad deditionem, suamque lenitatem et clementiam commemoravit. Quem postquam animadvertit responsum sibi non dare, ab oppido recessit. Postero die divinâ re factâ, concione advocatâ, in conspectu oppidanorum milites collaudat: totumque exercitum veteranum donavit. Praemia fortissimo cuique, ac bene merenti, [9] pro suggestu tribuit. Ac statim inde digressus, C. Rebello proconsule cum III ad Thapsum legionibus, et Cn. Domitio cum II Tisdrae, ubi Considius praeerat, ad obsidendum relictis, M. Messalla Uticam ante praemisso, cum equitatu ipse eodem iter facere contendit.

NOTAE.

1 *Armis demissis.*] Manuscripti Regii tres codices, Thuani duo, Victorinus unus, pervetustus impressus omnes, ad unum habent *dimissis.*

2 *Salutationem more militari faciunt.*] Commonentes nempe vicissitudines fortunae, quae varia est, et modo in hunc, modo in illum inclinat.

3 *Ira et dolore incensi.*] Quia Scipio suos commilitones crudeliter necaverat.

4 *Quos auctores appellabant.*] Quasi quorum consilio multa fiebant, quae militibus displicebant. Lipsius tamen reponit *fautores.* Nec forte male, ea enim sententia invenitur in libro de bello Hispaniensi.

5 *Pompeius Rufus brachium gladio percussus.*] Phrasis Graeca, cui brachium fuerat gladio percussum.

6 *Qui ex tanta victoria licentiam sibi assumpsissent immoderate peccandi, impunitate.*] Nullus est orationis ordo, quem ex fide manuscriptorum Regiorum trium Thuanorum duorum et Victorini unius sic restituo: *Qui ex tantâ victoriâ licentiam sibi assumpsissent immoderatae peccandi impunitatis.*

7 *Quum fidem Caesaris implorarent.*] Implorare, est auxilium cum miseratione deposcere.

8 *Ac statim ex itinere ante oppidum Thapsum constitit.*] Sine machinis, solis scalis admotis oppugnat.

9 *Pro suggestu.*] Locus erat editior, unde oratio habebatur, ideo dictus, quia suggerebantur ligna et alia.

LXXXVII. Equites interim Scipionis, qui ex proelio fugerant, quum Uticam versus iter facerent, perveniunt ad oppidum [1] Paradam, ubi, quum ab incolis non reciperentur, ideo quod fama de victoriâ Caesaris praecucurrisset; vi oppido potiti, in medio foro lignis coacervatis, omnibusque rebus eorum congestis, ignem subjiciunt, atque ejus oppidi incolas cujusque generis, aetatisque, vivos, constrictosque in flammam conjiciunt, atque ita acerbissimo afficiunt supplicio. Deinde protinùs Uticam perveniunt. Superiore tempore M. Cato, quod Uticensibus [2] propter beneficium legis Juliae parum in suis partibus praesidii esse existimaverat, plebem inermem oppido ejecerat, et [3] ante portam Bellicam castris fossâque parvula duntaxat muniêrat, ibique, custodiis circumdatis, habitare coëgerat; senatum autem oppidi custodia tenebat. Eorum castra ii equites adorti expugnare coeperunt, ideo quod eos partibus Caesaris favisse sciebant, ut, eis interfectis, eorum pernicie dolorem suum ulciscerentur. Uticenses animo addito ex Caesaris victoriâ, lapidibus fustibusque equites repulerunt. Itaque, [4] postquam castra non potuerant potiri, Uticam se in oppidum conjecerunt; atque ibi multos Uticenses interfecerunt; domosque eorum expugnaverunt ac diripuerunt. Quibus quum Cato persuadere nullâ ratione quiret, ut secum oppidum defenderent, et caede rapinisque desisterent, et quid sibi vellent, sciret, sedandae eorum importunitatis gratiâ, [5] singulis HS c divisit. Idem Sylla Faustus fecit, ac de suâ pecuniâ largitus est: unaque cum iis ab Utica proficiscitur, atque in regnum ire contendit.

LXXXVIII. Complures interim ex fugâ Uticam perveniunt. Quos omnes Cato convocatos [6] una cum CCC, qui pecuniam Scipioni ad bellum faciendum contulerant, hortatur, ut servitia manumitterent, oppidumque defenderent. Quorum quum partem assentire, partem animum mentemque perterritam, atque in fugâ destinatam habere intellexisset, amplius de eâ re agere destitit, navesque iis attribuit, ut, in quas quisque partes vellet, proficisceretur. Ipse omnibus rebus diligentissimè constitutis, liberis suis L. Caesari, qui tum ei pro quaestore fuerat, commendatis, et sine suspicione, vultu atque sermone, quo superiore tempore usus fuerat, quum dormitum isset, fer-

NOTAE.

1 *Paradam.*] Strabo Pharam vocat, lib. XVII.

2 *Propter beneficium. legis Juliae.*] Caesar legem tulerat, qua cavebatur ne populis liberis sua libertas adimeretur, vetabanturque magistratus Romani eam violare, quales erant civitates Achaiae, Thessaliae, et reliquae Graeciae.

3 *Ante portam Bellicam.*] Eo nomine fuit porta Uticae.

4 *Postquam castra non potuerant potiri.*] Manuscripti Regii codices duo et Victorinus unus habent *castris.* Manscriptus Regius unus codex, *castra non potuerant capere*, quod et habet pervetustus impressus codex.

5 *Singulis* HS c *divisit.*] *Sept livres dix sols.* Si enim in neutro genere legatur nimia summa, sil *deux mille cinq cens livres.* Haec major quidem summa, illa minor.

6 *Una cum* CCC.] Ex quo se Uticam concluserat Cato, usus erat consilio CCC civium Romanorum, qui ibi negotiabantur ei foenus exercebant, suaque pecunia rempublicam adjuvabant.

rum intrò clam in cubiculum tulit, atque ita se tranjecit. Qui dum animâ nondum expiratâ concidisset; et impetu facto in cubiculum ex suspicione, medicus familiaresque continere atque vulnus obligare cœpissent, ipse suis manibus vulnus crudelissimè divellit, atque animo praesenti se interemit. Qnem Uticenses quamquam oderant partium gratià, tamen propter ejus singularem integritatem, et quod dissimilimus reliquorum ducum fuerat, quodque Uticam mirificis operibus munièrat, turresque auxerat, sepulturâ afficiunt. [1] Quo interfecto, L. Caesar, ut aliquid sibi ex eâ re auxilii pararet, convocato populo, concione habitâ, cohortatur omnes, ut portae aperirentur: se in Caesaris clementiâ magnam spem habere. Itaque portis patefactis, Uticâ egressus, Caesari Imperatori obviam proficiscitur. Messala, ut erat imperatum, Uticam pervenit, omnibusque portis custodias ponit.

LXXXIX. Caesar interim à Thapso progressus [2] Uscetam pervenit ubi Scipio magnum frumenti numerum, armorum, telorum caeterarumque rerum cum parvo praesidio habuerat. Id adveniens potitur: deinde Adrumetum pervenit. Quo quum sine morâ introîsset, armis, frumento pecuniâque consideratâ, Q. Ligario, C. Considio filio qui tum ibi fuerat, vitam concessit. Deinde eodem die Adrumeto egressus, Livineio Regulo ibi cum legione relicto, Uticam ire contendit: cui in itinere fit obvius L. Caesar, subitoque se ad genua projecit, vitamque sibi, nec amplius quidquam, deprecatur. Cui Caesar facilè, et pro suâ naturâ et instituto, concessit. Item Caecinae, C. Ateio, P. Atrio, L. Cellae patri et filio, M. Eppio, M. Aquinio, Catonis filio, Damasippique liberis, ex suâ consuetudine, tribuit: circiterque noctem luminibus accensis Uticam pervenit, atque extra oppidum eâ nocte mansit.

XC. Postero die mane oppidum introiît; concioneque advocatâ, Uticenses incolas cohortatus gratias pro eorum studio erga se agit; cives autem Romanos negotiatores, et eos, qui inter CCC pecunias contulerant Varro et Scipioni, multis verbis accusatos, et de eorum sceleribus longiori habitâ oratione, ad extremum, ut sine metu prodirent, edicit: se eis duntaxat vitam concessurum; [3] bona quidem eorum se venditu-

NOTAE.

1 *Quo interfecto.*] Caesar Catonis gloriae se invidere dixit, quoniam ipse suae invidisset, liberisque ejus patrimonium suum servavit. Sed quid de Catone Caesar facturus fuerit, si vixisset, valde dubium est, cum multis de caussis, tum quod L. Caesaris Catonis quaestoris filio, quanquam suis propinquus esset, et ad ejus genua pater supplex accidisset, non pepercit. Dio certe testatur Caesarem in ulciscendis injuriis non spectasse magis quid esset actum, quam ut ipse solicitudine liberaretur; multis ignovisse, â quibus graves injurias acceperat, aut parva saltem poena contentum fuisse, quod nihil amplius nocituros crederet: in quosdam autem plus aequo animadvertisse, ut securitati suae consuleret. Quod si ita sit, cum intelligeret Catonem à recto virtutis tramite nullis posse privatis beneficiis dimoveri, nihil non acturus fuisse videtur, ut se tam formidando inimico liberaret.

2 *Uscetam pervenit.*] Urbs est Africae Mediterranea. Forte ea quae Ptolemaeo *Uzicia* dicitur.

3 *Bona quidem eorum se venditurum.*] Ita tamen ut certa pecuniae summa sua bona ipsis redimere liceret, qua data Caesari, vita ipsius concederetur.

rum, ita tamen, ut qui eorum bona sua redemisset, se bonorum venditionem inducturum, et pecuniam multae nomine relaturum, ut incolumitatem retinere possent. Quibus metu exsanguibus, de vitaque ex suo promerito desperantibus, subito oblatâ salute, libentes cupidique conditionem acceperunt: petiêruntque à Caesare, ut universis ccc uno nomine pecuniam imperaret. Itaque bis millies HS his imposito, ut per triennium sex pensionibus populo Romano solverent, nullo eorum recusante, [1] ac se eodem die demum natos praedicantes, laeti gratias agunt Caesari.

XCI. Rex interim Juba, ut ex proelio fugerat, una cum Petreio interdiu in villis latitando, tandem, nocturnis itineribus confectis, in regnum pervenit; atque ad oppidum [2] Zamam, ubi ipse domicilium, conjuges, liberosque habebat, quo ex cuncto regno omnem pecuniam, carissimasque res comportaverat, quodque inito bello operibus maximis muniêrat, accedit. Quem antea oppidani, rumore exoptato de Caesaris victoriâ audito, ob has caussas oppido prohibuerunt, quod bello contra populum Romanum suscepto, in oppido Zama lignis congestis, maximam in medio foro pyram construxerat; ut, si forte bello foret superatus, omnibus rebus eo coacervatis, dehinc civibus cunctis interfectis, eodemque projectis, igne subjecto, tum demum se ipse insuper interficeret, atque una cum liberis, conjugibus, civibus, cunctâque gazâ regiâ cremaretur. Postquam Juba ante portas diu multumque, primo minis pro imperio egisset cum Zamensibus: deinde quum se parum proficere intellexisset, precibus quoque orâsset, utì se ad suos Deos penates admitterent: ubi eos in sententiâ perstare animadvertit, nec minis, nec precibus suis moveri, quo magis se reciperent; tertio petit ab eis, ut sibi conjuges liberosque redderent, ut secum eos asportaret. Postquam sibi nihil omnino oppidanos responsi reddere animadvertit, nullâ re ab iis impetratâ, ab Zamâ discedit, atque ad villam suam cum M. Petreio, paucisque equitibus se confert.

XCII. Zamenses interim legatos de iis rebus ad Caesarem Uticam mittunt, petuntque ab eo, utì, antequam rex manum colligeret, seseque oppugnaret, sibi auxilium mitteret: se tamen paratos esse, sibi quoad vita suppeteret, oppidum seque ei reservare. Legatos collaudatos Caesar domum jubet antecedere, ac suum adventum praenuntiare. Ipse postero die Uticâ egressus cum equitatu ire in regnum contendit. Interim in itinere ex regiis copiis duces complures ad Caesarem veniunt, orantque ut sibi ignoscat. Quibus supplicibus veniâ datâ,

NOTAE.

1 *At se eodem die demum natos praedicantes.*] Cicero Catil. III. *Non minus nobis jucundi atque illustres sunt ii dies quibus conservamur, quam illi quibus nascimur, quod salutis certa laetitia est, nascendi incerta conditio, et quod sine sensu nascimur, cum voluptate conservamur.* Unde et natalis reditus ipsi dicitur. Ita Joannes Chrysostomus in Homilia ad Antiochenos, cum eorum urbs fuisset abs Theodosio conservata, dicit videri illam eo demum die natam fuisse.

2 *Zamam.*] Zama urbs Africae, distat v dierum spatio à Carthagine occidentem versus. Jubiae regia. Arcem regni [Numidiae] appellat Sallustius in libro de bello Jugurthino.

Zamam perveniunt. Rumore interim perlato de ejus lenitate clementiâque, propemodum omnes regni equites Zamam perveniunt ad Caesarem; ab eoque sunt metu periculoque liberati.

XCIII. Dum haec utrobìque geruntur, Considius, qui Tisdrae cum familiâ suâ, gladiatoriâ manu, Getulisque præerat, cognitâ cæde suorum, Domitiique et legionum adventu perterritus, desperatâ salute, oppidum deserit, seque clam cum paucis barbaris pecuniae onustus subducit, atque in regnum fugere contendit. Quem Getuli sui comites in itinere, praedae cupidi, concidunt; seque in quascumque potuere partes conferunt. C. interim Vergilius, postquam terrâ marique clausus se nihil proficere intellexit, suosque interfectos, aut fugatos, M. Catonem Uticae sibi ipsum manus intulisse, regem vagum à suis desertum [1] ab omnibus aspernari; Saburam, ejusque copias ab Sitio esse deletas; Uticae Caesarem sine morâ receptum; de tanto exercitu reliquias esse nullas, quae sibi suisque liberis prodessent; à [2] Caninio proconsule, qui eum obsidebat, fide acceptâ, seque et suâ omnia et oppidum proconsuli transdit.

XCIV. Rex interim Juba ab omnibus civitatibus exclusas, desperatâ salute, [[3] quum jam conatus esset] cum Petreio, ut per virtutem interfecti esse viderentur, ferro inter se depugnant: atque firmior imbecilliorem Juba Petreium facilè ferro consumpsit. Deinde ipse sibi quum conaretur gladio transjicere pectus, nec posset, precibus à servo suo impetravit, ut se interficeret; idque obtinuit.

XCV. P. interim Sitius, pulso exercitu Saburae praefecti Jubae ipsoque interfecto, quum iter cum paucis per Mauritaniam ad Caesarem faceret, fortè incidit in Faustum, Afraniumque, qui eam manum habebant, quâ Uticam diripuerant, iterque in Hispaniam tendebant, et erant numero circiter mille D. Itaque celeriter nocturno tempore, insidiis dispositis, eos prima luce adortus, praeter paucos equites, qui ex primo agmine fugerant, reliquos aut interficit, aut in deditionem accipit; Afranium et Faustum vivos capit cum conjuge et liberis. Paucis post diebus, dissensione in exercitu ortâ, [4] Faustus et Afranius interficiuntur. Pompeiae cum Fausti liberis Caesar incolumitatem, suaque omnia concessit.

XCVI. Scipio interim cum Damasippo, et [5] Torquato, et Plaetorio Rustiano navibus longis diu multumque jactati, quum Hispaniam peterent, ad [6] Hipponem regium deferuntur, ubi classis P. Sitii per id tempus erat. A quâ pauciora ab amplioribus circumventa navi-

NOTAE.

1 *Ab omnibus aspernari.*] Passive dictum. Quod novum.

2 *Caninio.*] Rebilo, de quo supra.

3 *Quum jam conatus esset.*] Reponendum convivatus. Sic enim habet Florus. Vel si retinenda lectio intelligendum *se interficere.*

4 *Faustus et Afranius interficiuntur.*] Faustum et Afranium à Caesare caesos fatentur Florus et Suetonius. Appianus cum scriptore nostro consonat.

5 *Torquato.*] Torquatus hic est qui praefectus Orico, quem et in bello civili periisse testatur Cicero in Bruto. Hoc observo, non bis pepercisse Caesarem.

6 *Hipponem regium deferuntur.*] Hippo regia urbs maritima Africae, in quâ post multos annos sedit Episcopus Augustinus, *Bonne.* Plures quidem urbes fuerunt ejus nominis, sed duae in Africâ, cum Plinio dicatur utraque Hippo, altera dicitur Diarrhytus, *i. e.* irrigue.

gia deprimuntur. [1] Ibique Scipio cum iis, quos paullo ante nominavi interiit.

XCVII. Caesar interim, Zamae auctione regiâ factâ, bonisque eorum venditis, qui cives Romani contra populum Rom. arma tulerant, praemiisque Zamensibus, qui de rege excludendo consilium ceperant, tributis vectigalibusque regiis abrogatis, ex regnoque provinciâ factâ, atque ibi [2] Crispo Sallustio proconsule cum imperio relicto, ipse Zamâ egressus Uticam se recepit. Ibi bonis venditis eorum, qui sub Juba Petreioque ordines duxerant, item Thapsitanis H-S xx millia [3] conventui eorum H-S xxx millia, Adrumetanis H-S xxx, conventui eorum H-S L millia, multae nomine, imponit. Civitates bonaque eorum ab omni injuriâ rapinisque defendit. Leptitanos, quorum superioribus annis Juba bona diripuerat, et ad senatum questi per legatos, atque arbitris à senatu datis, sua receperant, tricies centenis millibus pondo olei in annos singulos multat, ideo quod initio per dissensionem principum societatem cum Juba iniêrant, cumque armis, militibus pecuniâ juverant. Tisdritanos, propter humilitatem civitatis, certo numero frumenti multat.

XCVIII. His rebus gestis, Idibus Jun. Uticae classem conscendit, et post diem III [4] Carales in Sardiniam pervenit. [5] Ibi Sulcitanos quod Nasidiam ejusque classem receperant, copiisque juverant, H-S C millibus multat; et pro decumis octavas pendere jubet: bonaque paucorum vendit: et ante diem III Kal. Quinct. naves conscendit; et à Caralibus secundum terram provectus, duodetrigesimo die, eo quod tempestatibus in portubus cohibebatur, [6] ad urbem Romam venit.

NOTAE.

1 *Ibique Scipio,* &c.] T. Livius et Florus tradunt, eum, ubi captam navem sensisset, gladium in sua viscera adegisse, quaerentibusque ubi esset Imperator, respondisse: Imperator bene se habet.

2 *Cripso Sallustio.*] De quo supra. Et id quidem testatur Dio. lib. XLIII. sed non sine ejus probro, quod propter viri claritatem ascribam: Καὶ τοὺς Νομάδας λαβὼν, ἔστε τὸ ὑπήκοον ἐπήγαγε, καὶ τῷ Σαλουστίῳ λόγῳ μὲν ἄρχειν, ἔργῳ δὲ ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψεν. ἀμέλει καὶ ἐδωροδόκησε πολλὰ καὶ ἥρπασσεν, ὥστε καὶ κατηγορηθῆναι, αἰσχύνην αἰχίστην ὀφλῆσαι, ὅτι τοιαῦτα συγγράμματα συγράψας, καὶ πολλὰ καὶ πικρὰ περὶ τῶν ἐκκαρπουμένων τινὰς εἰπὼν οὐκ ἐμιμήσατο τῷ ἔργῳ τοὺς λόγους, ὅθεν εἰ καὶ μάλιστα ἀφείθη ὑπὸ τοῦ Καίσαρος, ἀλλ' αὐτὸς γε τῇ γραφῇ ἑαυτὸν καὶ πάνυ ἐστελοκόπησε. *Numidas quoque in suam potestatem accepit, iisque Sallustium verbo quidem regendae regionis, re autem ipsa diripiendae causa praefecit, enim vere Sallustius et pecuniae acceptæ et compilatæ provinciæ accusatus summam ignominiam reportavit; quod cum ejusmodi, libros scripsisset, in quibus multis et acerbis verbis eos qui ex provinciis quæstum facerent, notâsset, facto sermones non esset imitatus. Itaque etsi à Cæsare fuit absolutus, tamen suis ipsius verbis proprium crimen abunde quasi in tabula propositam divulgavit.*

3 *Conventui eorum.*] Conventus qui fuerint supra dictum, nempe societatis equitum Romanorum in provinciis negotiantium.

4 *Carales.*] Caralis metropolis Sardiniae in promontorio cognomine sita, Africam versus. Calarin vocant Plinius et Strabo. Hodi. *Cagliari.*

5 *Ibi Sulcitanos.*] Pomponius Mela, lib. III. cap. 7. Calaritanos et Sulcitanos populos ejusdem insulae vocat.

6 *Ad urbem Romam venit.*] Ut de Gallis, Alexandrinis, Pharnace, et Juba triumpharet.

A. HIRTII
COMMENTARIORUM
DE BELLO HISPANIENSI
LIBER.

ARGUMENTUM LIBRI.

De hujus libri autore valdè dubitatur, nec sine caussâ. Quamquam enim Suetonius in Caesaris vitâ, Librorum seu Commentariorum belli Alexandrini, Africique, et Hispaniensis incertum autorem esse scripserit, quem alii Oppium, alii Hirtium putent, tamen tam diversa styli ratio est hujus libri à superioribus, qui de bello Alexandrino, Africoque conscripti sunt, ut ab uno eodemque homine scriptos esse credere non liceat. Vixque fides fit hominem Romanum tam male potuisse scribere. Nec enim putetur autor Oppius, cujus apud Ciceronem epistolae extant aliquot nihil hanc barbariem redolentes, potiusque existimem peregrinum aliquem centurionem, aut tribunum Caesarianarum partium eum fuisse commentum (nam Caesar de omnibus gentibus collectos milites habuit.) Sed si conjecturae relinquitur locus, neque Germanus, neque Gallus, sed aut Syrus, aut Afer, aut de gente aliquâ orientalibus accensenda, cujus dialectus aut Syriaca, aut Syriacae finitima. Praeterea stigmatias, ubique deformis, nec ullus est liber cicatricosior, quique plura vulnera à vetustate acceperit, ut nihil mirer quod à Glandorpio scriptum est, plerosque omnes interpretes ejus subterfugere solere enarrationem.

Hic liber complectitur ultimum Caesaris bellum, quod ab eo contra Pompeianorum ducem reliquias in Hispaniâ gestum est, et ab illâ provinciâ Hispaniense dictum. Quia vero liber et ab initio et à fine mutilus, operae pretium videtur esse, unde bellum illud ortum sit, explicare. Bellum igitur Hispaniense ex eâ seditione, quem Q. Cassii concitavit avaritia et rapacitas, ortum habuit. Cum enim vererentur civitates, ne rerum per tumultum gestarum victori Caesari poenas darent, clam datis ad Scipionem in Africam litteris, ad illius partes se adjunxerunt, quibus ille cum quosdam ex suis tum Cn. Pompeium filium misit, quo duce res gereretur. Verum circa Baleares insulas paulo diutius morante Pompeio, victoque interea Scipione, cùm fama ferret, cum classe Didium à Caesare missum adventare, T. Scapulam et Q. Apponium

equestris ambos ordinis duces agerunt, à quibus illico C. Trebonius proconsul Caesarianus ejectus est, totaque ulterior Hispania ad defectionem impulsa est. Nec multo post superveniens Pompeius filius, cum paterni nominis gratiâ commendaretur, ab omnibus imperator constituitur. Accurrunt etiam ex Africâ profugi cum classe Sextus frater, Labienus et Varus, quorum copiis auctus et vastare provinciam, et palam adversus legatos Caesaris bellum administrare coepit. Q. vero Fabius et Q. Pedius, cum se impares illi esse judicarent, quiescebant, litterisque Caesarem in Hispaniam accersebant. Et a Didio navali pugnâ victus est Varus circa Crantium: cum vero Continens tota Pompeio studeret praeter Ullam, illam obsedit. Quo tempore summâ celeritate usus Caesar in Hispaniam advenit, et omnes sui adventus nuntios suâ praesentiâ praevenit.

I. [1] PHARNACE superato, [2] Africâ receptâ, qui ex iis proeliis [3] cum adolescente Cn. Pompeio [4] profugissent, [5] quum et ulterioris Hispaniae [6] potitus esset, dum Caesar [7] muneribus dandis in Italiâ detinetur [8] quo faciliùs praesidia contra compararet, [9] Pompeius in fidem uniuscujusque civitatis confugere coepit. Ita partìm precibus, partìm vi, bene magnâ comparatâ manu, provinciam vastare coepit. [10] Quibus in rebus nonnullae civitates suâ sponte auxilia mittebant. Item nonnullae portas claudebant. Ex quibus si qua oppidi vi ceperat, quum aliquis ex eâ civitate optimè de Cn. Pompeio meritus cives

In hunc librum INTERPRETATIONES *et* NOTAE.

1 *PHARNACE superato.*] Reponendum videtur *Juba* vel *Scipione*, jampridem enim Pharnaces erat superatus. Sed Scipionis et Jubae recens erat clades.

2 *Africa recepta.*] Quae amissa fuerat interfecto Curione.

3 *Cum adolescente Cn. Pompeio.*] Vix enim natus erat annos XXIV.

4 *Profugissent.*] *Profugerant.* Hic enim scriptor saepe utitur Subjunctivo modo pro Indicativo.

5 *Quum et ulteriores Hispaniae.*] Hispania olim à Graecis Iberia ab Ibero flumine, et Hesperia ab Hespero, id est, stella vespertina dicta, in partes duas olim à Romanis divisa fuit, in Citeriorem et Ulteriorem. Citerior quidem à Pyrenaeis montibus ad Castulonem; Ulterior vero quae à Baetica, quia Baeti flumine intersecatur, à Castulonensi saltu ad Gades pertinebat Hanc ulteriorem postea Augustus in duas partes divisit, in Baeticam et Lusitaniam. Romani Hispania perdiu sunt potiti, eisque illam tandem eripuerunt Gothi, quibus postea ademerunt Mauri vel Arabes, qui anno MCCCCXLII id suas antiquas sedes pulsi, in Africam scilicet, nuncque tota est sub duorum regum imperio, sub rege Castilia, qui à potiori parte dicitur rex Hispaniae, et sub rege Lusitaniae.

6 *Potitus esset.*] Cn. Pompeius adolescens.

7 *Muneribus dandis.*] Munera dicebantur illa spectacula certaminum, quae dabantur populo à principibus, ejus gratiam captantibus. Multa autem et maxima populo Rom. dedit Caesar, quae enumerat Suetonius, cap. 39. de quibus item Plutarchus in Caesare. Appianus scripsit cum Scipione superato triumphos quatuor egisse, de Galliâ, de Aegypto, de Pharnace et Jubâ.

8 *Quo facilius praesidia contra compararet.*] Intellige *contra suos adversarios Caesar compararet.* Quo in loco punctum ponatur ante *Pompeius*, et sic inveni in MS. Thuano codice.

9 *Pompeius in fidem*, &c.] Et hoc est, quod in fine hujus libri Caesar jam victor Hispanis exprobrat magna vehementia, quod eo fugientem ad se Pompeium receperint, eoque facto bellum renovaverint.

10 *Quibus in rebus*, &c.] Dio, lib. XLIII. scribit eum urbes cepisse, partim volentes, partim invitat praeter Ullam, quam Uliam appellat.

esset, propter pecuniae magnitudinem aliqua ei inferebatur caussa; ut, eo de medio sublato, ex ejus pecuniâ [1] latronum largitio fieret. Ita [2] paucis commodis hoste hortato, majores augebantur copiae. [3] Ideoque crebris nuntiis in Italiam missis, civitates contrariae Pompeio auxilia sibi depostulabant.

II. C. Caesar dictator III, designatus IV, multis itineribus ante confectis, [5] quum celeri festinatione ad bellum conficiendum in Hispaniam [6] convenisset, legati Cordubenses, qui à Cn. Pompeio discesserat, Caesari obviam veniunt: à quibus nuntiabatur, nocturno tempore oppidum Cordubam capi posse, [7] quod nec opinantibus adversariis ejus provinciâ potitus esset, simulque quod tabellarii à Cn. Pompeio dispositi omnibus locis essent, qui certiorem Cn. Pompeium de Caesaris adventu facerent. Multa praeterea verisimilia proponebant. Quibus rebus adductus, quos legatos ante exercitui praefecerat, Q. Pedium, et Q. Fabium Maximum de suo adventu facit certiores, ut, quem sibi equitatum [8] ex provinciâ fecissent, praesidio mitterent: ad quos celeriùs, quam ipsi opinati sunt, appropinquavit, atque, ut ipse voluit equitatum sibi praesidio habuit.

III. [9] Erat idem temporis Sex. Pompeius frater, qui cum praesidio Cordubam tenebat, quod ejus provinciae caput esse existimaba-

NOTAE.

1 *Latronum largitio fieret.*] Quorum opera vastabat Hispaniam. Latrones, testi Festo, eos antiqui dicebant qui conducti militabant, *ἀπὸ τῆς λατρείας*. At nunc viarum obsessores dicuntur, quod à latere dicuntur adoriri, vel quod latenter adoriantur. In priore significatu, quo et hic legitur, dixit Plautus in Milite glorioso:

Nam rex Seleucus me opere oravit maximo
Ut sibi latrones cogerem et conscriberem.

Postea vero apud Romanos dicti sunt, et aliquo modo hic dicuntur, qui suis auspiciis, non publicis, cum sint ipsi privati homines bellum gerunt, quod non nisi publico consilio gerendum; vel denique qui bella illegitima faciunt, ut incursiones, bello non denuntiato, ut passim utitur Cicero eo vocabulo et juris autores, ut Pomponius, lib. CXXVIII. de verborum significatione, Marcianus, lib. XXX. ad legem Falcid.

2 *Paucis commodis hoste hortato.*] Nam ausum dicere non Latine dici, cum ejusmodi participia passim in passiva voce inveniantur. Sed certe rarum est.

3 *Ideoque crebris nuntiis.*] Imo Q. Fabius et Q. Pedius, qui pro Caesare Hispaniam citeriorem regebant, ipsum magno cum studio accersebant.

4 *C. Caesar dictator* III *designatus* IV.] Assentiuntur tabulae Capitolinae, non Dion, qui dictatorem IV ut consulem IV scribit. Forte error est in numeris. Plutarchus vero consulatum tantum IV commemorat, cum in Hispaniam contra Pompeii liberos profectus est.

5 *Quum celeri festinatione.*] Appianus Strabo et Eutropius tradiderunt Caesarem à Româ Obulconem XXVII die pervenisse in castra, quae eo tempore ibidem erant. Dio vero eum prius esse visum hostibus et amicis, quam fuerit auditum eum esse in Hispaniâ.

6 *Convenisset.*] Cum multi loci in hoc libro, quo nullus mendosior, mendosi sunt, tum hic mendosissimus MS. codex Victorinus et Thuani duo habent, *cum venisset: Convenisset* autem quod hic habetur, de pluribus hominibus, non de uno dici Latine solet.

7 *Quod nec opinantibus adversariis ejus provincia potitus esset.*] Manuscriptus Thuanus unus codex habet, *ejus provincia potitus esset.* Nempe Ulterioris Hispaniae, quae et Baetica â Baeti amne, ut supra dictum.

8 *Ex provinciâ.*] Citerioris Hispaniae, quae in fide Caesaris manserat.

9 *Erat idem temporis Sex. Pompeius frater.*] MSS. Regii codices tres, Victorinus unus habent. *Erat per idem tempus*, quae minus figurata locutio, atque adeo magis historica.

tur: ipse autem Cn. Pompeius adolescens [1] Ullam oppidum oppugnabat, et ferè jam aliquot mensibus ibi detinebatur. Quo ex oppido, cognito Cæsaris adventu, legati [2] clam praesidia Cn. Pompeii, Cæsarem quum adîssent, petere cœperunt, ut sibi primo quoque tempore subsidium mitteret. Caesar eam civitatem omni tempore optimè de pop. Rom. meritam esse sciens, XI cohortes secundâ vigiliâ jubet proficisci, parique equites numero: quibus praefecit hominem [3] ejus provinciae notum, et non parum scientem, L. Julium Patiecum. Qui quum ad Cn. Pompeii praesidia venisset, [4] incidit idem temporis, ut tempestate adversâ vehementique vento affligaretur. Quâ vi tempestatis ita obscurabatur, ut vix proximum cognoscere posset. Cujus incommodum summam utilitatem ipsis praebebat. Ita quum ad locum venerunt, jubet binos equites incedere, et recta per adversariorum praesidia ad oppidum contendere: mediisque ex praesidiis quum quaereretur, qui essent; unus ex nostris respondit, [5] ut sileat verbum facere: nam id temporis conari ad murum accedere, ut oppidum capiant; et partim tempestate impediti vigiles non poterant diligentiam praestare, partim illo responso deterrebantur. Quum ad portam appropinquâssent, signo dato, ab oppidanis sunt recepti; [6] et pedites, equitesque, clamore facto, dispositis ibi partim, qui remansere, eruptionem in adversariorum castra fecerunt. Sic illud quum inscientibus accidisset, existimabat magna pars hominum, qui in iis castris fuissent, se prope captos esse.

IV. Hoc misso ad Ullam praesidio, Cæsar, ut Pompeium ab eâ op-

NOTAE.

1 *Ullam oppidum.*] De qua supra. Hanc Pompeius capere non potuit, sed nec Caesar Cordubam.

2 *Clam praesidia,*] Beroaldus legit, *clam præter præsidia*, et reponi potest ex fide MSS. Regiorum codicum duorum, Victorini unius et impressi pervetusti, Latine quidem; sed si reponamus apud hunc scriptorem, quoties minus Latine quid scriptum videbitur, laborem Herculeum suscipiemus. Verisimile est aliam fuisse plebis imperitae orationem loquentis, aliam doctorum virorum scribentium. Hoc tum ex multis intelligere licet lapidibus antiquis inscriptis, tum ex eorum scriptis qui aggressi sunt scribere, cum id non didicissent. Habemus ab annis decem aut duodecim repertum in Casinensi monasterio martyrium sanctae Perpetuae ab ipsâ conscriptum usque in diem, qui mortem ejus antecessit. Legimus ibi orationem multis in locis parum Latinam, quamvis seculo adhuc elegante, puta sub Severo, sed à foemina et Carthagine perscriptam. Hic talis aliquis fuerit, nec Romanus, nec scribendi peritus. Fatendum est tamen apud Plautum idoneum bonae latinitatis scriptorem hanc vocem *clam* cum Accusativo jungi non uno in loco, unum tamen commemorabo apud Casinam: *Bona multa faciam clam hanc meam uxorem.*

3 *Ejus provinciae notum.*] Invenuste pro *gnarum*. Quod hic de Ulla et Patieco Caesariano narratur à Dione de Ategua atque Munatio Planco Pompeiano.

4 *Incidit idem temporis, ut*, &c.] Sic Cicero dicit epist. ad Famil. lib. VI. epist. 20. *id aetatis sumus*, pro *eâ aetate* Et Tacitus Annal. lib. XIII. *Mos habebatur principum liberos cum caeteris idem aetatis nobilibus sedentes vesci*, id est, *eadem aetate.*

5 *Ut sileat verbum facere.*] Insulse dictum, scilicet ne obesset urbis capiendae consilio.

6 *Et pedites, equitesque, clamore facto, dispositis ibi partim, qui remansere, eruptionem in adversariorum castra fecerunt.*] Mendum multiplex, quod utrumque MS. Regii unius codicis ope sic emendatur: *Sunt recepti pedites. Equites clamore facto dispositi partim ibi remanserunt, et eruptionem in adversariorum castra fecerunt.*

pugnatione deduceret, ad [1] Cordubam contendit, ex quo itinere [2] loricatos viros fortes cum equitatu ante praemisit: [3] qui simul in conspectum oppidi se dederunt, in equis recipiuntur. Hoc à Cordubensibus nequaquam poterat animadverti. Appropinquantibus, ex oppido benè magna multitudo ad equitatum concidendum quum exisset; loricati, ut supra scripsimus, ex equis descenderunt, et magnum proelium fecerunt, sic ut ex infinita hominum multitudine pauci in oppidum se reciperent. Hoc timore adductus Sex. Pompeius litteras fratri misit, ut celeriter sibi subsidio veniret; ne prius Cæsar Cordubam caperet, quàm ipse illo venisset. Ita [4] Cn. Pompeius, Ullâ prope capta, litteris fratris excitus, cum copiis ad Cordubam iter facere coepit.

V. Caesar, quum ad flumen Baetim venisset, neque propter altitudinem fluminis transire posset, lapidibus corbes plenos demisit. Ita, insuper ponte facto, copias ad castra tripartitò transduxit. [5] Tenebant adversus oppidum è regione pontis trabes, ut supra scripsimus, bipartitò. Huc quum Pompeius cum suis copiis venisset, ex adverso pari ratione castra ponit. Caesar, ut eum ab oppido commeatuque, excluderet, brachium ad pontem ducere coepit. Pari idem conditione Pompeius. Hic inter duces duos fit contentio, uter prius pontem occuparet. Ex quâ contentione quotidiana minuta proelia fiebant, ut modo hi, modo illi superiores discederent. Quae res quum ad majorem contentionem venisset, ab utrisque cominùs [6] pugna iniqua, dum cupidiùs locum student tenere, propter pontem coangustabantur: et fluminis ripis appropinquantes coangustati praecipitabantur. Hic alteri alteris non solum mortem morti exaggerabant,

NOTAE.

1 *Cordubam.*] Corduba, de quâ supra dictum, duorum Senecarum patria atque Lucani, Hispaniae ulterioris seu Boetice metropolis, hodie *Cordüe.*

2 *Loricatos.*] Majus aliis accipiebant stipendium.

3 *Qui simul in conspectum oppidi se dederunt, in equis recipiuntur.*] Mendum est quod textu sequente emendare licet. Cum enim infra legamus: *Loricati, ut supra scripsimus, ex equis descenderunt*, non est *in equis recipiuntur*, sed *ex equis* legendum.

4 *Cn. Pompeius Ulla prope capta.*] Hoc est solum oppidum totius Boetice, quod ad ejus partes non accesserat, quod nec capere potuit.

5 *Tenebant adversus oppidum è regione pontis trabes*] Incerta oratio. Neque enim scitur an trabibus castra teneantur, an castris trabes. Prius enim est dictum copias esse tripartito ad castra transductas, sed nondum erant castra facta. Sed esto ad castra quae facienda erant, nondum erant facta tripartito, id est, tribus trajectionibus, cum enim exercitus magnus, pons angustus esset, non uno commeatu res potuerit fieri, sic in lib. 1. de bello Gallico fluvium Ararim Helvetii non potuerunt uno commeatu trajicere, sed transitum reliqui exercitus in posterum diem distulerunt. Ergo an castra tenebantur trabibus, an trabes pontem tenebant, an castra pontem attinebant, id est, pertinebant. Quod verisimile Quomodo enim aliter? Sed obstat quod scriptum est postea, brachium ad pontem ducere coepisse. Fuerit ergo aliqua in hoc loco plaga, quam luculentam fuisse declaret adhuc cicatrix. Manuscriptus codex Thuanus habet: *Tenebat adversum oppidum è regione pontis trabes, ut supra scripsimus, bipartito.* Alter item Thuanus itidem habet, nisi quod est *tripartito* pro *bipartito.* Manuscriptus Regius codex omnia ista omittit, et habet post *transduxit.* —*Huc quum Pompeius;* quod melius esse arbitror.

6 *Pugna iniqua.*] Supple *fiebat.*

sed tumulos tumulis exaequabant. Ita diebus compluribus cupiebat Caesar, si qua conditione posset, adversarios in aequum locum deducere, et primo quoque tempore de bello decernere.

VI. Quum animadverteret adversarios minime velle; quos adeò à viâ retraxerat, ut in aequum deduceret; copiis flumen transductis, [1] noctu jubet ignes fieri magnos. [2] Ita firmissimum ejus praesidium Ateguam proficiscitur. Id quum Pompeius ex perfugis rescisset, eâ die per viarum angustias, [3] carra complura, multasque ballistas retraxit, et ad Cordubam se recepit. Caesar munitionibus Ateguam oppugnare, et brachia circumducere coepit. Cujus rei Pompeio quum nuntius esset allatus, eo die proficiscitur. Cujus in adventum, praesidii caussa Caesar complura castella occupavit, partìm suo equitatu, partìm ut pedestres copiae in statione, et in excubitu castris praesidio esse possent. Hic in adventu Pompeii incidit, ut matutino tempore nebula esset crassissima. [4] Itaque in illâ obscuratione cum aliquot cohortibus, et equitum turmis circumcludunt Caesaris equites, et concidunt, sic, ut vix in eâ caede pauci effugerent.

VII. Insequenti nocte castra sua incendit Pompeius, et trans [5] flumen Salsum per convalles castra inter duo oppida Ateguam et [6] Ucubim in monte constituit. Caesar in munitionibus, caeterisque, quae ad oppidum oppugnandum opus fuerunt, aggerem, vineasque, agere instituit. Hæc loca sunt montuosa, et naturà edita ad rem militarem, quæ planitie dividuntur Salso flumine; proxime tamen Ateguam, ut ad flumen sint circiter passuum II millia. Ex eâ regione oppidi in montibus castra habuit posita Pompeius in conspectu utrorumque oppidorum, neque suis ausus est subsidio venire. Aquilas habuit et signa XIII legionum. Sed, ex quibus aliquid firmamenti se existimabat habere, [7] duae fuerunt vernaculae, quae à Trebonio transfugerant, et una facta ex colonis, quae fuerunt in his regionibus. [8] Quarta fuit Afraniana ex Africâ, quam secum adduxerat. Reliquae ex fugitivis auxiliares consistebant. Nam de levi armaturâ, et equitatu, longe et virtute et numero nostri erant superiores.

VIII. Accedebat huc, ut longius bellum duceret Pompeius; quod

NOTAE.

1 *Noctu jubet ignes fieri.*] Ut copias adhuc in castris esse hostes putarent, cum tamen essent inde profectae.

2 *Ita firmissimum ejus praesidium Ateguam proficiscitur.*] Ad Pompeii praesidium proficiscitur Caesar. *Ategua* porro est urbs Hispaniae Boeticae.

3 *Carra complura.*] Sic dicitur, et Carri, ut supra monuimus.

4 *Itaque in illâ obscuratione cum aliquot cohortibus.*] Repono *eum* pro *cum*, quod nisi fit, ambigua est oratio. Nescitur enim utrum Caesariani Pompeianos, an Pompeiani Caesarianos conciderint.

5 *Flumen Salsum.*] Superiore sui parte dicitur *Bivoras*, inferiore *Gaudajox*.

6 *Ucubim.*] Ucubis urbs Hispaniae Boeticae, Navagerius dicit esse *Lucubi*.

7 *Duae fuerunt vernaculae.*] Illae primum sub Varrone Pompeii legato militaverant, et ad Caesarem transiverant, ut legitur lib. II. de bello civili; deinde sub Thorio et Marcello ducibus, postea sub Trebonio Caesariano, et à Trebonio ad Cn. Pompeium transfugerant. Vere ἀλλοπρόσαλλοι.

8 *Quarta fuit Afraniana ex Africâ, quam secum adduxerat.*] Postquam Afranius mortuus fuerat.

loca sunt edita, et ad castrorum munitiones non parum idonea. Nam ferè totius ulterioris Hispaniae regio propter terrae foecunditatem, inopem difficilemque habet oppugnationem, et non minus copiosam aquationem. Hic etiam propter barbarorum crebras excursiones, omnia loca, quae sunt ab oppidis remota, turribus et munitionibus retinentur, sicut in Africâ, [1] rudere, non tegulis, teguntur. Simulque in his habent speculas, et, propter altitudinem, longè latéque prospiciunt. Item oppidorum magna pars ejus provinciae montibus fere munita, et natura excellentibus locis est constituta, ut simul aditus adscensusque habeat difficiles. Ita ab oppugnatio i us na urâ loci distinentur: ut civitates Hispaniae non facilè ab hostibus capiantur. Quod in hoc contigit bello. Nam ubi inter Ateguam, et Ucubim, quae oppida supra sunt scripta, Pompeius habuit castra constituta, in conspectu duorum oppidorum, ab suis castris circiter millia passuum IV, [2] grumus est excellens naturâ, qui appellatur Castra Postumiana. Ibi praesidii caussâ castellum Caesar habuit constitutum.

IX. Pompeius, qui eodem jugo tegebatur loci naturâ, et quod remotum erat à castris Caesaris, animadvertebat loci difficultatem, et, quod [3] flumine Salso intercludebatur, non esse commissurum Caesarem, [4] ut in tantâ loci difficultate ad subsidium submittendum se mitteret. Istâ fretus opinione, tertiâ vigiliâ profectus [5] castellum oppugnare coepit, [6] ut laborantibus succurreret. Nostri, quum appropinquâssent, clamore repentino, telorumque multitudine jactus facere coeperunt, uti magnam partem hominum vulneribus afficerent. Quo peracto, quum ex castello repugnare coepissent, et majoribus castris Caesari nuntius esset allatus, cum III legionibus est profectus: et quum ad eos appropinquâsset, fugâ perterriti multi sunt interfecti, complures capti, in quibus multi praeterea armis exuti fugerunt; quorum scuta sunt relata LXXX.

X. Insequenti luce Arguetius ex Italiâ cum equitatu venit. Is signa [7] Saguntinorum retulit V, quae ab oppidanis cepit. [8] Suo loco praeteritus est, quod equites [9] ex Italiâ cum Asprenate ad Caesarem

NOTAE.

1 *Rudere, non tegulis, teguntur.*] Ut supra dictum et explicatum de Alexandriâ in lib. I. de bello Alexand. quia ibi rari sunt imbres.

2 *Grumus est excellens natura.*] Parvus clivus est naturâ aptissimus ad castra munienda. Nonius: *Ager à congerie dicitur. Accius Oenomao, Quemcunque institerant grumum, aut praecisum jugum.*

3 *Flumine Salso.*] De flumine Salso dictum est supra.

4 *Ut in tanta loci difficultate ad subsidium submittendum se mitterent.*] Gallica phrasis, pro *subsidium mittere inciperet. Qu' il ne se mettoit point à envoyer du secours.*

5 *Castellum oppugnare coepit.*] Pompeius.

6 *Ut laborantibus succurreret.*] Caesar.

7 *Saguntinorum.*] Saguntia vel SaguntHus urbs Hispaniae Boeticae in Turdetanis Alia est ejus nominis in citeriore Hispaniâ de quorum constanti in socios Romanos fide, vide T. Livium, lib. I. secundi belli Punici. Hodie *Morvedre.*

8 *Suo loco praeteritus est.*] Lege *quo loco perterritus est*, ex fide manuscriptorum codicum Thuanorum duorum.

9 *Ex Italiâ.*] Legendum *ex Italicâ*, quae urbs est Hispaniae ulterioris, de quâ supra. Morali *Gionea.*

venissent. Eâ nocte Pompeius castra incendit, et ad Cordubam versus iter facere coepit. [1] Rex nomine Indo, qui cum equitatu suas copias adduxerat, dum cupidius agmen adversariorum insequitur, à vernaculis legionariis exceptus est et interfectus.

XI. Postero die equites nostri longius ad Cordubam versus prosecuti sunt eos, qui commeatus ad castra Pompeii ex oppido portabant: ex iis capti L cum jumentis ad nostra adducti sunt castra. Eodem die Q. Marcius, tribunus mil. [2] qui fuisset Pompeii, ad nos transfugit. Et noctis tertia vigilia [3] in oppido acerrimè pugnatum est: ignemque multum miserunt: sicut et omne genus, [4] quibus ignis per jactus solitus est mitti. Hoc praeterito tempore, C. Fundanius eques Romanus ex castris adversariorum ad nos transfugit.

XII. Postero die ex legione vernaculâ milites sunt capti ab equitibus nostris duo, qui dixerunt se servos esse. Quum venirent, cogniti sunt à militibus, [5] qui antea cum Fabio et Pedio fuerant, et à Trebonio transfugerant. Eis ad ignoscendum nulla est data facultas, et à militibus nostris interfecti sunt. Eodem tempore capti tabellarii, qui à Cordubâ ad Pompeium missi erant, perperamque ad castra nostra pervenerant, [6] praecisis manibus missi sunt facti. [7] Pari consuetudine, vigiliâ secundâ, ex oppido ignem multum, telorumque multitudinem jactando, benè magnum tempus consumpserunt; compluresque vulneribus affecerunt. Praeterito noctis tempore, eruptionem in legionem VI fecerunt, quum in opere nostri distenti essent, acriterque pugnare coeperunt: quorum vis repressa à nostris, etsi oppidani superiore loco defendebantur. [8] L. quum eruptionem facere coepissent, tamen virtute militum nostrorum (qui) etsi inferiore loco premebantur, (tamen) repulsi (adversarii) benè multis vulneribus affecti in oppidum se contulerunt.

XIII. Postero die Pompeius ex castris suis brachium coepit ad flumen Salsum facere; et quum nostri equites pauci in statione fuissent à pluribus reperti, de statione sunt dejecti, et occisi tres. Eo die A. Valgius senatoris filius, cujus frater in castris Pompeii fuisset, omnibus suis rebus relictis, equum conscendit, et fugit. Speculator de legione II Pompeianâ captus à militibus, et interfectus est. Idem temporis glans missa est inscripta; quo die ad oppidum ca-

NOTAE.

1 *Rex nomine Indo.*] Quis ille fuerit, et an reges fuerint in provinciâ Romanâ, vel reguli, juxta cum illo scio qui ignorat maxime.

2 *Qui fuisset Pompeii.*] *Qui fuerat*, Subjunctivus est pro Indicativo, quo legendi genere uti solent forenses scribae.

3 *In oppido acerrime pugnatum est.*] Videtur esse Ategua, ad quam oppugnandam aggeres, vineasque agere instituit.

4 *Quibus ignis per jactus solitus est mitti.*] Ut cupis pice et sevo plenis, ut legimus in lib. VIII. de bello Gallico. Est porro Figura Synthesis, *omne genus, quibus*, pro *quo*, quâ Figurâ res pluralis pluraliter enuntiatur.

5 *Qui antea cum Fabio et Pedio fuerant, et à Trebonio transfugerant.*] Legatus Caesaris.

6 *Praecisis manibus.*] Hoc supplicio Uxellodunenses sunt affecti, ut legimus in lib. VIII. de bello Gallico.

7 *Pari consuetudine, vigilia secunda.*] Revertitur ad Ateguae oppugnationem.

8 L. *quum eruptionem facere coepissent*, &c.] Voces parenthesibus distinctae ex interpretamentis videntur in textum irrepsisse, atque adeo tollenda.

piendum accederent, sese scutum esse positurum. Quâ spe nonnulli dum sine periculo murum adscendere, et oppidum potiri posse se sperarent, postero die ad murum opus facere coeperunt, et bene magna prioris muri pars dejecta est. [1] Quo facto ab oppidanis, ac si suarum partium essent, conservati, missos facere loricatos, quique praesidii caussâ praepositi oppido à Pompeio essent, orabant. Quibus respondit Caesar, se conditiones dare, non accipere consuevisse. Qui quum in oppidum reversi essent, relato responso, clamore sublato, omni genere telorum emisso, pugnare pro muro toto coeperunt. Propter quod ferè magna pars hominum, qui in castris nostris essent, non dubitârunt, quin eruptionem eo die essent facturi. Ita, coronâ circumdatâ, pugnatum est aliquandiu vehementissimè, simulque ballista missa à nostris turrem dejecit: quâ adversariorum, qui in eâ turre fuerant, v dejecti sunt, et [2] puer, qui ballistam solitus erat observare.

XIV. Eo praeterito tempore, Pompeius trans flumen Salsum castellum constituit: neque à nostris prohibitus, falsâque illâ opinione gloriatus est, quod prope in nostris partibus, locum tenuisset. Item insequenti die eâdem consuetudine dum longius prosequitur, quo loco equites nostri stationem habuerant, aliquot turmae cum levi armaturâ, impetu facto, loco sunt dejectae, et propter paucitatem nostrorum equitum, simulque levi armaturâ inter turmas adversariorum protritæ. Hoc in conspectu utrorumque castrorum gerebatur: et majore Pompeiani exsultabant gloriâ, longius quod nostris cedentibus prosequi coepissent. [3] Qui quum aliquo loco à nostris recepti essent, ut consuessent, ex simili virtute clamore facto, aversati sunt proelium facere.

XV. Ferè apud exercitus hæc est equestris prœlii consuetudo, quum eques ad dimicandum, dimisso equo, cum pedite progreditur, nequaquam par habetur. Id quod in hoc accidit certamine. Quum pedites ex levi armaturâ lecti ad pugnam, equitibus nostris nec opinantibus venissent; idque in proelio animadversum esset: complures equites descenderunt. Ita exiguo tempore eques pedestre; pedes equestre proelium facere coepit; usque eo, ut cædem proximè à vallo fecerint. In quo proelio adversariorum ceciderunt CXXIII, compluresque armis exuti, multi vulneribus affecti in castra sunt redacti. Nostri ceciderunt III, saucii XII, pedites et equites V. Ejus diei insequenti tempore pristinâ consuetudine pro muro pugnari coeptum est. Quum benè magnam multitudinem telorum, ignemque nostris defendentibus injecissent; nefandum crudelissimumque faci-

NOTAE.

1 *Quo facto ab oppidanis,* &c.] Corruptissimus est locus. De quo enim loquatur, nescitur. Conservati oppidani orabant Caesarem ut missos faceret loricatos, quasi et ipsi suorum essent, atque adeo conservandi. Suspicor captos ab oppidanis esse nonnullos, quibus data venia. Itaque oraverunt Caesarem, ut vicissim aliquos dimitteret Pompeianos, quos ipse in sua habebat potestate.

2 *Puer qui ballistam solitus erat observare.*] Ut milites moneret cavere sibi.

3 *Qui quum aliquo loco,* &c.] Qui [hostes] cum pariter à nostris essent repulsi pari nostrorum fortitudine, refugerent pugnam.

nus sunt aggressi, in conspectuque nostro [1] hospites, qui in oppido erant, jugulare, et de muro praecipites mittere coeperunt, sicut apud barbaros: quod post hominum memoriam nunquam est factum.

XVI. Hujus diei extremo tempore à Pompeianis clam ad nostros tabellarius est missus, ut eâ nocte, turres aggeremque incenderent, et III vigilia eruptionem facerent. Ita igne, telorumque multitudine jactâ, [2] quum benè magnam partem muri consumpsissent, portam, quae è regione et in conspectu Pompeii castrorum fuerat, aperuerunt, copiaeque totae eruptionem fecerunt, [3] secumque extulerunt calcatas ad fossas complendas, et harpagones ad casas, quae stramentitiae ab nostris hibernorum caussa aedificatae erant, diruendas et incendendas; praeterea argentum et vestimenta; ut, dum nostri in praeda detinerentur, illi caede factà ad praesidia Pompeii se reciperent. Nam, quod existimabat eos posse conatum efficere, nocte tota ultra ibat flumen Salsum in acie. Quod factum licet nec opinantibus nostris esset gestum; tamen virtute freti, repulsos, multisque vulneribus affectos oppido represserunt, praedaque et armis eorum sunt potiti, vivosque aliquos ceperunt; qui postero sunt interfecti die. Eodemque tempore transfuga nuntiavit ex oppido, Junium, qui in cuniculo fuisset, jugulatione oppidanorum facta, [4] clamasse, facinus se nefandum, et scelus fecisse. [5] Nam eos nihil meruisse, quare tali poenâ afficerentur, [6] qui eos ad aras et focos suos recepissent; eosque hospitium scelere contaminâsse: multa praeterea dixisse: quâ oratione deterritos amplius jugulationem non fecisse.

XVII. [7] Ita postero die Tullius legatus cum Catone Lusitano venit, et apud Cæsarem verba fecit: Utinam quidem Dii immortales fecissent, ut tuus potius miles, quam Cn. Pompeii, factus essem: et hanc virtutis constantiam in tuá victoriâ, non in illius calamitate praestarem: cujus funestae laudes quippe ad hanc fortunam reciderunt, ut cives Romani indigentes praesidii, et propter patriae luctuosam perniciem dedamur hostium numero; qui neque in illius prosperà acie primam fortunam, neque in adversâ secundam obtinuimus victoriam: qui legionum tot impetus sustentantes, nocturnis diurnisque operibus gladiorum ictus, telorumque missus exspectantes, victi, et deserti à Pompeio, tuâ virtute superati, salutem à tuâ clementiâ deposcimus; [8] petimusque, ut, qualem te gentibus praestitisti, similem in civium deditione praestes.

NOTAE.

1 *Hospites.*] Necessitudinis erat genus hospitium, ut supra dictum.

2 *Quum bene magnam partem muri consumpsissent.*] Pompeiani.

3 *Secumque extulerunt calcatas ad fossas complendas.*] *Calcatas* vox ignota. In plerisque exemplaribus legitur *crates*, quod melius. Manuscriptus Thuanus codex, et pervetustus impressus habent *culcatas*. Alius Thuanus codex. *cultatas*. Existimo virgulta esse et sarmenta, quibus fossae complentur.

4 *Clamâsse, facinus se nefandum, et scelus fecisse.*] Pompeianos.

5 *Nam eos nihil meruisse.*] Cordubenses.

6 *Qui eos ad aras et focos suos recepissent.*] Pompeianos.

7 *Ita postero die Tullius legatus cum Catone Lusitano venit.*] Missus à praesidiariis Pompeii qui erant in urbe.

8 *Petimusque, ut, qualem te gentibus praestitisti, similem in civium deditione praestes.*] Manuscriptus codex Thuanus habet: *Et qua-*

XVIII. Remissis legatis, quum ad portam venisset Tiberius Tullius, quum eum introëuntem C. Antonius insecutus non esset, reversus est ad portam, et [1] hominem apprehendit. Quod Tiberius quum fieri animadvertit, simulque pugionem eduxisset, manum ejus incidit. Ita refugerunt ad Caesarem. Eodemque tempore signifer de legione primâ transfugit; et nuntiavit, quo die equestre prœlium factum esset, [2] suo signo perîsse homines xxxv: neque licere castris Cn. Pompeii nuntiari, neque dici perîsse quemquam. Servus, cujus dominus in Caesaris castris fuisset, uxoremque et filium in oppido reliquerat, dominum jugulavit, et ita clam à Caesaris praesidiis in Pompeii castra discessit, et indicium glande scriptum misit, per quod certior fieret Caesar, quae in oppido ad defendendum compararentur. Ita, litteris acceptis, quum in oppidum reversi essent, qui mittere glandem scriptam solebant, insequenti tempore duo Lusitani fratres transfugae nuntiârunt, quam Pompeius concionem habuisset: quoniam oppido subsidio non posset venire, [3] noctu ex adversariorum conspectu se deducerent ad mare versum. Unum respondisse, ut potius ad dimicandum descenderent, quam signum fugae ostenderent: tum, qui ita locutus esset, jugulatum. Eodem tempore tabellarii ejus deprehensi, qui ad oppidum veniebant, [4] quorum litteras Caesar oppidanis objecit, et, [5] qui vitam sibi peteret, jussit turrem ligneam oppidanorum incendere. Id si fecisset, ei se promisit omnia concessurum. Quod difficile erat factu, ut eam turrim sine periculo quis incenderet. [5] Ita * facturus de ligno quum propius accessisset, ab oppidanis est occisus. Eâdem nocte transfuga nuntiavit, Pompeium et Labienum, de jugulatione oppidanorum indignatos esse.

XIX. Vigiliâ secundâ propter multitudinem telorum turris lignea, quae nostra fuisset, ab imo vitium fecit, usque ad tabulatum secundum, et tertium. Eodem tempore pro muro pugnatum acerrimè; et turrim nostram, ut superiorem, incenderunt: idcirco, quòd ventum oppidani secundum habuerunt. Insequenti luce materfamilias de muro se dejecit, et ad nos transiliit, dixitque, se cum familiâ con-

NOTAE.

lem ait gentibus me praestiti, similem in civium deditione praestabo, ut videatur esse Caesaris responsum.

1 *Hominem apprehendit.*] Aliquid deest, nempe *C. Antonium.* Erat ergo Antonius de commilitibus Tullii legati, qui in urbem redire nolebat. Tullius retrahere in urbem cum vellet et vim inferret, C. Antonius vim vi repulit, sicque dimissus abiit. *Refugerunt,* quia alii cum eo; fortè Cato Lusitanus. Aliqui existimant C. Antonium et Catonem, Lusitanum unum et eundem esse hominem, et in alterutra textus parte esse mendum. Item pro *refugerunt* reponunt *refugit.*

2 *Suo signo perisse.*] Livius sub vexillo seu signo scriptum reliquit fuisse CLXXX milites, posterioribus verò temporibus suum cuique centuriae fuit vexillum seu signum. Idem ergo fuerit dicere *suo signo* vel *sua centuria.*

3 *Noctu ex adversariorum conspectu,* &c.] Ne sibi dedecori esset, si se praesente, oppidum à Caesare caperetur.

4 *Quorum litteras Caesar oppidanis objecit.*] Quoniam ad desperationem forte adigebant, non ad spem erigebant.

5 *Qui vitam sibi peteret.*] Aliquem ex tabellariis.

6 *Ita * facturus de ligno.*] Lacuna manifesta. Manuscripti duo codices Thuani habent: *Ita fune crure de ligno.* Ego lego *deligato.* Ne enim in urbem fugeret, longo fune Caesariani crus vinxerant.

stitutum habuisse, ut unà transfugerent ad Caesarem; [1] illam oppressam et jugulatam. [a] Hoc praeterea tempore tabellae de muro sunt dejectae, in quibus scriptum est inventum: L. Minucius Caesari: Si mihi vitam tribuis, quoniam à Cn. Pompeio sum desertus, qualem me illi praestiti, tali virtute et constantiâ futurum me in te esse praestabo. Eodem tempore oppidanorum legati, qui antea, exierant, Cæsarem adierunt, si sibi vitam concederet, sese insequenti die oppidum esse dedituros. Quibus respondit, [2] se Caesarem esse, fidemque praestaturum. Ita ante diem XI Kalend. Martii oppido potitus, Imperator est appellatus.

XX. Et Pompeius, ex perfugis quum deditionem oppidi factam esse scisset, castra movit Ucubim versus. Sed circum ea loca castella disposuit, et munitionibus se continere coepit. Caesar movit, et propius castra castris contulit. Eodem tempore mane loricatus unus ex legione vernaculâ ad nos transfugit, et nuntiavit Pompeium oppidanos Ucubenses convocâsse, eisque imperavisse, ut, diligentiâ adhibitâ, perquirerent, qui essent suarum partium, itemque adversariorum victoriae fautores. [3] Hoc praeterito tempore, in oppido, quod fuit captum, servus est prehensus in cuniculo, quem supra demonstravimus dominum jugulâsse. Is vivus est combustus. Eodemque tempore centuriones loricati VIII ad Caesarem transfugerunt ex legione vernaculâ, et equites nostri cum adversariorum equitibus congressi sunt, et saucii aliquot occiderunt ex levi armaturâ. Eâ nocte speculatores prehensi servi III, et unus ex legione vernaculâ. [4] Servi sunt in crucem sublati, militibus cervices abscissae.

XXI. Postero die equites cum levi armaturâ ex adversariorum castris ad nos transfugerunt. Et eo tempore circiter XI equites ad aquatores nostros excucurrerunt: nonnullos interfecerunt, item alios vivos abduxerunt. [5] Ex equitibus capti sunt equites VIII. [6] Insequenti die Pompeius securi percussit homines LXXIV, qui dicebantur esse fautores Caesaris victoriae. [6] Reliquos in oppidum jussit deduci; ex quibus effugerunt CXX, et ad Caesarem venerunt.

XXII. Hoc praeterito tempore, qui in oppido Ateguâ [8] Bursavolenses capti sunt: legati profecti sunt cum nostris, uti rem gestam Bursavolensibus referrent, quid sperarent de Cn. Pompeio, quum

INTERPRETATIO.

a *Insuper illo tempore litterae sunt missae de moenibus.*

NOTAE

1 *Illam oppressam et jugulatam.*] Quia res fuerat ab oppidanis cognita.

2 *Se Caesarem esse, fidemque praestaturum.*] Ergo promiserat illis salutem.

3 *Hoc praeterito tempore.*] Reponendum videtur *praeterea.*

4 *Servi sunt in crucem sublati.*] Crux erat servile supplicium apud Romanos.

5 *Ex equitibus capti sunt equites* VIII.] Adversariorum.

6 *Insequenti die Pompeius securi percussit homines* LXXIV.] Apud Ciceronem, lib. epist. ad Famil. XV. Cassius hunc crudelem et sanguinarium fuisse indicat.

7 *Reliquos in oppidum jussit deduci.*] Ucubim.

8 *Bursavolenses.*] Ignorantur. Pompeii fidem sequebantur.

viderent hospites jugulari: praeterea multa scelera ab iis fieri, qui praesidii caussâ ab his reciperentur. [1] Qui quum ad oppidum venissent, nostri, qui fuissent equites Romani et senatores, non sunt ausi introire in oppidum, praeterquam qui ejus civitatis fuissent. Quorum responsis ultro citroque acceptis, et redditis, quum ad nostros se reciperent, qui extra oppidum fuissent, illi de praesidio insecuti, [2] ex aversione legatos jugularunt. Duo reliqui, qui ex eis fugerunt, Caesari rem gestam detulerunt, et speculatores ad oppidum Ateguam miserent. [3] Qui quum certum comperissent (legatorum responsa) ita esse gesta, quemadmodum illi retulissent, ab oppidanis concursu facto, eum, qui legatos jugulâsset, lapidare, et ei manus intentare coeperunt: [4] illius operâ se perîsse. Ita, vix periculo liberatus, petiît ab oppidanis, ut ei liceret, legatum ad Caesarem proficisci: [5] illi se satisfacturum. Potestate datâ, quum inde esset profectus, praesidio comparato, [6] quum benè magnam manum fecisset: et nocturno tempore per fallaciam in oppidum esset receptus, jugulationem magnam fecit. Principibus, qui sibi contrarii fuissent, interfectis, oppidum in suam potestatem recepit. Hoc praeterito tempore, servi transfugae [7] nuntiaverunt, oppidanorum bona vendere, ne cui extra vallum liceret exire, nisi discinctum. [8] Idcirco quod ex quo die oppidum Ategua esset captum, metu conterritos complures profugere in [9] Bethuriam, neque sibi ullam spem victoriae propositam habere, ut si quis ex nostris transfugerint, in levem armaturam conjici, eumque non amplius XVI accipere.

XXIII. Insequenti tempore Caesar castris castra contulit, et brachium ad flumen Salsum ducere coepit. Hic dum in opere nostri distenti essent, complures ex superiore loco adversariorum decucurrerunt. [10] Nec, detinentibus * nostris, multis telis injectis, complures vulneribus effecêre. Hic tamen, ut ait Ennius, [11] nostri cessêre parumper. Itaque, praeter consuetudinem, quum à nostris animadversum esset cedere, centuriones ex legione V flumen transgressi duo

NOTAE.

1 *Qui quum ad oppidum venissent.*] Bursavolam.

2 *Ex aversione.*] Manuscripti codices Thuani duo habent: *Ex adversione*, existimo esse debere, *ex animadversione.*

3 *Qui quum certum comperissent.* [*legatorum responso*] Illa postrema verba ex interpretamento in textum irrepserunt.

4 *Illius opera se perisse.*] Dicentes.

5 *Illi se satisfacturum.*] Pro legatis occisis, quos occisos graviter ferebat Caesar.

6 *Quum bene magnam manum fecisset.*] Pompeianorum.

7 *Nuntiaverunt, oppidanorum bona vendere.*] Forte legendum, *Nuntiaverunt oppidanorum bona vendi*, ex fide Manuscripti Regii codicis, à Pompeio scilicet, edictumque, ne cui nisi discincto liceret exire. Discinctus est qui cingulum militare dissolvit, unde pendebat ensis, quasi inermis

8 *Idcirco, quod, ex quo die.*] Abundat *quod.*

9 *Bethuriam.*] Bethuriam Strabo, et Plinius statuunt inter Baetim et Anam fluvios, Plinius verò in duas partes totidemque gentes Bethuriam dividit. Celticos qui Lusitaniam attingunt Hispalensis conventus, et Turdulos qui Lusitaniam et Tarraconensem accolunt.

10 *Nec detinentibus * nostris.*] Manifesta lacuna.

11 *Nostri cessere parumper.*] Quia Ennius amat illa voce *parumper* uti, ad finem versus explendum.

restituerunt aciem; acriterque exithiâ virtute plures quum agerent, ex superiore loco multitudine telorum alter eorum concidit. Ita, quum is compar proelium facere coepisset, et quum undique se circumveniri animadvertisset, parumper ingressus pedem offendit. Hujus concidentis viri casu passim audito, quum complures adversariorum concursum facerent, equites nostri transgressi interiore loco adversarios ad vallum agerè coeperunt. Ita, dum cupidiùs intra praesidia illorum student caedem facere, à turmis et levi armatura sunt interclusi. Quorum nisi summa virtus fuisset, vivi capti essent. Nam et munitione praesidii ita coangustabantur, ut equites spatio intercluso vix se defendere possent. Ex his [1] utroque genere pugnae complures sunt vulneribus affecti, in quibus etiam Clodius Aquitius. Inter quos ita cominùs est pugnatum, ut ex nostris, praeter II centuriones, sit nemo desideratus, gloriâ se efferentes.

XXIV. Postero die ab [2] Soricariâ utraeque convenêre copiae. Nostri brachia ducere coeperunt. Pompeius, quum animadverteret, castello se excludi [3] Aspaviâ, quod ab Ucubi millia passuum V distat, haec res necessariò vocabat, ut ad dimicandum descenderet. Neque tamen æquo loco sui potestatem faciebat, sed ex grumo excelsum tumulum capiebat, usque eo, ut necessariò cogeretur iniquum locum subire. Quo facto, quum utrorumque copiae tumulum excellentem petissent, prohibiti à nostris sunt, [4] dejectique planitie. Quae res secundum nostris efficiebat proelium. Undique autem cedentibus adversariis, nostri magnâ in caede versabantur: [5] quibus mons, non virtus, saluti fuit: quo subsidio tunc, nisi advesperasset, à paucioribus nostris omni auxilio privati essent. Nam ceciderunt ex levi armaturâ CCCXXIV: ex legionariis CXXXVIII: praeterquam quorum arma et spolia sunt allata. [6] Ita pridie II centurionum interitio hâc adversariorum [7] poenâ est litata.

XXV. Insequenti die pari consuetudine, quum ad eundem locum ejus praesidium venisset, pristino illo suo utebantur instituto. Nam praeter equites nullo loco aequo se committere audebant. Quum nostri in opere essent, equitum copiae concursus facere coeperunt. Simulque vociferantibus legionariis, quum locum efflagitarent, ut, consueti insequi, existimare possent, se paratissimos esse ad dimicandum, nostri ex humili convalle [8] benè longè sunt egressi, et planitie iniquiore loco constiterunt. Illi tamen procul dubio ad congrediendum in aequum locum non sunt ausi descendere, praeter unum Antistium Turpionem, qui fidens viribus, ex adversariis sibi parem esse neminem

NOTAE.

1 *Utroque genere pugnae.*] Pedestri et equestri.

2 *Soricariâ.*] Ignoratur.

3 *Aspaviâ.*] Hispaniae oppidum ad Salsum flumen prope Cordubam, nonnullis *Apea*, aliis *Castro el rio.*

4 *Dejectique planitie.*] Legendum *in planitiem.*

5 *Quibus mons.*] Lege *hostibus* pro *quibus.*

6 *Ita pridie.*] Lego *pridiana* ex fide MS.

7 *Poena est litata.*] *Litare* est proprie *sacrificio Deos placare.*

8 *Bene longe sunt egressi.*] Gallica phrasis.

cogitare cœpit. Hic, ut fertur, [1] Achillis [2] Memnonisque congressus. Q. Pompeius Niger eques Rom. Italicensis ex acie nostra ad congrediendum progressus est. Quoniam ferocitas Antistii omnium mentes converterat ab opere ad spectandum, acies sunt dispositae. Nam inter bellatores principes dubia erat posita victoria, ut prope videretur finem bellandi duorum dirimere pugna. Ita avidi, cupidique suarum quisque partium, [3] * expertorum virorum, fautorumque voluntas habebatur. Quorum virtute alacri quum ad dimicandum in planitiem se contulissent, scutorumque laudis insignis præfulgens opus caelatum, [4] quorum* pugna esset prope profecto dirempta, nisi [5] propter equitum * concessum, ut supra demonstravimus, levis armaturâ praesidii caussâ non longè ab opere castrorum constitisset. Ut nostros equites in receptu, dum ad castra redeunt, adversarii cupidiùs sunt insecuti, universi, clamore facto impetum dederunt. Ita metu perterriti, quum in fugâ essent, multis amissis, in castra se recipiunt.

XXVI. Cæsar ob virtutem, turmæ Cassianæ [6] donavit millia XIII, et [7] praefecto torques aureos II, et levi armaturae millia X. Hoc die A. Bæbius, et C. Flavius, et A. Trebellius, equites Romani [8] Astenses, argento prope tecti equites, ad Cæsarem transfugerunt; qui nuntiaverunt equites Rom. conjurâsse omnes, qui in castris Pompeii essent, ut transitionem facerent; servi indicio omnes in custodiam esse conjectos, è quibus, occasione capta, se transfugisse. [9] Item hoc die litterae sunt deprehensae, quas mittebat [10] Ursaonem Cn. Pompeius: S. V. G. E. V. Etsi, prout nostra felicitas, ex sententiâ adversarios adhuc propulsos habemus; tamen, si aequo loco sui potestatem facerent, ce-

NOTAE.

1 *Achillis.*] Achilles Pelei et Thetidis filius, et Graecorum ducum, qui ad Trojam pugnaverunt, fortissimus.

2 *Memnonisque.*] Memnon Aurorae Tithonique filius auxilio venit Trojanis, ubi congressus cum Achille, ab eo fuit interfectus. Ejus duellum describitur à Quinto Calabro in relictis Iliadis, Regnum ejus in Aethiopia sepulchrum apud Ilium esse scripsit Plinius, qui et lib. X. cap. 26. mira tradit de avibus, quae ejus nomine Memnonides dicuntur.

3 * *Expertorum.*] Manifestissima lacuna.

4 *Quorum * pugnam.*] Manifestissima lacuna.

5 *Propter equitum * concessum.*] Lacuna manifestissima.

6 *Donavit Millia* XIII.] Intellige nummum vel sestertium.

7 *Praefecto torques aureos.*] Sic armillas donabant imperatores illi, qui hostem dejecisset aut spolia legisset, quae demissae ad pectus pendebant honoris caussâ.

8 *Astenses.*] Ex Asta oppido quod adhuc nomen retinet. Pomponius Mela, lib. III. Astam procul à littore dissitam coloniam in Hispaniâ statuit, quam praeter hunc scriptorem commemorant Livius, Strabo et Ptolemaeus. Est urbs Turdetanorum.

9 *Item hoc die litterae sunt deprehensae.*] Cum de tempore tanquam de praesenti agat hic scriptor, videntur actorum loco esse habenda quae scribit. Erant enim acta quae Romam et ipsa Roma mittebantur: de quibus Cicero saepe in epistolis suis mentionem facit, et ad quae vulgaribus de rebus docendos amicos rejicit, arcanis tantum et reconditis rebus suas epistolas impleturus.

10 *Ursaonem.*] Ursao oppidum Hispaniae Baeticae. Putatur esse *Ossuna.* Ab Ursaone Mundum iter est unius diei.

11 *S. V. G. E. V.*] Si valetis, gaudeo, ego valeo. Formula nempe erat quam Imperatores qui praeerant provinciis, praefigere solebant epistolis, quas ad senatum mittebant.

lerius, quam vestra opinio est, bellum confecissem. Sed exercitum tir num non audent in campum deducere, [1] nostrisque adhuc freti praesidiis bellum ducunt. Nam singulas civitates circumsident. Inde sibi commeatus capiunt. Quare et civitates nostrarum partium conservabo, et bellum primo quoque tempore conficiam. Cohortes animo habeo ad vos mittere. Profecto nostro commeatu privati, necessariò ad dimicandum descendent.

XXVII. Insequenti tempore, quum nostri temere in opere distenti essent, equites in oliveto, dum lignantur, interfecti sunt aliquot. Servi transfugerunt, qui nuntiaverunt, ad III Nonarum Martii [2] proelium ad Soritiam quod factum est, ex eo tempore metum esse magnum, et Attium Varum circum castella præesse. Eo die Pompeius castra movit; et circa Hispalim in oliveto constitit. Cæsar prius quam eodem est profectus, [3] luna horâ circiter VI visa est. Ita castris motis Ucubim praesidium, quod Pompeius reliquit, jussit ut incenderent, et deusto oppido in castra majora se reciperent. Insequenti tempore [4] Ventisponte oppidum quum oppugnare coepisset, deditione facta, iter fecit in [5] Carrucam: contra Pompeium castra posuit. Pompeius oppidum, quod contra sua praesidia portas clausisset, incendit. [6] Milesque, qui fratrem suum in castris jugulasset, interceptus est à nostris, et [7] fusti percussus. Hinc itinere facto, in campum [8] Mundensem quum esset ventum, castra contra Pompeium constituit.

XXVIII. Sequenti die quum iter facere Caesar cum copiis vellet, renuntiatum est ab speculatoribus, Pompeium de III vigiliâ in acie stetisse. [9] Hoc nuntio allato, vexillum proposuit. Idcirco enim copias eduxerat, quod [10] Versaonensium civitati ([11] fuissent fautores) antea litteras miserat, Cæsarem nolle in convallem descendere, [12] quòd majorem partem exercitum tironum haberet. Hæ litterae vehementer confirmabant mentes oppidanorum. Ita hâc opinione fretus totum se

NOTAE.

1 *Nostrisque adbuc freti praesidiis.*] Commeatu ex iis locis petito quae sunt intra nostra praesidia.

2 *Proelium ad Soritiam quod factum est.*] Manuscriptus Victorinus codex habet: *Prælium affore ad Soritiam quod factum est.* Quae lectio an melior sit, ignoro. Usque adeo omnia sunt corrupta.

3 *Luna hora circiter* VI *visa est.*] Hora meridiana, quod prodigii loco fuit.

4 *Ventisponte.*] Oppidum, ignoratur.

5 *Carrucam.*] Carruca est Hispaniae Baeticae oppidum, Plinio *Caurasia*, Ptolemaeo autem, apud quem utpote Graecum, corruptiora sunt nomina, *Ceriassum.*

6 *Milesque, qui fratrem suum in castris jugulasset.*] Manuscripti Regii tres codices habent *jugulaverat*, quae planior lectio.

7 *Fusti percussus.*] Est fustuarium supplicium militare quod sic fiebat. Fustem capiens tribunus condemnatum leviter tangit et delibat. Quo facto omnes qui in castris sunt, ferientes alius fustibus, alius lapidibus plerosque in ipsis castris occidunt.

8 *Mundensem.*] Munda, ut ait Joannes Mariana, dicitur, *Ronda Vega.*

9 *Hoc nuntio allato,* &c.] Quod signum pugnae erat.

10 *Versaonensium.*] Civitas quae hic appellatur, superius *Ursaonensis* dicitur.

11 *Fuissent fautores.*] E margine in textum irrepsit.

12 *Quod majorem partem exercitum tironum baberet.*] Sic Caesar, lib IV. de bello Gallico: *Maximam partem lacte atque pecore vivunt.*

4

facere posse existimabat. Etenim et naturâ loci defendebatur, et ipsius oppidi munitione, ubi castra habuit constituta. Namque, ut superius demonstravimus, loca excellentia tumulis contineri; interim nulla planitia dividit. Sed ratione nullâ placuit taceri id, quod eo incidit tempore.

XXIX. Planities inter utraque castra intercedebat circiter millia passuum v, ut auxilia Pompeii duabus defenderentur rebus, oppidi excelsi, et loci naturâ. Hinc dirigens proxima planities aequabatur: cujus decursum antecedebat rivus, qui ad eorum accessum summam efficiebat loci iniquitatem. Nam palustri et voraginoso solo currebat ad dextram partem: et Caesar, quum aciem directam vidisset, non habuit dubium, quin media planitie in aequum ad dimicandum adversarii procederent. Hoc erat in omnium conspectu. [a] Huc accedebat, ut locus illâ planitie equitatum ornaret, et diei solisque serenitas: ut mirificum et optandum tempus prope ab Diis immortalibus illud tributum esset ad proelium committendum. Nostri laetari, nonnulli etiam timere, quod in eum locum res fortunaeque omnium deducerentur, ut, quidquid post horam casus tribuisset, in dubio poneretur. Itaque nostri ad dimicandum procedunt: id quod adversarios existimabamus esse facturos: qui tamen à munitione oppidi mille passibus longius non audebant procedere; in quo sibi prope murum adversarii constituebant. Itaque nostri procedunt. Interdum aequitas loci adversarios [b] efflagitabat, ut tali conditione contenderent ad victoriam. Neque tamen illi à suâ consuetudine discedebant, ut aut ab excelso loco, aut ab oppido, discederent. Nostri pede presso propius rivum quum appropinquâssent, adversarii [1] [c] patrocinari loco iniquo non desinunt.

XXX. [2] Erat acies XIII aquilis constituta, quae lateribus equitatu tegebatur, cum levi armaturâ millibus VI. Praeterea auxiliares accedebant prope alterum tantum. [3] Nostra praesidia LXXX cohortibus, et VIII millibus equitum. Ita, quum in extremâ planitie iniquum in locum nostri appropinquâssent, paratus hostis erat superior, [4] ut transeundi superius iter vehementer esset periculosum. Quod quum à Caesare esset animadversum, ne quid temere culpâ suâ [d] sequiùs admitteretur, [5] eum locum definire coepit. Quod quum hominum auribus esset objectum, moleste et acerbe accipiebant se impediri, quo

INTERPRETATIO.

a *Praeterea locus juvabat illa planitie equitatum.* b *Hortabatur.* c *Non cessant tueri iniquum locum.* d *Perperam.*

NOTAE.

1 *Adversarii.*] Adversariorum nomine hostes molestius appellat, quia cives Romani.

2 *Erat acies* XIII *aquilis constituta.*] Id est totidem legionibus, sua enim unicuique legioni erat aquila.

3 *Nostra praesidia* LXXX *cohortibus, et* VIII *millibus equitum.*] Constabant.

4 *Ut transeundi superius iter vehementer esset periculosum.*] Manuscripti codices Thuani duo habent: *Ut transeundum superius iter esset periculosum.*

5 *Eum locum definire coepit.*] Ne quis ultra pergeret.

minus proelium conficere possent. Haec mora adversarios alacriores efficiebat, Caesaris copias timore impediri ad committendum proelium. Ita se efferentes iniquo loco sui potestatem faciebant, ut magno tamen periculo accessus eorum haberetur. Hic Decumani [1] suum locum cornu dextrum tenebant, sinistrum III et V legio, itemque caetera auxilia, et equitatus.

XXXI. Proelium clamore facto committitur. Hic etsi virtute nostri antecedebant, adversarii loco superiore defendebantur acerrimè, et vehemens fiebat ab utrisque clamor, telorumque missus, concursus, sic, [2] ut prope nostri diffiderent victoriae. Congressus enim et clamor, quibus rebus maxime hostes conterrentur, in collatu pari erant conditione. Itaque ex utroque genere pugnae, quum parem virtutem ad bellandum contulissent, pilorum missu fixa cumulatur, et concidit adversariorum multitudo. Dextrum demonstravimus Decumanos cornu tenuisse: qui, etsi erant pauci, tamen, propter virtutem, magno adversarios timore eorum opera afficiebant, [3] quod suo loco hostes vehementer premere coeperunt, ut ad subsidium, [4] ne ab latere nostri occuparentur, legio adversariorum transduci coepta sit ad dextrum. Quae simul est mota, equitatus Caesaris sinistrum cornu premere cœpit. At ii eximiâ virtute proelium facere incipiunt, ut locus in acie ad subsidium veniendi non daretur. Ita, quum clamori esset intermistus gemitus, gladiorumque crepitus auribus oblatus, imperitorum mentes timore praepediebat. Hic, ut ait Ennius, *pes pene premitur, armis teruntur arma*, adversariosque vehementissime pugnantes nostri agere coeperunt; quibus oppidum fuit subsidio. [5] Ita ipsis Liberalibus fusi fugatique non superfuissent, nisi in eum locum confugissent, ex quo erant egressi. In quo proelio ceciderunt millia hominum circiter XXX, et si quid amplius; praeterea Labienus, Attius Varus: quibus occisis utrisque funus est factum: itemque equites Romani partim ex urbe, partim ex provinciâ ad millia III. Nostri desiderati ad hominum mille, partim peditum, partim equitum: saucii ad D: adversariorum aquilae sunt ablatae XIII, et signa, et fasces. [6] Praeterea duces belli XVII capti sunt.

NOTAE.

1 *Suum locum cornu dextrum.*] Qui tanquam honorificentiori ipsis dari solebat

2 *Ut prope nostri diffiderent victoriae.*] Dio propterea fuisse proelium saevissimum ait, quia nullam veniam Pompeiani sperabant, jam cum Afranio capti et rebellantes. Plutarchus verò et Appianus narrant terrorem Caesaris exercitui incidisse tantum, ut incoepta etiam pugna excuti non posset, cujus esset causa desperatio hostis. Caesar verò post pugnam amicis est confessus saepe se pro victoria, impraesentia verò primum pro vita, dimicâsse, qua etiam, suos caedi videns, voluit se exuere.

3 *Quod suo loco hostes vehementer premere caeperunt.*] Manuscripti codices Thuani habent, *a suo loco*, quae planior oratio.

4 *Ne ab latere nostri occuparentur.*] Ex fide MSS. duorum codicum Thuanorum restituo *occuparent*, quod melius et verius.

5 *Ita ipsis Liberalibus.*] Agebantur Liberalia Romae XVI. kal. Aprilis. Dionysia Plutarchus appellat, quo tempore et Pompeius Magnus ad bellum profectus fertur fuisse.

6 *Praeterea duces belli* XVII *capti sunt.*] Manuscripti duo codices omittunt. Quod melius puto.

XXXII. Hos habuit res exitus. Ex fugâ hâc quum oppidum Mundam sibi constituissent praesidium, nostri cogebantur necessariò eos circumvallare. Ex hostium armis, [1] pro cespite cadavera collocabantur: scuta et pila pro vallo, * insuper occisi, et gladii, et mucrones, et capita hominum ordinata, ad oppidum conversa universa, hostium timorem, virtutisque insignia * proposita viderent, et vallo circumcluderentur adversarii. * Ita Galli tragulis jaculisque oppidum ex hostium cadaveribus sunt circumplexi, oppugnare coeperunt. Ex hoc proelio Valerius adolescens, Cordubam cum paucis equitibus fugiens, Sex. Pompeio, qui Cordubae fuisset, rem gestam refert. [2] Cognito hoc negotio, quos equites, quod pecuniae secum habuit, eis distribuit, et oppidanis dixit, se de pace ad Caesarem proficisci: et II vigiliâ ab oppido discessit. Cn. Pompeius autem cum equitibus paucis, nonnullisque peditibus, ad navale praesidium parte alterâ contendit [3] Carteiam, quod oppidum abest à Cordubâ millia passuum CLXX. Quo quum ad octavum milliarium venisset, P. Calvitius, qui castris antea Pompeii praepositus esset, ejus verbis nuntium mittit, quum minus bellè haberet, [4] ut mitteret lecticam, quâ in oppidum deferri posset. Litteris missis, Pompeius Carteiam defertur. [5] Qui illarum partium fautores essent, conveniunt in domum, quo erat delatus: qui arbitrati sunt clanculum venisse, ut ab eo, quae vellent, de bello requirent. Quum frequentia convenissent, de lecticâ Pompeius eorum in fidem confugit.

XXXIII. Caesar ex proelio [6] munitione circumdatâ, Cordubam venit: qui ex caede eo refugerant, pontem occupaverunt. Quum eo esse, ventum, [7] convitiari coeperunt, nos ex proelio paucos superesse, quo confugeremus? Ita pugnare coeperunt de ponte. [8] Caesar flumen transjecit, et castra posuit. [9] Scapula [a] totius seditionis

INTERPRETATIO.

a *Qui concitaverat servos et libertinos.*

NOTAE.

Pro cespite cadavera collocabantur,] Et hoc apud Valerium Maximum, lib. VII. cap. 6. Florum et alios. Quod hic ad Mundam, Appianus dicit factum ad Cordubam. Quod factum est propter lassitudinem militum, qui usque ad vesperam pugnaverant, nec fodere propterea valebant.

2 *Cognito hoc negotio.*] Mira constructio pro *militibus* vel *equitibus quod habuit pecuniae distribuit.* Sed est mendum, quod sic eluo ex fide MSS. duorum Thuanorum: *Quos equites secum habuit, quod pecuniae secum habuit, eis distribuit.*

3 *Carteiam.*] Carteia, teste Livio, in ora oceani sita est, ubi primum è faucibus angustis panditur mare, *Tartessus* dicitur Graecis, Plinius verò *Cartheia Tartesos à Graecis dicitur,* à flumine cognomine, olim enim qui Baetis nunc, dicebatur Tartessus, autore Strabone.

4 *Ut mitteret lecticam.*] Non est hic Nominativus verbi quod huic scriptori solitum, pro *mitteretur lectica*, subaud. *à Pompeianis qui in urbe erant.* Sed melius est, si ex fide MS. Thuani reponatur *mitterent.*

5 *Qui illarum partium fautores essent.*] Manuscripti Regii duo et Victorinus unus habent *erant*, quae planior lectio.

6 *Munitione circumdata.*] Supple *Mundae.*

7 *Convitiari coeperunt,* &c.] Ut fidem facerent incolis se non esse victos, sed victores.

8 *Caesar flumen transjecit*] Baetim, à quo non est dissita Corduba.

9 *Scapula.*] T. Quintii Scapulae ut totius belli concitatoris meminit Cicero epistolar. lib.

familiae et libertinorum caput, ex proelio Cordubam quum venisset, familiam et libertos convocavit. Pyram sibi extruxit, [1] coenam afferri quam opimam imperavit, item optimis insternendam vestimentis. Pecuniam et argentum in praesentia familiae donavit. Ipse de tempore coenavit; [2] resinam et nardum identidem sibi infundit. Ita novissimo tempore servum jussit, et libertum, qui fuisset ejus concubinus, alterum se jugulare, alterum pyram incendere.

XXXIV. Oppidani autem, simul Cæsar castra contra oppidum posuit, discordare coeperunt usque eo, ut clamor in castra nostra perveniret, fere inter Caesarianos, et inter Pompeianos. Erant hic legiones, quæ ex perfugis conscriptæ, partim oppidanorum servi, qui erant à Sex. Pompeio manumissi, [a] tunc in Cæsaris adventum descendere coeperunt. Legio XIII oppidum defendere cœpit: nam quum jam repugnarent, turres ex parte et murum occupârunt. [3] Denuo legatos ad Caesarem mittunt, ut sibi legiones subsidio intromitteret. Hoc quum animadverterent homines fugitivi, oppidum incendere cœperunt: qui superati à nostris, sunt interfecti hominum millia XXII, praeterquam extra murum qui perierunt. Ita Caesar oppido potitus. Dum hic detinetur, ex prœlio, quos circummunitos superius demonstravimus, eruptionem fecerunt, et benè multis interfectis, in oppidum sunt redacti.

XXXV. Caesar Hispalim quum contendisset, legati deprecatum venerunt. Ita quum oppidum sese tueri dixisset: Caninium legatum cum praesidio intromittit. Ipse castra ad oppidum ponit. [4] Erat benè magnum intra Pompeianas partes praesidium, quod Caesaris praesidium receptum indignabatur; [5] clam quendam Philonem, illum, qui Pompeianarum partium fuisset defensor acerrimus. Is totà Lusitanià notissimus erat. Hic clam praesidio in Lusitaniam proficiscitur, et Caecilium Nigrum nomine Barbarum ad [6] Lenium convenit; qui benè magnam manum Lusitanorum haberet. Rursus in Hispalim oppidum

INTERPRETATIO.

a *Tunc venire coeperunt ad Caesarem advenientem* se dedituri.

NOTAE.

lib. IX. ad Dolabellam, item Dio, lib. XLIII. Is videtur esse qui contra Cassium Longinum Hispaniae rectorem conjuraverat, ut patet ex lib. de bello Alexandrino, qui propterea Cæsaris iram veritus, totum hoc bellum excitavit.

1 *Coenam afferri quam opimam imperavit.*] Manuscripti duo codices Thuani, Victorinus unus, et pervetustus impressus habent, *Quam optimam*, quam lectionem meliorem esse probat quod sequitur *item optimis*.

2 *Resinam et nardum identidem sibi infundit.*] Manuscripti Regii duo codices, Victorinus unus, et pervetustus impressus habent pro *resina*, *vinum*, quod melius. Plinius, lib XIV. refert vina austeriora in aliquâ parte Italiae mitigata esse resina. Nardo vero vel vinum vel unguentum medicatum esse intelligendum est. Horat.

——— *Nardi parvus onyx*
Eliciet cadum ———

3 *Denuo legatos ad Caesarem mittunt.*] Oppidani.

4 *Erat bene magnum*, &c.] Haec locutio nostro scriptori placet. Quod ejus arguit infantiam.

5 *Clam quendam Philonem.*] Supplendum *mittit*.

6 *Lenium.*] Lenius est oppidi nomen Hispaniae.

denuo noctu per murum recipitur. Praesidium vigilesque jugulant, portas praecludunt; de integro pugnare coeperunt.

XXXVI. Dum haec geruntur, legati Carteienses renuntiârunt, quòd Pompeium in potestate haberent, quòd ante Caesari portas praeclusissent, illo beneficio suum maleficium existimabant se lucrifacere. [1] Lusitani Hispalim oppugnare nullo tempore desistebant. Quod Caesar quum animadverteret, si oppidum capere contenderet, ut homines perditi incenderent, et moenia delerent. ([2] Ita) consilio habito noctu, patitur Lusitanos eruptionem facere. Id quod consultò non existimabant fieri. Ita irrumpendo, naves, quae ad Baetim flumen fuissent, incendunt. Nostri dum incendio detinentur, illi profugiunt, et ab equitibus conciduntur. Quo facto, oppido recuperato, [3] Astam iter facere coepit. [4] Ex quâ civitate legati ad deditionem venerunt, Mundensesque, qui ex proelio in oppidum confugerant, quum diutius circumsiderentur, benè multi deditionem faciunt, et, quum essent in legionem distributi, conjurant inter se, ut noctu signo dato, qui in oppido fuissent, eruptionem facerent, [5] illi caedem in castris administrarent. Hâc re cognitâ, insequenti nocte, vigiliâ III, [6] tesserâ datâ, extra vallum [7] omnes sunt concisi Mundenses duces.

XXXVII. Caesar in itinere reliqua oppida oppugnat; quæ propter Pompeium dissentire cœperant. Pars erat, quæ legatos ad Cæsarem miserat; pars, qui Pompeianarum partium essent fautores. Seditione concitatâ portas occupant. Caedes fit magna: saucius Pompeius naves XXX occupat longas, et profugit. [8] Didius, qui Gadis classi praefuisset, ad quem simul nuntius allatus est, confestim sequi coepit, partim peditatibus et equitatibus ad persequendum celeriter iter faciens. Item IV die navigatione confectâ, insequuntur. [9] Qui imparati à Carteia profecti sine aquâ fuissent, ad terram applicant. Dum aquantur Didius classe occurrit, naves incendit, nonnullas capit. Pompeius cum paucis profugit, et locum quendam munitum naturâ occupat.

XXXVIII. Equites et cohortes, quae ad persequendum missae essent, speculatoribus ante missis, certiores fiunt: diem et noctem iter

NOTAE.

1 *Lusitani Hispalim oppugnare nullo tempore desistebant.*] Emendandum est ex fide Manuscriptorum duorum Thuanorum codicum, *Hispali pugnare.* Quae genuina est lectio. Nec enim illis oppugnanda fuit urbs, quam occupabant.

2 *Ita consilio habito noctu.*] Nonnullius enim res erat consilii, an urbs esset obsidenda an ejus obsidio omittenda. Post *habito* debet esse virgula, non post *noctu.*

3 *Astam iter facere coeperunt.*] De quâ supra.

4 *Ex quâ civitate legati ad deditionem venerunt.*] Faciendam.

5 *Illi caedem in castris administrarent.*] Qui deditionem fecerant, et in legionem erant distributi.

6 *Tessera data.*] Qua dignosceret quisque suos inter caedem illam faciendam.

7 *Omnes sunt concisi Mundenses.*] Manuscriptus codex Thuanus habet: *Carteienses duces*, quod melius arbitror.

8 *Didius.*] Didius, teste Dione, Varum Pompeianum navali proelio ad Cantium ante Caesaris adventum superaverat.

9 *Qui imparati à Carteia profecti.*] Pompeiani.

faciunt. Pompeius humero et sinistro crure vehementer erat saucius. Huc accedebat, ut etiam talum intorsisset: quae res maximè impediebat. [1] Ita, lectica à turre quâ esset allatus, in ea ferebatur. Lusitanus more militari quum à Caesaris praesidio fuisset conspectus, celeriter equitatu cohortibusque circumcluditur. Erat accessus loci difficultas. Nam idcirco, quod propter suos à nostro praesidio fuisset conspectus, celeriter munitum locum naturâ ceperat sibi Pompeius, quem vix magnâ multitudine deducti homines ex superiore loco defendere possent. Subeuntes in adventu nostri depelluntur telis: quibus cedentibus, cupidius insequebantur adversarii, et confestim tardabant ab accessu. Hoc saepius facto, animadvertebatur nostro magno id fieri periculo. [2] Opere circummunire instituit, pari autem et celeri festinatione circum munitiones in jugo dirigunt, ut aequo pede cum adversariis congredi possent. [3] A quibus quum animadversum esset, fugâ sibi praesidium capiunt.

XXXIX. [4] Pompeius, ut supra demonstravimus, saucius, et intorto talo, idcirco tardabatur ad fugiendum: itemque propter loci difficultatem, neque equo, neque vehiculo saluti suae praesidium parare poterat. Caedes à nostris undique administrabatur, exclusâ munitione, amissisque auxiliis. Ad convallem autem atque exesum locum in speluncam Pompeius se occultare coepit, ut à nostris non facile inveniretur, nisi captivorum indicio. Ita ibi interficitur. Quum Caesar gradiebatur Hispalim, pridie Id. Apr. [5] caput allatum, et populo datum est in conspectum.

XL. Interfecto Cn. Pompeio adolescente, Didius, quem supra demonstravimus, illâ affectus laetitiâ, proximo se recepit castello, nonnullasque naves ad reficiendum subduxit. [6] Lusitani, qui ex pugna superfuerunt, ad signum se receperunt, et benè magnâ manu comparatâ, ad Didium se reportant. Huic etsi non aberat diligentia ad naves tuendas, tamen nonnunquam ex castello, propter eorum crebras excursiones, ejiciebatur: et sic prope quotidianis pugnis insidias ponunt, et tripartito signa distribuunt. Erant parati qui naves incenderent, incensisque qui subsidium repeterent. Ii sic dispositi erant, ut à nullo conspectu omnium ad pugnam contenderent. Ita, quum ex castello Didius ad propellendum processisset cum copiis, signum à Lusitanis tollitur. Naves incenduntur: simulque qui in castello ad

NOTAE.

1 *Ita lectica à turre, qua esset allatus, in ea ferebatur.*] Phrasis Hebraica pro *qua lectica erat allatus, ea ferebatur ut Lusitanus.* MS. Regius codex unus habet: *Qua erat allatus*, quae lectio planior.

2 *Opere circummunire instituit.*] Pro *instituitur.* Sic loquitur hic autor suo more.

3 *A quibus quum animadversum esset.*] Nempe munitiones in jugo dirigi à Caesarianis.

4 *Pompeius, ut supra demonstravimus, saucius,*] Locum hunc Appianus illustrat: *Cum et eos,* inquit, *qui ipsum in lectica portabant, desperantes intueretur, veritus, ne ab illis traderetur hostibus, fuga denuo intra scapham ingressus est, pede casu à funibus implicito, dum funem gladio secare nititur, pedis plantam gladio abscidit.*

5 *Caput allatum.*] Cn. Pompeii, quod Caesar tandem humandum curavit.

6 *Lusitani, qui ex pugna.*] Supple *tumultuaria ad Hispalim commissa super fuerunt.*

pugnam processerant, eodem signo fugientes latrones dum persequuntur, a tergo insidiae clamore sublato circumveniunt. [1] Didius magnâ cum virtute cum compluribus interficitur. Nonnulli eâ pugnâ scaphas, quae ad littus fuerant, occupant: Item complures nando, ad naves, quae in salo fuerunt, se recipiunt. Anchoris sublatis, pelagus remis petere coeperunt. Quae res eorum vitae subsidio fuit. Lusitani praeda potiuntur. [2] Caesar Gadibus rursus ad Hispalim recurrit.

XLI. [3] Fabius Maximus, [4] quem ipse ad Mundam praesidium oppugnandum reliquerat, operibus assiduis, hostesque circum sese interclusi, inter se decernere, factâ caede benè magnâ, [5] * eruptionem faciunt. Nostri ad oppidum recuperandum occasionem non praetermittunt, et reliquos vivos capiunt, ac deinde Ursaonem proficiscuntur; quod oppidum magnâ munitione continebatur, sic, ut ipse locus non solum opere, sed etiam naturâ editus, [6] ad oppugnandum hostem abverteret. Huc accedebat, quod aqua, praeterquam in ipso oppido, non erat. Nam circumcirca rivus nusquam reperiebatur propius millia passuum VIII; quae res magno erat adjumento oppidanis. Tum praeterea accedebat, ut agger, materiesque, unde solitae sunt turres agi, propius millia passuum VI non reperiebantur. Ac Pompeius, ut oppidi oppugnationem tutiorem efficeret, omnem materiem circum oppidum succisam intro congessit. Ita necessariò deducebantur nostri, ut à Munda, quam proximè ceperant, materiem illo deportarent.

XLII. Dum haec ad Mundam geruntur et Ursaonem, Cæsar, quum à Gadibus ad Hispalim se recepisset, insequenti die, concione advocatâ, commemorat; [7] Initio quaesturae suae eam provinciam ex omnibus provinciis [8] peculiarem sibi constituisse, et, quae potuisset, eo tempore beneficia largitum esse. In sequenti praetura [9] ampliato honore, vectigalia, quae Metellus imposuisset, à senatu petîsse, et eis pecuniis provinciam liberasse: [10] simulque patrocinio suscepto, multis legibus ab se in senatum inductis, simul publicas privatasque

NOTAE.

1 *Didius magnâ cum virtute.*] Pugnans.

2 *Caesar Gadibus.*] Templum Herculis omnibus donariis spoliaverat, ut inde pecuniam posset conficere.

3 *Fabius Maximus.*] Is est qui cum Q. Pedio regebat Hispaniam.

4 *Quem ipse ad Mundam praesidium oppugnandum reliquerat.*] Manifestum mendum, quod ex fide MS. Victorini et pervetusti impressi codicis, emendo: *Quem ipse ad praesidium oppugnandum reliquerat.* Nulla facta Mundae commemoratione.

5 * *Eruptionem faciunt.*] Locus lacunosus.

6 *Ad oppugnandum hostem averteret.*] Alii codices habent *appeteret.* Utrique mendosè, id est, *ab oppugnando hoste averteret.*

7 *Initio quaesturae suae.*] Suetonius narrat quaestori ulteriorem Hispaniam obvenisse, ubi jure dicendo circumivit conventus mandato populi Romani. Plutarchus verò in ejus vitâ, quaestorem cum Tuberone praetore in Hispaniam profectum, ibique postea praeturam gessisse.

8 *Peculiarem sibi.*] Quam sibi peculiarem putaret. Quemadmodum Deus in sacris codicibus dicit gentem Hebraicam sibi peculiarem fuisse.

9 *Ampliato honore, vectigalia, quæ Metellus imposuisset.*] Est hic Q. Metellus Pius bello clarus quod adversus Sertorium gessit, cujus causa fortasse gravia aliquot vectigalia imposuerat, quae hic à Caesare commemorantur. Ampliato autem honore suo dicit, cum ex quaestore factus est praetor.

10 *Simulque patrocinio suscepto.*] Hispaniae provinciae.

caussas, multorum inimicitiis susceptis, defendisse: suo item in consulatu absentem, quae potuisset, commoda provinciae tribuisse: eorum omnium commodorum esse et immemores et ingratos in se, et in populum Romanum hoc bello, et in praeterito tempore cognôsse. Vos jure gentium, inquit, et civium Romanorum institutis cognitis, more barbarorum, populi Romani magistratibus [1] sacrosanctis manus saepe et saepius attulistis: [2] luce clara Cassium in medio foro nefarie interficere voluistis. Vos ita pacem semper odistis, ut nullo tempore legiones desint populi Romani in hac provinciâ haberi. Apud vos beneficia pro maleficiis, maleficia pro beneficiis habentur. Ita neque in otio concordiam, neque in bello virtutem ullo tempore retinere potuistis. Privatus ex fugâ Cn. Pompeius adolescens à vobis receptus, fasces imperiumque sibi arripuit: multis interfectis civibus, auxilia contra populum Rom. comparavit: agros, vestramque provinciam [3] vestro impulsu depopulavit. In quos vos victores existimabatis? An me deleto, non animadvertebatis X habere legiones populum Romanum, quae non solum vobis obsistere, [4] sed etiam caelum diruere possent? [5] quorum laudibus et virtute*

* *Desunt reliqua.*

NOTAE.

1 *Sacrosanctis.*] Sacrosancti erant, quos siquis violâsset, morte poenas pendebat, ut tribuni.

2 *Luce clara Cassium,* &c.] Sexta enim hora Cassius insidiis fuit appetitus ut legitur in lib. de bello Alexandrino, cujus tamen scriptor Hispanos tantum excusat, quantum hic Caesar accusat.

3 *Vestro impulsu depopulavit.*] Sic Virgil. Aeneid, 1.

Non nos aut ferro Libycos populare penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.

Item Georgic. 1.

—— populatque ingentem farris acervum
Curculio, atque inopi metuens formica senectæ.

4 *Sed etiam coelum diruere possent.*] Apud Hispanos qui vel jure vel injuria milites gloriosi dicuntur. Aliquod etiam de milite glorioso referre videtur Caesar.

5 *Quorum laudibus et virtute.*] Emendandum *quarum* ex fide manuscriptorum duorum Thuanorum. Liber est mutilus in fine, et ἀτελὴς ut mutilus est in principio. Librorum enim primae et ultimae partes patere solent injuriis. Sed ex Plutarcho supplere licet hoc Hispanicum bellum ultimum à Caesare fuisse gestum, et ex Velleio mense Octobri in urbem revertisse, proximis verò Idibus Martiis occidisse. Sic enim ille: *Caesare peractis victoriis suis non plus* V *mensium principalis quies contigit. Quippe cum mense Octobri in urbem revertisset, Idibus Martiis interemptus est.*

HISTORIÆ JULII CAESARIS FRAGMENTUM.

EX V. C.

De quo scias: reperta fuisse ista in Cujacii codice sine ullo nomine; in codice autem eadem Petaviano, sub nomine PETRARCHAE. *Quae quia videbantur facere ad eum librum ultimum, addere nos hic voluisse.*

NAM diuturnitas belli pacem, labor requiem, triumphum victoriæ flagitant: non civiles quidem istae, sed hostiles illae, de quibus antea dixeramus. Quo modo autem triumpharet, aut quâ ratione quiesceret, de quo scriptum sit, nil actum credens, cum quid superesset. Pompeii Magni filii Hispanias occupârunt (sequebatur autem illos non quidem patris virtus, sed hominum favor ingens, et paternum nomen) Cneius et Sextus. Sic pro uno duos substituerat fortuna Pompeios. Egerâtque Cneius major natu, cui plus industriae inerat atque consilii, confugiendo in fidem et clientelam omnium Hispaniae civitatum, precandoque, fortunam suam miserando, patrisque memoriam renovando, ut sibi multum jam licentiae partum esset. Nec precibus tantum, sed vi etiam congregato exercitu inciperet provinciam vastare: ita ut pedetentim, qui favorabiles ab initio fuerant, esse inciperent odiosi. Hunc sibi novissimum belli actum minimè negligendum ratus Caesar, eo raptim proficiscitur. Duo in hoc itinere vix auditu credibilia inciderunt. Nam etiam ab urbe Româ in Hispaniam ulteriorem immensum terrae spatium emensus IV et XX die pervenit: viatori, ne dicam exercitui, celeritas optanda. Magnum: hoc quod sequitur, majus. Horum siquidem tam paucorum spatio dierum, tam multas inter curas, Poema scripsit, quod inscripsit Iter, quod illud scilicet in itinere edidisset. Sic Pierides armis inserere, etiam nunquam otiosus esse dedicerat. Primo Caesaris in Hispaniam adventu civitatum motus ingens fuit, undique legati ad eum, undique transfugae. Jam enim Pompeiani juvenes sive in odium, sive in taedium verti coeperunt; etiam ut nulla esset in eis culpa. Mos est tamen antiquus populorum semper novos dominos, novas res optare; etiam fama Caesaris haud immeritò super omnes excreverat: ut universi homines ejus splendore caperentur, cuperentque coram cernere, quem usque adeo mirabilem audiebant. In hoc principio ipso maris in ostio, ubi Oce-

anus terris illabitur, etiam Mediterraneum hoc pelagus nostrum parit, inter legatos invicem partium hinc Didium, illinc Varum, et ambobus cum ipsâ tempestate creatum est. Nec minus à ventis et fluctibus, quam ab hostibus, periculi, atque horroris, dum et hinc hostes saevirent, et illinc saevitiam rabiemque hominum maria coërcerent, utraque classe, bello simul et naufragio laborante, duae partes, duo maria, duplex furor, duae elementorum atque hominum procellae. Per hos dies à Caesarianis duo pedites capti sunt, qui se servos dicerent. Non licuit in his Caesari suam consuetudinem servare. Antequam ad eum deducerentur, quòd à Cæsariano exercitu transfugissent, recogniti etiam à militibus interfecti sunt. Et tabelliones capti, qui ad Pompeium Cordubae mittebantur, etiam praecisis illico manibus sunt remissi. Similiter speculator Pompeianus captus, atque occisus est. Credo ego iratos bello milites, et Imperatoris sui morum conscios atque clementiae, hoc remedii genus excogitâsse, ne quis faciem ejus videret, ut sic nullus evaderet. Cordubam Pompeii tenebant, Caesar obsidebat. Illis tamen absentibus, multis ibi etiam magnis praeliis decertatum est. Cùmque die quodam ferro et flammis solito etiam graviùs pugnaretur, oppidani irâ in furorem versâ, hospites qui securi secum jure veteris hospitii morabantur, inspectante Caesaris exercitu, jugulatos è muris praecipitare, quasi crudelitate, non virtute victoria quaereretur, incoeperant. Spectaculum miserum atque horrendum. Quâ re ex gemitu morientium auditâ; unus, qui ad tutelam muri sub terram in cuniculo erat, exclamavit: Tetrum scelus et immane flagitium, nullâque non barbarie detestandum commisistis absque ullâ caussâ. Nihil enim mali merebantur, qui nihil mali fecerant; qui ad vos vestrasque se aras et focos infaustâ fiduciâ contulissent. Jus hospitii sanctum gentibus soli vos sprevistis, atque utinam sprevisse sufficeret. Inhumano illud scelere violastis. Multa quoque in hanc sententiam dixit: quorum verecundiâ repressi cives ab hospitum caedibus se continuerunt. Sic interdum unius boni viri multos inter malos valuit oratio, etiam inter hostes, etiam suum honorem virtus invenit. Ea res relatu transfugae in exercitu primum Cæsaris innotuit. Die proximo Tullius quidam cum Catone quodam Lusitano legatus ex oppido ad Caesarem venit. Hujus prima pars orationis fuit optare, ut suus potius felicitate, quam in illius miseriâ praestitisset. Finis autem fuit se à Pompeio desertos, victos à Caesare, seque et oppidum dedere, atque orare, ut clementiam, quam victis gentibus praebuisset, suis civibus non negaret. Multa praeter haec locutus est, quae scriptorum vitio confusa vix intelligi possunt. Unum illud intelligitur, quod multis ultro citroque dictis tunc deditio non processit. Crescebat, ut fit, in dies obsidio, nec Pompeius exspectatam opem aut ferebat, aut mittebat obsessis. Quin etiam pro concione dixisse ferebatur: aut quoniam eis auxilio adesse non posset, ipsi noctu etiam beneficio tenebrarum è conspectu hostium evaderent. Quod cum diceret, unum ex astantibus respondisse, ut pugnae potius quam fugæ signum daret; eumque qui id dixisset, quasi duci ignavi-

am exprobasset, neci datum. Hæc quoque res ex * profugis agnita, intus quoque in oppido angustiae * ita necesse est, crescebant. Matrona è muro desiliens dixit se cum ancillâ suâ statuisse transfugere: illam, forte cognito proposito, jugulatam: se fuga precipti evasisse. Tabellae quoque à muris projectae, sunt inventae; in quibus sic ad litteram scriptum erat, Lucius Munatius Caesari. Si mihi vitam tribuis, quoniam à Cn. Pompeio sum desertus, qualem me illi praestiti, tali virtute, etiam constantiâ futurum me in te praestabo. Simul et legati, qui prius venerant, ad Caesarem redierunt. Eorum oratio simplex fuit et aperta, et brevis. Si eis vitam largiretur, se die proximo oppidum dedituros. Quibus Cæsar hoc unum breve respondit: Cæsar sum, fidem praestabo. Sic effectum est ut ante diem XI Kalend. Mart. oppido potiretur. Id cum Pompeio notum est, depositâ spe curâque Cordubæ defendendæ, castrisque motis, abscessit, ac Ucubim oppidum petiit. Ibique convocatis quos sibi fidos arbitrabatur, imperavit, ut summo studio perquirerent, qui ad eum, quive ad Caesarem proni essent. Quod cum ad se relatum esset, LXIV ex his qui faventes Cæsaris victoriæ dicebantur, quasi Cæsarem amare ingens crimen esset, securi ictos occidit. Reliquos intra oppidum inclusit, * equitibus cxx reclusis custodiis ad Cæsarem transfugerunt. Multa praeterea ab ipsis Pompeianis per eosdem dies crudeliter gesta sunt; ceu praesagientibus fati diem sibi instare, et (qui mos ferus est quorundam) inferias sibi praemittere alienâ caede quaerentibus. Pompeius hoc tempore magnanimitatem suam, etiam metum Caesaris simulabat. Inventæ sunt litteræ ejus continentes, Caesarem non audere in campum copias educere, suis tyronibus diffidentem, qui si copiam aequis in locis aliquando faceret, se rem omnium opinione celeriùs confecturum, idque se exspectare, etiam sperare. Ibat praeterea Hispanias ambiendo, ut ipse dicebat, civitates suarum partium conservando. Itaque Hispalim venit, contraque urbem in oliveto castra posuit. Inde alias atque alias adiit. Ad extremum Mundae substitit, quam supremis cladibus ejus fortuna delegerat. Eo et Caesar venit, contraque Pompeium castra metatus est. Pompeius Fausto scripserat, qui quantum datur intelligi, intra oppidum erat; Caesarem mediam in vallem nolle descendere, quod exercitus sui magna pars tyronum esset. Quae litterae miris modis oppidanorum animos attollebant. Cupidè enim spes arripiunt omnes mortales, etiam ea sibi fingunt animis, quae nec esse, nec fieri posse cognoscunt. Tam dulce est non dicam sperare, sed cogitare quae delectant. Quod enim impossibilia sperentur non intelligo. Cogitari autem possunt omnia. Dum se sic Pompeius, sic alios solaretur, et ingenti, quantum arbitror, solicitudine agitatus, magnâ parte noctis structis instaret aciebus; Caesar, nescio quonam iter acturus, castris egrediebatur. Cui cum status hostium nuntiatus esset, constitit, constituitque aciem. Concursum est magnis hinc inde clamoribus; sed majoribus animis, ineffabilibus odiis atque immensis, pugnatumque acriter ac pertinaciter, et (quod pene pudendum dixeris humanae fragilitatis indicium)

nusquam Caesari, aut cum hostibus, aut cum civibus tam anceps eventus, extremove periculo propiùs res fuit. Usque adeo ut (sicut elegantissime ait Florus) plane videretur nescio quid deliberare fortuna: etiam quid aliud rear, nisi, an amicum suum usque in finem rarâ etiam sibi prorsus insolita fide comitaretur, an eum extremo jam calle desereret, ad alium transiret. Tantaque haec fortunae deliberatio tam diuturna, ut inter moras proelii, neutram in partem inclinante victoriâ, cum jam veterana illa militum manus tot probata victoriis (Caesareis oculis insuetum dedecus) sensim retro fugeret, nec quo minus palam fugeret, tam virtute, quam pudore teneretur. Quod nunquam ante illum diem fecerat, dubitare Caesare coeperit atque diffidere, etiam solito moestior ante aciem stare, ita tamen ut nihil idem de solitâ imperatoriâ virtute remitteret: imo equo desiliens, et furenti simillimus, primam peditum in aciem evolaret, clamans, increpans, obsecrans, atque exhortans. Nec tamen voce et oculis, sed manu et pectore fugam sistens, etiam fugere incipientes in proelium vi retorquens. Tanta denique trepidatio lucis illius fuit, tamque diu ambiguus pugnae finis, ut cogitasse Caesarem de extremis, scriptorum plurimi tradiderint; et eo vultu fuisse, quasi jam mortem sibi consciscere cogitaret. Quamquam apud eos, qui proelio interfuerunt, nulla penitus rei hujus est mentio. Et est sane difficile non tantum absentibus, sed praesentibus, diffinire, quid quisque secum cogitet. Ego autem haud difficile ad credendum ducar: quod, si de victoriâ Caesar timuit, simul et de morte cogitavit. Quando enim, quove animo uni adolescenti terga vertisset is, qui patrem ejus talem virum, qui tot reges, qui tot duces, qui tot populos, non urbium modo, sed regnorum totiens terga sibi vertere coëgisset? Utique igitur si vinci timuit, mori optavit, vincere solitus, non vinci. Sed an vinci timuerit, quis novit? Dicunt tamen etiam, quidam etiam pro comperto afferunt. Tamdiu haec rerum ambiguitas duravit, donec quinque cohortes hostium à Labieno castris laborantibus directæ, mediamque per aciem properantes fugæ speciem prætenderunt. O fortuna in omni re, ut creditur, potens, sed in bello potentissima! Siquidem Cæsar sive illas vere fugere arbitratus, sive credulitatem simulans ducum sagacissimus: veluti in perfugas impetum fecit, animosque etiam suis addidit, ut fugere hostes rati sequerentur; etiam hostibus dempsit, ut dum suos fugere arbitrantur, fugerent. Ita Labienus Caesaris desertor ac transfuga, suique pristini ducis hostis inexorabilis, cui parare perniciem quaerebat, victoriam insperatam, sibi vero mortem peperit; eo enim proelio et ipse concidit, unaque secum Attius Varus, et cum eis xxx millia hominum cecidere. Cecidissent plures nisi tam proximum urbis profugium fuisset. De victoribus ad tria millia hominum caesi, plures saucii equitum ac peditum. Itaque cum Cæsar muris obsidionem admovisset, agger stabilis, etiam horrendus de cadaveribus factus est, per quem ad oppugnationem urbis ascenderetur, quae telis ac mucronibus velut calce compacta invicem cohaerebant; murique cujuspiam officium ministrabant. Ite nunc

miseri, et civilibus bellis incumbite, dumque aliis invidetis, vos ipsos opprimite. Ecce de vestris cadaveribus superstites oppugnantur. An aliud petitis, an quidquam furoribus etiam nunc vestris deest? An vult aliud Labienus, tam fervidus insultator? Et alii cecidere tuis instigantibus, Labiene, et tu miser cum aliis cadaver unicum jaces: quamvis et tibi etiam Varo sepulchra facta reperiam. Et quoniam tuis in eo statu vacâsse non arbitror, aestimo illa Caesareae (tibi quod prorsus indebitae) fuisse clementiae: satisque auguror, si sic est, te obstinato, ut eras, animo inhumatum abjici maluisse. Cneius quidem Pompeius et humero et laevo crure saucio inter medias caedes proelio pulsus excessit. Hunc in lecticâ, quod nec equo, nec vehiculo uti posset, nemorosa avia penetrantem fugâ humili et occulta, atque in speluncis latitantem, Caesonius Caesaris legatus resistentem adhuc, etiam miserae spei reliquias refoventem, assequutus ad Lauronem (id est loco nomen) obtruncat; caput ad Caesarem refertur, talibus assuetum muneribus, non gaudentem. Hujus germanum Sextum Pompeium in Celtiberia abscondisse fortunam tradunt, ne quando scilicet deessent bellis civilibus alimenta. Munda post prœlium expugnata quidem à Caesare, sed ingenti prius sanguinis perfusa diluvio. Per eosdem dies oppugnata rursus Corduba: quae qualiter defecisset non invenio. Magna ibi motus, ingens in civitate dissensio, parte unâ ad Caesarem, alterâ in contrarium inclinante; cumque esset ad arma discursum, vicit pars quae Cæsarem colebat, sibique oppidum cessit. De parte adversâ duo et viginti millia cecidere, quamvis magnæ urbi civilibus insignis strages. Cæsar Hispali digressus Idibus Aprilis, Gades petiit. Inde rursum Hispalim rediit, ut Hispanas res, velut ultimâ voluntate, disponeret; quo reversurus amplius non erat. Ibi vero concione advocatâ, beneficia sua in eam urbem commemoravit et antiqua, etiam nova. In finem eos arguit, tanquam malo pro bonis omni tempore reddidissent, in pace seditiosi, in bello autem ignavi. Quod Cn. Pompeius adolescens, eorum fotus auxilio, caesis civibus, agros et viciniam vastasset; etiam illic contra se fasces, etiam imperium suscepisset: imo vero contra populum Romanum, cujus ipse regimen teneret. Quid enim? Crederentne forsitan Hispalenses, Romanos vincere, quod eorum provinciam populati essent? An extincto Cæsare, qui mortalis esset, non sentirent Romanum populum immortalem, et in praesens decem habere legiones, quae non tantum Hispalensibus resistere, sed coelum ipsum diruere sint potentes? Quo in verbo non solum illa inest altitudo, quæ omnibus patet; sed illa etiam occultior, quod in recensendis viribus Romanis, non omnes, sed suas tantum dinumerat legiones, quasi reliquas nullius pretii, et ne memoriâ quidem dignas censeat. Multa hic historiæ in loco scripta, scriptorum vitio confusa, prætereo ad finem properans. Hic ergo bellorum civilium finis.

Gerardus Joannes Vossius, in lib. de Latinis Historicis, hoc Fragmentum de bello Hispaniensi Julio Celso adjudicat, quod desumptum sit ex ejus commentariis de vitâ Julii Caesaris.

C. JULII CAESARIS

FRAGMENTA.

EX LIBRIS EPISTOLARUM

AD M. T. CICERONEM.

Caesar Imperator S. D. Ciceroni [1] *Imperatori.*

[2] QUUM Furnium nostrum tantum vidissem, neque loqui, neque audire me commode potuisset, quum properarem, atque essem in itinere, [3] praemissis jam legionibus; praeterire tamen non potui, quin et scriberem ad te, et illum mitterem, [4] gratiasque agerem. Etsi hoc officium et feci saepe, et saepius mihi facturus videor: [5] ita de me mereris. [6] Imprimis à te peto, quoniam confido me ce-

In C. JULII CAESARIS *Fragmenta.*

INTERPRETATIONES *et* NOTAE.

1 *IMPERATORI.*] Quod Caesar tot et tantis rebus in Galliâ gestis se imperatorem adscribat, nihil mirum: quare ab eodem Imperator salutetur Cicero, cujus facta militaria obscuriora sunt, non ita sciunt omnes. Hoc autem cognoscimus ex lib. v. epist. ad Atticum epist. 20. ubi scribit se caeso magno hostium, qui latrones Cilices erant, apud Amanum montem numero, Imperatorem fuisse appellatum. Idem testatur Plutarchus in ejus vitâ. Nec Caesar tantum Ciceronem Imperatorem appellat, sed et Pompeius in epist. ad Ciceronem quae 12. habetur libri VIII. ad Atticum.

2 *Quum Furnium nostrum,* &c.] Noster dicitur, quia communis utriusque amicus erat. Ex Ciceronis ad Atticum epistolis Caesarianas partes orto civili bello secutus videtur. Post Caesaris necem, Planci fuit legatus, quem Plancum per eum reipublicae studiosum efficere conatus est Cicero.

3 *Praemissis jam legionibus.*] Brundisium versus, quo tendebat Pompeius, vel ubi jam erat, quem fugientem Caesar persequebatur.

4 *Gratiasque agerem.*] Quod in Italiâ remaneas.

5 *Ita de me mereris.*] Remanens in Italiâ scilicet; quod mihi pergratum.

6 *Imprimis à te peto.*] Magnum enim pondus ad ejus partes allaturus videbatur Cicero consularis, magnae prudentiae et ingenii vir, qui rempublicam consul à nefariâ Catilinae conjuratione defenderat, et qui è Ciliciâ imperator reversus triumphum petebat, praesertim magnis Pompeii obstrictus beneficiis, de quibus sic ipse Cicero in epist. ad Appium, quae 10. est lib. VIII. ad Famil. *Etenim si merita valent: patriam, liberos, salutem, dignitatem, memetipsum mihi per illum restitutum puto.* Sed nec contendebat minus Pompeius Ciceronem ad suas partes adjungere, ut cognoscitur ex epist. I. lib. VII. ad Attic. his verbis: *Me uterque numerat suum, nisi forte simulat alter* (Caesar); *nam Pompeius non dubitat (vere enim judicat) ea quæ de republicâ nunc sentiat mihi valde probari. Utriusque autem accepi ejusmodi litteras eodem tempore, quo tuas, ut neuter quenquam omnium pluris facere quam me videretur.* Has autem ille Cicero litteras innuit.

leriter ad Urbem venturum, ut te ibi videam; [1] ut tuo consilio, gratiâ, dignitate, ope omnium rerum uti possim. Ad propositum revertar: festinationi meæ brevitatique litterarum ignosces. Reliqua ex Furnio cognosces. Vale. *Ex Cic. lib.* IX. *Epist. ad Attic. Epist.* 6.

Caesar Imp. Ciceroni Imp. S.

[2] Recte auguraris de me (benè enim tibi cognitus sum) nihil à me

NOTAE.

1 *Ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim.*] Nemo Cicerone melius hunc locum interpretetur, qui sic habet in epist. II. lib. IX. ad Attic. *Iste omnium turpissimus et sordidissimus, qui consularia comitia a prætore ait haberi posse, est idem, qui semper in republica fuit Itaque mirum hoc illud, quod Caesar scribit in eâ epistolâ, cujus exemplum ad te misi, se velle uti consilio meo: age esto hoc commune,* Gratia: *ineptum id quidem: sed puto hoc simulat ad quasdam senatorum sententias.* Dignitate, *fortasse sententia consularis. Illud extremum est,* Ope omnium rerum: *Id ego suspicari coepi tum ex tuis litteris, aut hoc ipsum esse, aut non multo secus: nam permagni ejus interest rem ad interregnum non venire. Id assequitur si per praetores consules creantur. Nos autem in libris habemus: Non modo consules à praetoribus, sed ne praetores quidem creari jus esse, idque factum esse nunquam: consules eo non esse jus, quod majus imperium à minore rogari non sit jus. Praetores autem, cum ita rogentur, ut collegae consulum sint, quorum est majus imperium. Aberit non longe quin hoc à me decerni velit, neque sit contentus Galba, Scaevola, Cassio, Antonio.* Τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Sed et Ciceronis interpretatio, quia missa ad Atticum omnium illius temporis negotiorum pergnarum, nobis obscurior est.

Ad quos vix tenuis famæ perlabitur aura, nostra breviter interpretatione illustrabitur. *Iste omnium turpissimus et sordidissimus.* Lepidus intelligitur non consularis ille, sed praetor, qui, ut Caesari assentaretur, licere praetori dicebat habere comitia consularia. Cum enim non mediocriter contenderet Caesar, ut crearentur consules secum facientes, et magnam senatus partem cum consulibus mare transisse intelligeret, creari consules Romae cujus potiebatur quoquo modo volebat, et insolitum extraordinariumque factum quam dignissimorum hominum in Italiâ remanentium autoritate comprobari, quos inter erat Lepidus praetor, quos inter et Cicero, cujus quidem consilio uti dicit ipse Cicero commune esse cum aliis. Potuit enim uti Caesar Ciceronis consilio et aliorum in Italiâ remanentium. Mea gratia, inquit Cicero, uti ineptum est, quae nunc perexigua est, cum Caesar unus nunc gratia polleat. Dignitate uti potest mea, cum sim vir consularis. Sed ope omnium rerum uti cum vult, suspicor aut esse hanc aut non multo diversam sententiam, ut idem sentiam quod Lepidus, et concedam fieri posse consules in iis comitiis, ubi sit tantum praetor. Vehementer enim pertimescit, ne res ad interregnum veniat, quod fieri ordinariis magistratibus absentibus solet. Tunc enim ab interege consul fiebat, qui forte consul fuisset factus ipsi iniquior. Nos autem in libris auguralibus scriptum legimus non id licere fieri. Quod si vult tamen fieri Caesar, forte à me qui sum augur, voluerit creari consulem, ut non sit contentus Galba, qui eo tempore erat ejus legatus, ut legitur in lib. II. de bello Gallico, neque Scaevola, neque Q. Cassio et M. Antonio tribunis, qui se totos illius libidini addixerant. Tunc praeoptem ima dehiscat terra mihi. Et revera Caesar dictator à M. Lepido dictus est praetore, ut in lib. II. de bello civili legimus: quo facto, interregno obvium itum fuit. Cicero tamen contra amici sui sententiam sic rescribit ad Caesarem in epist. 19. lib. IX. ad Attic. *Ut legi tuas litteras quas ab Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas ut ad urbem essem, te velle uti consilio et dignitate meô, minus sum admiratus: de gratiâ et de ope quid significares, mecum ipse quaerebam: spe tamen deducebar ad eam cogitationem, ut te pro tuâ admirabili ac singulari sapientiâ de otio, de pace, de concordia civium agi velle arbitrarer, et ad eam rationem existimabam satis aptam esse et naturam et personam meam.*

2 *Recte auguraris de me,* &c.] Hanc Caesaris epistolam Ciceroni ipsi acceptam referimus, qui eam ad se à Caesare missam, ipse

abesse longius crudelitate. Atque ego quum ex ipsâ re magnam capio voluptatem, tum meum factum probari abs te, triumpho et gaudeo. Neque illud me movet, quod ii, qui à me dimissi sunt, discessisse dicuntur, [1] ut mihi rursus bellum inferrent: nihil enim malo, quam et me [2] mei similem esse, et [3] illos sui. Tu velim mihi ad Urbem praesto sis, ut tuis consiliis atque opibus, ut consuevi, in omnibus rebus utar. Dolabellà tuo nihil mihi scito esse jucundius. [4] Hanc adeo habebo gratiam illi. [5] Neque enim aliter facere potuit: tanta ejus humanitas, is sensus, ea in me est benevolentia. Vale. *Ex Cicer. lib.* x. *Epist. ad Attic. Epist.* ix.

Caes. Imp. Ciceroni Imp. S.

Etsi te nihil temerè, nihil imprudenter facturum judicarem, tamen [6] permotus hominum famà, scribendum ad te existimavi, [7] et pro nostrà benevolentià petendum, ne quo progredieris [8] inclinatâ jam re, [9] quà integrâ etiam progrediendum tibi [10] non existimasses. [11] Namque et amicitiae graviorem injuriam feceris, [12] et tibi minus commodè consulueris, [13] si non fortunae obsecutus videbere (omnia enim [14] secundissima nobis, [15] adversissima illis accidisse videntur,) nec

NOTAE.

rursus Attico missam his verbis prosequitur: *Cum quid scriberem ad te nihil haberem, tamen ne quem diem intermitterem has dedi litteras. Ad* VII *Kalend. Cæsarem Sinuessæ mansurum nuntiabant. Ab eo mihi litteræ redditæ sunt, quibus jam opes meas, non ut in superioribus litteris opem expectat, cum ejus clementiam Corfiniensem collaudavissem, rescripsit hoc exemplo.* Clementiam Corfiniensem appellat, quâ apud Corfinium Italiae oppidum erga Domitium, Vibullium et alios usus fuerat, ut in libro I. de bello civili legitur.

1 *Ut mihi rursus bellum inferrent.*] Quod fecerunt Domitius Massiliae et in Thessaliâ, Vibullius in Hispaniâ.

2 *Mei similem.*] Clementem.

3 *Illos sui.*] Similes, nempe pertinaces et ingratos.

4 *Hanc adeo habebo gratiam.*] Dolabellae tuo genero, quod tu mihi ad urbem praesto fueris, ejus consilio usus.

5 *Neque enim aliter facere potuit.*] Quin tibi id suadeat. Et hoc est quod alibi commemorat Cicero Caesarem simulare.

6 *Permotus hominum famâ.*] Quae percrebrescit, te ad Pompeium transire velle.

7 *Et pro nostra benevolentia petendum.*] Erant enim inter se amici, ipseque Quintus hujus frater legatus fuerat Caesaris in Galliâ.

8 *Inclinatâ jam re.*] Expulso nempe ex Italiâ Pompeio, sic epist. 16. lib. II. ad Famil. scribit Coelio; *Illud miror adduci potuisse te, qui me penitus nosse deberes, ut me existimares tam improvidum qui ab excitatâ fortunâ* (Caesaris) *ad inclinatam et prope jacentem desciscerem* (Pompeii.) Nec frustra Caesar et Coelius de Cicerone crediderunt, et hominem penitus noverant, descivit enim.

9 *Quâ integrâ.*] Ante incommodum Corfinii et Brundisii acceptum.

10 *Non existimâsses.*] Cum nullam partem belli susceperis.

11 *Namque et amicitiæ graviorem injuriam feceris.*] Si ad meos inimicos concesseris.

12 *Et tibi minus commode consulueris.*] Si me discessu tuo irritaveris.

13 *Si non fortunæ obsecutus videbere.*] Remanens in Italiâ Pompeio mare transeunte.

14 *Secundissima nobis.*] Nam et Pompeium ex Italiâ expulimus, quam totam tenemus.

15 *Adversissima illis.*] Pompeianis qui à me pulsi sunt.

caussam secutus (eadem enim tum fuit, [1] quum ab eorum, consiliis abesse judicâsti, [2] sed meum aliquod factum condemnâsse: quo mihi gravius abs te nihil accidere potest:) quod ne facias, pro jure nostræ amicitiæ à te peto. Postremo, quid viro bono, et quieto, et bono civi magis conveniт, quam abesse a civilibus controversiis? Quod nonnulli quum probarent, [3] periculi caussa sequi non potuerunt. Tu, explorato et vitæ meæ testimonio, et amicitiæ judicio, neque tutius, neque honestius reperies quidquam, quam ab omni contentione abesse. XV. Cal. Maii [4] ex itinere. Vale. *Ex Cic. lib.* X. *Epist. ad Attic. Epist.* 9.

[5] M. Furium, quem mihi commendas, vel regem Galliæ faciam, vel Leptæ legatum: si vis tu, ad me alium mitte, quem ornem. *Ex Cic. lib.* VII. *Epist. ad Famil. Epist.* 5. *ad Caes.*

[6] Neque pro cauto ac diligente se castris continuit. *Ex Charis. lib.* I.

[7] Quid quæris, quid Cæsar ad me scripserit? Quod sæpe; gratissi-

NOTAE.

1 *Quum ab eorum consiliis abesse judicâsti.*] Nec enim nisi amisso Corfinio Pompeius Ciceronem sui consilii certiorem fecit, ut legimus in epist. 2. lib. IX. ad Attic.

3 *Sed meum aliquod factum condemnâsse.*] Vehementer quidem condemnat in epist. 10. lib. VII. ad Attic. his verbis: *O hominem amentem et miserum* (Caesarem) *qui ne umbram quidem unquam τȣ̃ καλȣ̃ viderit. Atque hæc ait omnia facere se dignitatis causa. Ubi est autem dignitas, nisi ubi est honestas? Num igitur honestum habere exercitum nullo publico consilio? occupare urbes civium, quo facilior sit aditus ad patriam.* Et paulo infra: *Malim mori millies, quam semel illiusmodi quicquam cogitare. Quid si tu velis, inquis? Age quis est, cui velle non liceat. Sed ego hoc ipsum velle miserius esse duco, quam in crucem tolli. Una res est ea misereor, adipisci quod ita volueris.*

3 *Periculi caussa sequi non potuerunt.*] Sic Cicero in epist. 23. lib. VIII. ait: *Periculum in utriusque iracundia positum est.*

4 *Ex itinere.*] In Hispaniam.

5 *M. Furium quem mihi commendas, vel regem Galliæ faciam, vel Leptæ legatum,* &c.] Totus hic locus, quia depravatus, obscurior est. Alii legunt *Orfium,* alii *Rufum, Ircium, Lesinum, Itbium, Ufsicium, Urfivium, Curtium.* Sed parvus est, si hic tantum sit, error. Lepta amicus erat Ciceronis qui ejus in Ciliciâ bellum facientis praefectus fabrum fuit, ut cognoscimus ex epist. 7. lib. III. ad Famil. cujusque adeo opera usus est multis in gravissimis rebus. Mittebat enim eum aliquando ad Pompeium. Sed non is erat, qui legatos habere posset. Nec enim erat Imperator, nec de eorum numero, quibus legati attribuebantur. Alii ergo ut Gruterus, legunt: *Vel hunc Leptæ delega.* Jocus porro est Caesaris, qui Ciceroni promittit se ad maxima exercitus munera evecturum quoscunque sibi commendâsset. Nihil verò majus, quam se devictae à se Galliae regem illum sit effecturus, quem sibi recenter commendaverat. Petrus Victorius suspicatur omnem loci obscuritatem nasci ex rei ipsius ignoratione; quod si historiam illius negotii teneremus, omnia plana fore, et in verbis nullam maculam esse interlectum iri. Sebastianus Corradus scribit quicunque epistolas ad Quintum fratrem viderit, collecturum esse legendum *Curtium.* Paulus verò Manutius legendum esse credit *leg.* 3*æ legatum.* Fortasse enim librarium scripsisse *leg. tæ* pro *legionis tertiæ,* quod deinde is qui legebat, cum non intelligeret, ex duabus dictionibus unam fecisse et scripsisse *Leptæ,* quod nomen passim in epistolis Ciceronis legitur.

6 *Neque pro cauto ac diligente se castris continuit.*] Ut cautum ac diligentem decuit. Sic lib. V. de bello Gallico, de Dumnorige: *Nihil hunc se absente pro sano facturum arbitratus.*

7 *Quid quæris, quid Caesar ad me scripserit? Quod sæpe.*] Id quod saepe scripsit. Laborabat enim, veritus ne Cicero faceret quod placere ipsi sciebat. Libido enim adversus Caesarem, metus pro Caesare suadebat.

mum sibi esse, quod quierim: oratque in eo ut perseverim. *Ex Cic. lib.* VIII. *Epist. ad Attic. Epist.* 11.

[1] De tribunatu quod scribis, ego vero nominatim petivi Curtio, et mihi ipse Cæsar nominatim Curtio paratum esse rescripsit. *Ex Cicer. lib.* III. *Epist. ad Quintum Fratrem, Epist.* 1.

[2] Quod quidem propemodum videor, ex Cæsaris litteris, ipsius voluntate facere posse: qui negat neque honestius, neque tutius mihi quidquam esse, quam ab omni contentione abesse. *Ex Cic. lib.* X. *ad Attic. Epist.* 10.

[3] Cæsar mihi ignoscit per litteras, quod non venerim; seseque in optimam partem id accipere dicit. Facile patior quod scribit, secum Tullum et Servium questos esse, [4] quia non idem sibi, quod mihi remisisset, &c. sed tamen exemplum misi ad te Cæsaris litterarum. *Ex Cicer. lib.* X. *Epist. ad Attic. Epist.* 3.

[5] Sextius apud me fuit, [6] et Theopompus pridie: venisse à Cæsare narrabat litteras: [7] hoc scribere, sibi certum esse Romæ manere; caussamque eam adscribere, quæ erat in epistolâ nostrâ, ne se absente [8] leges suæ negligerentur, [8] sicut esse neglecta Sumptuaria. *Ex Cic. lib.* XIII. *Epist. ad Attic. Epist.* 7.

NOTAE.

1 *De tribunatu quod scribis*, &c.] Is est quem Sebastianus Corradus pro M. Furio legit in epist. 5. lib. VII. ad Famil. Galliae regem à Caesare faciendum, vel Leptae legatum, cui Caesar paratum esse tribunatum propter Ciceronis commendationem rescribit. Eo enim tempore non à populo Rom. sed ab Imperatore tribunatus dabantur.

2 *Quod quidem propemodum videor*, &c.] De petenda Melita scribit, dum quid in Hispaniâ futurum sit, sciatur. Sed non exspectato belli Hispanici eventu, statim atque Caesar est in Hispaniam profectus, in Graeciam ad Pompeium transiit.

3 *Cæsar mihi ignoscit per litteras, quod non venerim.*] In urbem. Quod volebat.

4 *Qui non idem sibi, quod mihi remisisset.*] Ut deliberarent. Quod non remittebat, quia quod consilium caperent, ut viliores et minus ad suas partes momentum allaturi, laborabat minus. Itaque Tullus non dubitavit in senatum venire obsecutus Caesari, ut testatur in epistolis ad Attic. Cicero.

5 *Sextius apud me fuit.*] Is est pro quo Ciceronis exstat oratio.

6 *Et Theopompus pridie venisse à Cæsare narrabat litteras.*] Erat ut videtur, Caesaris familiaris, ad quem de tantis rebus scribebat litteras, et Ciceronis amicus, ad quem Caesaris consilio deferebat. Is mihi videtur esse qui fabulas collegerat, cujus gratia Cnidiis Caesar immunitatem dedit, teste Plutarcho in ejus vita.

7 *Hoc scribere.*] Caesarem.

8 *Leges suæ.*] Quas paullo ante tulerat quam in Hispaniam contra filios Pompeii proficisceretur.

9 *Sicut esset neglecta Sumptuaria.*] Quae sumptus civium moderabatur. De quâ sic Suetonius in Caesare, cap. 43. *Legem præcipuè Sumptuariam exercuit, dispositis circa Macellum custodibus, qui obsonia contra vetitum retinerent, deportarentque ad se, submissis nonnunquam lictoribus atque militibus, qui si qua custodes fefellissent, jam apposita à triclinio auferrent.* Atque ut intelligatur, absente Caesare, ejus Sumptuariam legem negligi solitam. Cicero epist. ad Famil. 15. lib. IX. sic scribit. *Quamdiu hic erit noster praefectus moribus* (Caesar) *parebo autoritati tuæ, cum vero abierit, ad fungos me tuos conferam.* Legis enim Sumptuariae inter-capita forte scriptum erant, ne quis vesceretur fungis. Lege Macrobium de Lege Sumptuaria, lib. III. Saturnalium, et Dionem, lib. XLIII. qui dicit Caesarem fuisse praefectum moribus, non censorem, antequam contra filios Pompeii in Hispaniam proficisceretur.

[1] Sed heus tu, celari videor à te. Quomodo nam, mì Frater, de nostris versibus Cæsar? Nam primum librum se legisse scripsit ad me antè: et prima, sic, ut neget se ne Græca quidem meliora legisse. Reliqua ad quendam locum ῥᾳθυμώτερα. Hoc enim utitur verbo &c. *Ex Cic. lib.* II. *Epist. ad Quintum Fratrem. Epist.* 16.

Ex Britanniá Cæsar ad me Calend. Septemb. dedit litteras, quas ego accepi [2] A. D. IV. Kal. Octob. satis commodas de Britannicis rebus: quibus, ne admirer, quòd à te nullas acceperim, scribit se sine te fuisse, cum ad mare acceserit, &c. *Ex Cic. lib.* III. *Epist. ad Quintum Fratrem, Epist.* 1.

Quum hanc jam epistolam complicarem, tabellarii à vobis venerunt A. D. XI. Kal. Septemb. [3] vicesimo die. O me sollicitum! quantum ego dolui in Cæsaris suavissimis litteris. Sed quo erant suaviores, [4] eo majorem dolorem illius ille casus afferebat. *Ex Cic. lib.* III. *Epist. ad Quintum Fratrem, Epist.* 1.

Caesar [5] Oppio et Cornelio S.

Gaudeo mehercule vos significare litteris, quam valde probetis ea, [6] quæ apud Corfinium sunt gesta. Consilio vestro utar libenter, et hoc libentius, quod meâ sponte facere constitueram, ut quam lenissimum me præberem, et Pompeium darem operam ut reconciliarent. Tentemus hoc modo, si possumus, omnium voluntates recuperare, et diuturna victoria uti: [7] quoniam reliqui diuturnitate odium effugere non potuerunt, neque victoriam diutius tenere [8] præter unum L. Syllam, quem imitaturus non sum. Haec nova sit ratio vincendi; ut misericordiâ, et liberalitate nos muniamus. Id quemadmodum fieri possit, nonnulla mihi in mentem veniunt, et multa reperiri possunt. [9] De his rebus, rogo vos, ut cogitationem susci-

NOTAE.

1 *Sed heus tu, celari videor,* &c.] Quibus de versibus verba faciunt, incertum est. Sed ii videntur esse qui ex Graeco quodam poëmate in Latinam orationem conversi sunt, qualia sunt Arati Phaenomena, quae in manibus habemus à Cicerone condita.

2 *A. D.* IV. *Kal. Octob.*] Id est, XXVIII. Septembris.

3 *Vicesimo die.*] Postquam viae mandaverant.

4 *Eo majorem dolorem illius ille casus afferebat.*] Casum illum arbitror fuisse decessum filiae Juliae, de quo ex Britanniâ reversus nuntium accepit, quoque rerum Romanarum fuit immutata facies.

5 *Oppio et Cornelio.*] Oppius erat amicus Caesaris, cui et VIII liber de bello Gallico et caeteri, qui negantur esse Caesaris, assignantur. Cornelius vero is est Balbus Gaditanus, do quo supra. Ambo res ejus curabant, ut intelligitur ex A. Gellio, lib. XVII. cap. 9.

6 *Quae apud Corfinium sunt gesta.*] Clementer. Vide lib. I. de bello civili. Balbus ipse Ciceroni in eandem sententiam scribit his verbis: *Factum Cæsaris de Corfinio totum me probaturum scito, et quomodo in bujusmodi re commodius cadere, non potuit, quam res sine sanguine confieret.*

7 *Quoniam reliqui diuturnitate odium effugere non potuerunt.*] Ut Cinna et Marius.

8 *Praeter unum L. Syllam, quem imitaturus non sum.*] Nolebat imitari, quia oderat, ejus saevitiam expertus.

9 *De his rebus rogo vos, ut cogitationem suscipiatis.*] Reperiendis quae nondum quisquam reperiebat.

piatis, [1] Cn Magium, Pompeii præfectum, deprehendi: scilicet meo instituto usus sum, et eum statim missum feci. [2] Jam duo præfecti Fabrûm Pompeii in meam potestatem venerunt, et a me missi sunt. Si volent grati esse, debebunt Pompeium hortari, ut malit mihi esse amicus, [3] quam iis, qui et illi, et mihi semper fuerunt inimicissimi: quorum artificiis [4] effectum est, ut Resp. in hunc statum perveniret. *Ex Cic. lib.* IX. *ad Att. Ep.* 8.

Caesar Oppio et Cornelio S.

[5] A. D. VII Id. Mart. Brundisium veni: ad murum castra posui. Pompeius est Brundisii: [6] misit ad me Cn. Magium de pace. Quae visa sunt respondi. Hoc vos statim scire volui. Quum in spem venero, de compositione aliquid me conficere, statim vos certiores faciam. Valete. *Ex Cic. lib.* IX. *Ep. ad Attic. Ep.* 16.

De Cæsare [a] fugerat me ad te scribere. Video enim quas tu litteras exspectaris. Sed ille scripsit ad Balbum, fasciculum illum epistolarum, in quo fuerat et mea, et Balbi, [7] totum sibi aqua madidum redditum esse: [8] ut ne illud quidem sciat, meam fuisse aliquam epistolam. Sed ex Balbi epistolà pauca verba intellexerat, ad quae rescripsit his verbis: De Cicerone video te quiddam scripsisse, quod ego non intellexi: quantum autem conjecturà consequebar, id erat hujusmodi, ut magis optandum quam sperandum putarem. Itaque postea misi ad Caesarem eodem illo exemplo litteras. Jocum autem illius de sua egestate ne sis aspernatus, &c. *Ex Cic. lib.* II. *ad Quintum Fratrem Epist.* II.

[9] Libri sunt epistolarum C. Cæsaris ad C. Oppium et Balbum Cornelium, qui res ejus absentis curabant. In his epistolis quibusdam in

INTERPRETATIO.

a *Oblitus eram ad te scribere.*

NOTAE.

1 *Cn. Magium Pompeii præfectum, deprehendi.*] Intellige *fabrum.* Sic enim appellat lib. I. de bello Civili.

2 *Jam duo præfecti fabrûm Pompeii in meam potestatem venerunt.*] Cn. Magius et L. Vibullius Rufus qui lib. III. de bello Civili dicitur praefectus Pompeii, tametsi *fabrûm* non addiderit; ut neque hic Cn. Magium praefectum fabrûm dicit, sed praefectum tantum.

3 *Quam iis.*] Marcellis et eorum similibus.

4 *Effectum est.*] Ab iis enim depravatus est Pompeius, et abalienatus à Caesare.

5 *A. D.* VII. *Id. Mart.*] VII Februarii.

9 *Misit ad me Cn. Magium de pace. Quae visa sunt respondi.*] Scribit tamen Idem Caesar lib. I. de bello Civili a se quidem missum, sed à Pompeio non remissum. Utrumque tamen factum hoc modo potest conciliari. Misit primum Pompeius Cn. Magium ad Caesarem. Caesar quae sunt visa respondit, misitque ad Pompeium qui responsa ferret eundem Magium, quem et reversurum esse exspectabat. Sed Pompeius, quia Caesaris responsa non placebant, Cn. Magium ad Caesarem non remisit.

7 *Totum sibi aqua madidum redditum esse.*] Vel imbris vel fluminis, in quod tabellarius fortuito deciderit.

8 *Ut ne illud quidem sciat, meam fuisse aliquam epistolam.*] Obliterata enim madore fuerat.

9 *Libri sunt epistolarum C. Cæsaris, &c.*] Et epistolae Caesaris et Probi Grammatici commentarii uno fato perierunt.

locis inveniuntur litteræ singulariæ, sine coagmentis syllabarum, quas tu putes positas inconditè. Nam verba ex his litteris confici nulla possunt. Erat autem conventum inter eos clandestinum, de commutando situ litterarum, ut inscriptio quidem alia aliæ locum et nomen teneret: sed in legendo locus cuique suus et potestas restitueretur, &c. Est adeo Probi Grammatici commentarius satis curiose factus, de occultâ litterarum significatione epistolarum C. Cæsaris scriptarum. *Ex A. Gell. lib.* XVII. *cap.* 9.

Caesar Q. Pedio S.

[1] Pompeius se oppido tenet: nos ad portas castra habemus: [2] conamur opus magnum, et multorum dierum, propter altitudinem maris: sed tamen nihil est, quod potius faciamus. Ab utroque portus cornu moles jacimus, ut aut illum quam primum transjicere, quod habet Brundisii copiarum, cogamus, aut exitu prohibeamus. *Ex Cic. lib.* IX. *Ep. ad Attic.* 17.

[3] Locellum tibi signatum remisi. *Ex Char. lib.* 1.

Nam ad me misit Antonius exemplum Cæsaris ad se litterarum, in quibus erat [4] se audivisse Cæsarem, et L. Metellum, in Italiam venisse, Romæ ut essent palàm: id sibi non placere; ne qui motus ex eo fierent: prohiberique omnes Italia, nisi quorum ipse caussam cognovisset, deque eo vehementiùs erat scriptum. *Ex Cic. ad Attic. lib.* XI.

[5] P. Servilius pater ex litteris, quas sibi à Cæsare missas esse dicebat, significat valdè te sibi gratum fecisse, quod de suâ voluntate erga Cæsarem humanissimè diligentissimèque locutus esses. *Ex Cic. lib.* III. *Epist. ad Quintum Fratrem, Epist.* 1.

DE C. JUL. CAESARIS EPISTOLIS TESTIMONIA.

Epistolae quoque ejus ad senatum extant: [6] quas primus videtur ad

NOTAE.

1 *Pompeius se oppido tenet.*] Brundisio.

2 *Conamur opus magnum et multorum dierum, propter altitudinem maris.*] Hoc est quod ait Lucanus:

Cedit in immensum cassus labor, omnia pontus
Haurit saxa vorax, montesque immiscet arenis.

3 *Locellum tibi signatum remisi.*] Diminutivum nomen à loculo, quo conditur pecunia. Hujus materia erat vel lignum vel ebur, vel aliud quidpiam. Obsignabantur autem omnia vasa, quibus pretiosae res continebantur, ut dolia, arcae, &c. ne paterent hominum, praesertim servorum insidiis.

4 *Se audivisse Cæsarem, et L. Metellum in Italiam venisse.*] Nostra exemplaria habent *Catonem*, et melius quidem, qui quantum displiceret Caesari, omnibus est notum L. Metellus is est tribunus pleb. qui lib. I. de bello Civili legitur restitisse Caesari aerariam aperire volenti, quem et occidi voluit, ut patet ex epist. 4. lib. X. ad Attic. tametsi non mandaverit. De quo supra in annot. ad lib. I. de bello Civili.

5 *P. Servilius pater.*] Is est de quo supra diximus ad initium lib. III. de bello Civili, qui Caesaris in secundo consulatu fuit collega, quique adeo, ut hic cognoscimus, ejus gratiam multo ante tempore ambiebat: nam haec epistola scripta fuit, cum in Britannia Caesar esset.

6 *Quas primus videtur ad paginas, et formam memorialis libelli convertisse.*] Memorialis libellus est Erasmo scriptum memoriae caussa paratum. Ejusmodi autem scriptum non unica pagina, sed pluribus constare solet, quia plura sunt, quae memoriae commendamus:

paginas, et formam memorialis libelli convertisse: [1] cum antea consules et duces non nisi transversâ chartâ mitterent scriptas. Extant et ad Ciceronem; item ad familiares domesticis de rebus. In quibus si qua occultiùs perferenda erant, per notas scripsit, id est, sic structo litterarum ordine, ut nullum verbum effici posset. Quæ si quis investigare et persequi vellet, quartam elementorum litteram, id est, O pro A, et perinde reliquas commutet. *Ex Suet. in Caes.* * *Harum mentio apud Cic. in Epist.* II. *lib.* XVI. *ad Famil.* Omnino et ipse Cæsar, amicus noster, minaces ad senatum et acerbas litteras miserat, &c.

Scribere, et legere simul, dictare et audire solitum accepimus. Epistolas verò tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, [2] aut si nihil ageret, septenas. *Ex Plin. lib.* VII. *cap.* 15.

Ἐν ἐκείνῃ δὴ τῇ στρατείᾳ προσεξήσκησεν ἱππαζόμενος τὰς ἐπιστολὰς ὑπαγορεύειν· καὶ δυσὶν ὁμοῦ γράφουσιν ἐξαρκεῖν· ὡς δὲ Ὄππιός φησι, καὶ πλείοσιν· λέγεται δὲ καὶ τὸ, διὰ γραμμάτων τοῖς φιλοῖς ὁμιλεῖν, Καίσαρα πρῶτον μηχανήσασθαι. Ex Plut. in Caes.

At illo in bello insuper meditatus fuerat epistolas inter equitandum dictare, duobusque simul scribentibus sufficere; ut verò ait Oppius, etiam pluribus. Memorant eum praeterea rationem cum amicis per litteras agendi principem extitisse.

[3] Quæstor Juliam amitam, uxoremque Corneliam, defunctas laudavit [4] è more pro rostris. Sed in amitæ quidem laudatione, de ejus ac patris sui utraque origine sic refert. Amitæ meæ Juliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus conjunctum est. [5] Nam ab Anco Martio sunt Martii reges: [6] quo nomine fuit mater. [7] A Venere Julii, cujus gentis familia est nostra. Est ergo in genere

NOTAE.

quae adeo non unica pagina possent contineri. Caesar verò cum longiores epistolas scribere instituisset, ejusmodi scripsit, epistolas quae plures paginas implerent.

1 *Cum antea consules et duces non nisi transversa charta mitterent scriptas.*] Hoc est more nostro scriberent, non prorsùs, id est ante, sed rursus vel retro, ut dicitur. Sic Plautùs in Pseudolo:

Non prorsus, verum ex transverso cedit, quasi cancer solet.

Et transversus agi dicitur Latine, qui vi et impetu quodam ab instituto deflectitur. Ductam apparet, inquit Erasmus, à navigantibus, qui secundo vento, recto cursu feruntur, flatu adverso transversi aguntur.

2 *Aut si nihil ageret septenas.*] Id est si neque legeret, neque dictaret, neque audiret.

3 *Quæstor Juliam amitam.*] Haec erat C. Marii uxor, ex qua natus C. Marius Juniôr. Unde illi studium Marianarum partium.

4 *E more.*] Is mos, teste Livio, inde ortus, quod cum aurum in publico deesset, undè Gallis Romanam arcem oppugnantibus, summa pactae mercedis, confieret idque esset â matronis collatum, institutum est ut earum, sicut virorum, solennis esset laudatió.

5 *Nam ab Anco Martio sunt Martii reges.*] Quo nomine et qua gente erat Q. Martius rex, qùi v ante Ciceronem anno consul factus est cum L. Metello, et contra Manlium Catilinarium ducem missus est à Senatu in Hetrùriam, ut autor est Sallustius, à quo et dicta aqua Martia, cujus meminit Plinius, lib. XXXVI.

6 *Quo nomine fuit mater.*] Juliae Caesaris amitae, quae laudatùr.

7 *A Venere Julii.*] Venus enim ex Anchisa Aeneam peperit Julii Ascanii patrem, à quo Gens Julia deducebatur.

et sanctitas regum, qui plurimum inter homines [a] pollent, et cærimonia Deorum [1] quorum ipsi in potestate sunt reges. *Ex Suet. in Caesare.*

Ὅτε τῆς Μαρίου γυναικὸς ἀποθανούσης, ἀδελφιδοῦς ὢν αὐτῆς ἐγκώμιόν τε λαμπρὸν ἐν ἀγορᾷ διῆλθεν, καὶ περὶ τὴν ἐκφορὰν ἐτόλμησεν εἰκόνας Μαρίου προθέσθαι. Ex Plut. in Caesare.

Quum Marii uxorem Juliam amitam suam defunctam eximiè laudavit in foro, atque in funere usus est Marii imagines praeferre.

[2] C. Caesar Pont. Max. in oratione, quam pro Bithynis dixit, hoc principio usus est. [3] Vel pro hospitio regis Nicomedis, vel pro horum necessitate, quorum res agitur, refugere hoc munus M. * Vinici, non potui. Nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin à proximis retineatur; neque clientes sine summa infamiâ deseri possunt, [4] quibus etiam à propinquis nostris opem ferre instituimus. *Ex A. Gel. lib.* v. *cap.* 13. * *Ita Fulvius Ursinus ex libri manuscripti corruptâ scripturâ.*

[5] Quid ergo? syngraphae non sunt, sed res aliena est. *Ex Julio Rufiniano de Figuris.*

[6] Reperi tamen in oratione C. Caesaris, quâ Plautiam rogationem suasit; [7] necessitatem dictam pro necessitudine, id est jure adfinitatis. Verba haec sunt: Equidem mihi videor pro nostrâ necessitate, non labore, non operâ, non industriâ defuisse. *Ex A. Gel. lib.* XIII. *cap.* 3. *et Nonio in voce* Necessitas.

[8] Caesar in Dolabellam Actionis III. Ibi isti, quorum in aedibus fa-

INTERPRETATIO.

a *Possunt.*

NOTAE.

1 *Quorum ipsi in potestate sunt reges.*] Sic Horatius:

Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Jovis.

2 *C. Cæsar Pont. Max. in oratione, quam pro Bithynis dixit.*] Erat Pontifex Maximus, quum illam orationem dixit.

3 *Vel pro hospitio regis Nicomedis, vel pro horum necessitate.*] Cum à Sylla ad necem inquireretur, mari ad regem Bithyniae Nicomedem confugit. Unde illi cum Bithynis necessitudo intercédebat, quam hoc loco necessitatem appellat.

4 *Quibus etiam à propinquis nostris opem ferre instituimus.*] Secundo loco à propinquis.

5 *Quid ergo? syngraphæ non sunt, sed res aliena est.*] Julius Rufinianus executus apophasim venustum schema seu alio nomine aetiologiam, ejus addit cum exempla nonnulla, tum hoc ex oratione Caesaris pro Bithynis, quod propter brevitatem insignem non explicare licet. Rei enim tota cognitio in facto posita est.

6 *Reperi tamen in oratione C. Cæsaris, qua Plautiam rogationem suasit.*] Lex haec lata est anno urb. cond. DCLXXV. P. Lutatio Catulo, M. Aemilio Lepido coss. à M. Plautio Syllano trib. pleb. cujus haec videntur fuisse capta. Is cujus haec quaestio erit, de ejus capite quaerito, qui adversus rempublicam conjuraverit, insidias senatui fecerit, magistratibus vim attulerit, qui cum telo in publico fuerit, aut seditionis causa loca superiora occupârit, qui possessorem è fundo hominibus armatis dejecerit dolo malo, aut armatis objectis, ut inde profugeret causam attulerit, prohibetoque ne praedium, unde dejectus possessor sit, usu capiatur. Eis damnatis aqua et igni interdicito. Qua lege Sallustius dicit Catilinam interrogatum à L. Paulo, multos item à Cicerone.

7 *Necessitatem.*] De quâ voce diximus.

8 *Cæsar in Dolabellam.*] Suetonius et Plutarchus hunc docent consularem et trium-

nisque posita, et honori erant, et ornatu. In libris quoque Analogicis omnia istiusmodi sine I littera dicenda censet. *Ex A. Gell. lib.* IV. *cap.* 16.

Nono decimo aetatis anno [1] L. Crassus [2] C. Carbonem, uno et vicesimo Caesar Dolabellam, altero et trigesimo [3] Asinius Pollio Catonem, nonnullo aetatem antecedens [4] Calvus Vatinium, iis orationibus insecuti sunt, quas hodie cum admiratione legimus. *Ex autore Dialogi de oratoribus.*

[6] Caeterum compositâ seditione civili, Cornelium Dolabellam consularem et triumphalem virum repetundarum postulavit, absolutoque Rhodum secedere statuit. *Ex Suet. in Caesare.*

NOTAE.

phalem virum à Caesare accusatum repetundarum, sed absolutum. Videtur tamen Asconius Pedianus damnatum existimare. Sic enim in divinationem, in illum locum Ciceronis: *Videt etiam si à pueris nobilibus. Significat et Cæsarem adolescentem in Dolabella reo ex Sicilia qui quidem damnatus est quantum potuit per Hortensii gratiam. Nam si non damnatus est Dolabella, quomodo postea dicit Tullius : Jamjam Dolabella neque me tui, neque tuorum liberum miseret, quos tu miseros in egestate ac solitudine reliquisti?* Gesserat ille Dolabella consulatum cum M. Tullio anno urbis cond. DCLXXIII.

1 *L. Crassus.*] De hoc sic Cicero in Bruto: *Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. Erat*, &c. Et paulo infra, quod ad hunc locum facit scribit : *Mature in locum principum oratorum venit. Accusavit C. Carbonem eloquentissimum hominem admodum adolescens summam ingenii non laudem modo, sed admirationem est consecutus.* Consul tandem factus cum Q. Mutio Scaevola anno V. C. DCLIX.

2 *C. Carbonem.*] Is est qui ter consul fuit, ut testatur Plutarchus, qui cum Sylla bellavit, quia à Cn. Pompeio fuit interfectus, qui et in praeclarorum oratorum numerum à Cicerone refertur in Bruto, ubi sic ipsum laudat : *Utinam in Tib. Graccho et C. Carbone talis mens ad rempubl. bene gerendam, quale ingenium ad bene dicendum fuit. Profecto nemo his viris gloria praestitisset.* Et paulo post: *Carbo, quoad vita suppeditavit, est in multis judiciis caussisque versatus.*

3 *Asinius Pollio Catonem.*] Ex Senecae controversia 19. lib. III. intelligitur Catonem esse ab Asinio Pollione accusatum. Ex Ciceronis epist. 15. lib. IV. ad Attic. absolutum fuisse patet Lege Licinia. Quis fuerit Cato, supra dictum. Asinius Pollio insignis fuit orator qui v à morte C. Caesaris anno cum Cn. Domitio consul fuit, cujus in gratiam Virgilius illam Eclogam scripsit cujus est initium :

Sicelides Musae.

Idem semper Ciceroni infensus.

4 *Calvus.*] Praeclarus orator, de quo Ciceronis vide judicium in Bruto et epist. ultima, lib. XV. ad Famil. de quo sic Quintilianus, lib. X. cap. 1. *Inveni qui Calvum præferrent omnibus, inveni qui Ciceroni crederent cum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse. Sed est et sancta et gravis oratio, et castigata, et frequenter vehemens quoque. Imitator est autem Atticorum, fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus, non si quid detracturus fuit.* Porro quod hic habetur scribit idipsum Quintilianus, lib. XII. cap. 6. *Agendi initium sine dubio secundum vires cujusque sumendum est : neque ego annos definiam, cum Demosthenem puerum admodum actiones pupillares habuisse manifestum sit. Calvus, Cæsar, Pollio multum ante quaestoriam omnes aetatem gravissima judicia susceperint.*

5 *Ex autore Dialogi de oratoribus.*] Hic Dialogus adscribitur Tacito, quanquam Fabii Quintiliani esse videatur. Argumentum ejus est : An sui saeculi oratores antiquis et quare concedant, et cum multas causas affert, tum hanc imprimis, quod juvenes non in scholas olim deducerentur, sed ad eum oratorem, qui principem locum in civitate teneret, sic apud eum in proelia pugnare didicisse, non in umbra inde factum ut adolescentuli accusationes aut defensiones susceperint. Itaque nono decimo aetatis anno.

6 *Cæterum composita seditione Civili.*] Quae per M. Lepidum movebatur, cujus spe ex Asia Romam propere Caesar redieret. Cum enim is Lepidus consul acta Syllae rescindere

[1] Divus quoque Julius, [2] quam coelestis numinis, tam etiam humani ingenii perfectissimum columen, vim facundiae propriæ expressit, dicendo in accusatione Cn. Dolabellæ, quem reum agit, extorqueri sibi caussam optimam [3] L. Cottæ patrocinio. *Ex Valerio Max. lib.* VIII. *cap.* 9.

C. Cæsar Cn. Dolabellam accusavit, nec damnavit. *Ex Pediano in orat. pro Marco Scauro.*

Significat et Cæsarem, item adolescentem in Dolabella reo ex Sicilia, qui quidem damnatus est quantum oportuit per Hortensium, &c. *Ex Pediano in Divin.*

Ἐπανελθὼν δ' εἰς Ῥώμην, Δολαβέλλαν ἔκρινε κακώσεως ἐπαρχίας, καὶ πολλαὶ ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος τῶν πόλεων μαρτυρίας αὐτῷ παρέσχον. ὁ μὲν οὖν Δολαβέλλας ἀπέφυγε τὴν δίκην. Ex Plut. in Caesare.

Ad urbem verò reversus postulavit Dolabellam repetundarum civitatesque Graeciae frequentes ei testimonium dixere, verum absolutus Dolabella est.

[4] Fama vero hostilium copiarum perterritos, non negando minuendove, sed insuper amplificando, ementiendoque confirmabat. Itaque cum exspectatio adventûs Jubae terribilis esset, convocatis ad concionem militibus; Scitote, inquit, paucissimis his diebus regem affuturum cum x legionibus, equitum xxx, levis armaturae c millibus, elephantisque ccc. Proinde desinant quidam quaerere ultra, aut opinari: mihique, qui compertum habeo, credant: aut quidem vetustissima nave impositos quocumque vento in quascumque terras jubebo avehi. *Et Suet. in Caesare.*

C. Caesar apud milites de * incommodis eorum: Non frustrabo vos, milites. *Ex Diomede lib.* 1. * *Alias,* commodis.

[5] Nisi forte quisquam aut Cæsaris pro Decio Samnite, [6] aut Bruti pro Dejotaro rege, caeterosque [7] cujusdam lenti luminis ac temporis libros legit, *&c.* *Ex autore Dialogi de oratoribus.*

NOTAE.

vellet, à Q. Catulo collega ex Italia pulsus est, de quo Lucanus:

——— *sternêre profecto,*
Ut Catulo jacuit Lepidus.

et morbo in Sardinia periit, quem mœror ex adulterio uxoris cognitò conceptus attulerat. Teste Plutarcho in Pompeio.

1 *Divus quoque Julius.*] Quia in Deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed et persuasione vulgi, ut testatur Suetonius in ejus vita.

2 *Quam coelestis numinis, tam etiam humani ingenii perfectissimum columen.*] Quantus Deus, tantus homo, ut summus Deus, ita summus homo cui nihil defuit ad divinitatis perfectionem, princeps Deorum atque hominum. Columen enim seu columna, ea re cujus est columen validius ac firmius sit necesse est.

3 *L. Cottae patrocinio.*] De hoc Cicero in Bruto dicit: *Ex his Cotta et Sulpitius cum meo judicio tum omnium facile primas tulerunt.*

4 *Fama vero hostilium,* &c.] Vide lib. de bello Africano.

5 *Nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite.*] Nullam usquam legi ejus Decii Samnitis commemorationem.

6 *Aut Bruti pro Dejotaro rege,* &c.] Orationes; verisimile est Brutum, qui Caesaris amicitiâ florebat, Dejotari à Castore nepote apud Caesarem accusati patrocinium, ut Ciceronem ipsum suscepisse.

7 *Cujusdam lenti lumini ac temporis libros legit.*] Negat enim eos esse acres Oratores.

[1] Catonem primum putat de animadversione dixisse, quam omnes ante dixerant praeter Caesarem. Et cum ipsius Caesaris tam severa fuerit, [2] qui tum praetorio loco dixerit, &c. *Ex Cic. et Attic. lib.* XII.

[3] Sed Caesar ubi ad eum perventum est, rogatus sententiam à consule, hujuscemodi verba locutus est: Omnes homines, &c. *Ex Sallust. in Conjur.*

Ὁ δὲ Καῖσαρ ἀναςὰς λόγον διῆλθεν πεφροντισμένον, ὡς ἀποκτεῖναι μὲν ἀκρίτȣς ἄνδρας ἀξιώματι καὶ γένει λαμπροὺς, ȣ̓ δοκεῖ πάτριον ȣ̓δὲ δικαιὸν εἶναι μὴ μετά τῆς ἐσχάτης ἀνάγκης· εἰ δὲ φρȣροῖντο δεθέντες ἐν πόλεσι τῆς Ἰταλίας, ἃς ἂν αυτὸς ἕληται Κικέρων, μέχρι ȣ̃ καταπολεμηθῇ Κατιλίνας, ὕςερον ἐν ειρηνῆ καὶ καθ᾽ ἡσυχίαν περὶ ἑκάςȣ τῆ βȣλῇ γνῶναι παρέξει· ȣ̔τω δὲ της γνῴμης φιλανθρώπȣ φανείσης. καὶ τȣ λόγȣ δυνατῶς επ᾽ αττῇ ῥηθέντος, ȣ̓ μονον οἱ μετὰ τȣ̃τον ἀνιςάμενοι προσετιθεντο, πολλοι δε καὶ τῶν τὰς ειρημενας γνωμας ἀπειπάμενοι πρὸς τὴν εκείνȣ κατέςησαν, εως επὶ Κάτωνα το πρᾶγμα καὶ Κάτȣλον περιῆλθεν. Ex Plut. in Caesare.

At Caesar surgens orationem habuit accuratè meditatam, retulitque viros dignitate et genere illustres indictâ caussâ necare, non videri sibi nec usitatum nec legitimum, nisi ultimâ urgente necessitate. Quod si vincti in municipiis per Italiam, quae ipse eligeret Cicero, quoad debellatus foret Catilina, custodirentur, tunc partâ pace otiosè senatum de unoquoque cogniturum. Ita sententia levis quum esset visa, et magna cum contentione oratio dicta, non solum qui post illum dicturi surrexerunt, assensi sunt; sed multi eorum, qui ante eum dixerant, discedentes à sua sententia, in illius transière sententiam, donec ad Catonem et Catulum ventum est.

Sic fac existimes: post has miserias, id est postquam armis disceptari cœptum est de jure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate. [4] Nam et ipse Cæsar, accusatâ acerbitate Marcelli (sic enim appellabat) [5] laudatâque honorificentissimè et aequitate tuâ et prudentiâ, re-

NOTAE.

1 *Catonem primum putat de animadversione dixisse,* &c.] Brutus ad Atticum epistolam miserat, in qua quid de manifestis sociis Catilinae, Lentulo, Cethego et aliis statutum in senatu fuisset. Illam epistolam ad Ciceronem Atticus miserat. Verum Cicero, qui in re presenti fuerat, à Bruto censet ignoratum fuisse quod gestum esset, et quae falsa sciebat esse reprehendit. At prima pars non omnino falsa fuit, siquidem, ut ait Suetonius, Decium Syllanum consulem designatum non piguit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire velut gravius, atque ipse sensisset exceptam.

2 *Qui tum praetorio loco dixerit.*] Id Suetonius docet Caesarem eo tempore fuisse praetorem creatum. Qui autem creati erant magistratus, priores sententiam rogabantur à consule, quod praerogari appellabant.

3 *Sed Caesar, ubi ad eum perventum est,* &c.] Vide rem totam fuse narratam apud Sallustium in bello Catilinario.

4 *Nam et ipse Caesar, accusata acerbitate Marcelli (sic enim appellabat,)* &c.] Quia ipsum Marcellus consul erat persecutus. Retulerat enim ad senatum ei ut ante tempus succederetur, et ne absentis ratio in comitiis haberetur, et ut colonis, quos Caesar Novocomum deduxisset civitas adimeretur, in omnibus eum latronem appellans.

5 *Laudataque honorificentissime et æquitate tua et prudentia.*] Servius enim Sulpitius, ad quem epistola scribitur, qui alter illo anno consul erat, aequior Caesari fuerat, adeo ut per illum, teste Suetonio, Caesar Marcello resisteret.

pentè praeter spem dixit, se senatui roganti de Marcello, ne * hominis (L. ominis) quidem causa negaturum. *Ex Cic. lib.* IV. *ad Fam. Epist.* 4. *ad Ser. Sulpic.*

Quaestor Juliam amitam, uxoremque Corneliam defunctas laudavit è more pro rostris. *Ex Suet. in Caesare.*

Τὸ μὲν ὖν ἐπὶ γυναιξὶ πρεσβυτέραις λόγοις ἐπιταφίοις διεξίεναι πάτριον ἦν Ῥωμαίοις, νέαις δὲ ὐκ οὖν ἐν ἔθει. πρῶτος εἶπεν Καῖσαρ ἐπὶ τῆς ἑαυτῦ γυναικὸς ἀποθανέσης. Ex Plut. in Caesare.

In honorem quidem magnarum natu foeminarum orationes funebres habere, id moris erat Romani; id adolescentiorum vero funeribus cum moris non esset, Caesar primus uxorem suam defunctam laudavit.

DE C. JULII CÆSARIS ORATIONIBUS TESTIMONIA.

Tum Brutus: Orationes quidem ejus mihi vehementer probantur, [2] complures autem legi, &c. *Ex Cic. in Bruto.*

[3] Orationes aliquas reliquit, inter quas temerè quaedam feruntur. Pro Q. Metello, quam non immeritò Augustus existimat magis [4] ab actuariis exceptam, malè subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam. Nam in quibusdam exemplaribus invenio ne inscriptam quidem pro Metello, sed quam scripsit Metello, cùm ex persona Caesaris sermo sit, Metellum seque adversus communium obtrectatorum criminationes, purgantis. Apud milites quoque in Hispaniâ idem Augustus orationem esse vix ejus putat. Quae tamen duplex fertur, [5] una quasi priore habita proelio, altera posteriore, quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit, subitâ hostium incursione. *Ex Suet. in Caesare.*

NOTAE.

1 *Ne * hominis (L. ominis) quidem causa negaturum*] Id est, Marcelli ipsius, etsi non interveniret senatus deprecatio, cui Marcello vel soli perlibenter parceret. Nempe ut Marcello gratam faceret restitutionem, cum non senatus tantum deprecantis, sed fui etiam rationem habitam esse à Caesare videret.

2 *Complures autem legi.*] Hoc iterum Cicero confirmat in oratione pro Dejotaro ubi sic colloquitur Caesarem: *Quae quoniam angustiora parietes faciunt, tuum est, Caesar, qui pro multis saepe dixisti, quid nunc mihi animi sit ad te ipsum referre.*

3 *Orationes aliquas reliquit, inter quas temerè quaedam feruntur. Pro Q. Metello.*] Metellus trib. plebis legem promulgavit qua Pompeio demandandum censebat, ut videret ne quid respublica detrimenti caperet propter periculum, quod à Catilina imminebat, ipseque ut in Italiam suas copias transportaret, et urbem à Catilina defenderet. Sed specie Catilinae repellendi id agebatur, ut respubl. Pompeio traderetur. Qua in lege ferenda multum Caesaris praetoris opibus adjuvabatur Metellus. Restitit Cato incitatae per tribunum multitudini, suoque consilio et constantia ne lex ferretur impedivit, utpote quae seditionem Romae et bellum civile excitaret. Rem totam fuse apud Plutarchum enarratum vide in Catone.

4 *Ab actuariis exceptam.*] Actuarii sunt qui acta excipiunt, et veloci stylo scribunt. Quod significare videtur Seneca, epist. 33. *Multum viva vox facit, non quidem haec, quae alienis verbis commodatur et actuarii vice fungitur.*

5 *Una quasi priore habita proelio, altera posteriore.*] Caesar duo proelia adversus Pompeii filios in Hispania fecit, alterum apud Cordubam, alterum apud mundam; quo in postremo militibus suis clamitabat, ut scribit. Appianus, si nihil pudoris superest, corripite me et in puerorum manus tradite. Ita suis rebus diffidebat, seu potius desperabat.

[1] Reliquit et de Analogia duos libros, [2] et Anticatones totidem. *Suet. in Caesare.*

Caesar in Anticatone priore: [3] Uno enim excepto, quem aliusmodi atque omnis natura finxit, suos quisque habet caros. *Priscianus bis lib.* VI. *et lib.* VII. *et lib.* XIII.

[4] Erunt officia antelucana, in quae incidere impunè ne Catoni quidem licuit. Quem tamen Caius Caesar ità reprehendit, ut laudet. Describit enim eos, quibus obvius fuerit, cum caput ebrii retexissent, erubuisse. Deinde adjicit: Putares non ab illis Catonem, sed illos a Catone deprehensos. Potuitne plus autoritatis tribui Catoni, quam si ebrius tam venerabilis erat? Nostræ tamen cœnæ ut apparatus et impendii, sic temporis modus constet. Neque enim hi sumus, quos vituperare ne inimici quidem possunt, nisi ut simul laudent. *Ex Plin. lib.* III. *Epist. ad Attil. Sever.*

C. etiam Cæsar, gravis autor linguæ Latinæ, in Anticatone: Unius, inquit, arrogantiæ, superbiæque, [5] dominatuque. *Ex A. Gell. lib.* IV. *cap.* 16.

DE C. JULII CÆSARIS IN CATONEM SCRIPTIS TESTIMONIA.

[6] Qualis futura sit Caesaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia

NOTAE.

1 *Reliquit et de Analogia duos libros.*] Graeci ἀναλογίαν vocant quam Latini proportionem dicunt. Ea autem proportio verborum est, atque adeo tota est Grammatica tractatio. Pro analogia et contra analogiam Varro subtilissime disseruit. Crates item contra analogiam adversus Aristarchum, qui illius vim probabat, omnes ingenii nervos contendit. Hanc tractationem licet Grammaticam non à se alienam aut se indignam judicavit Caesar. Itaque Quintilianus, lib. I. *An vim Cæsaris fregerunt editi de Analogia libri?* Hos libros ad M. Ciceronem scripsisse testis est locuples A. Gellius, lib. XIX. cap. 8.

2 *Et Anticatones totidem.*] Id est libros contra Catonem jam mortuum, quibus respondet laudationi Catonis, quam M. Tullius Cicero confecerat.

3 *Uno enim excepto, quem aliusmodi atque omnis natura finxit, suos quisque habet caros.*] Verum illud quidem est quod à Cicerone scriptum legimus lib. I. de offic. *Principio generi animantium omni est â natura tributum, ut se vitam corpusque tueatur, &c. Commune item animantium omnium est conjunctionis appetitus procreandi causa, et cura quaedam eorum quae procreati sunt.* Verum Catonem non talem finxerant natura, sed philosophia quae justi et aequi, non consanguinitatis rationem habere suasit.

4 *Erunt officia antelucana, &c.*] Plinius secundus amico suo ad coenam vocanti promittit se venturum, sed certis conditionibus. *Ut coena sit expedita, sit parca, Socraticis tantum* (id est philosophicis) *sermonibus abundet, in his quoque teneat modum, Erunt officia antelucana.* Nam si ejusmodi confabulationibus in multam noctem coena prorogetur, venient ad salutationis officium ante lucem clientes, qui si madidos vino offenderint, nobis paratum est dedecus, quod vitare non potuit etiam decorus vir Cato. Verisimile est autem haec petita ex Anticatone, quod Cicero, lib. XII, epist. ad Attic. collecta Catonis esse à Caesare vitia scribit.

5 *Dominatuque.*] Supra dictum solitos esse dandi casus in *u* non in *ui* finiri.

6 *Qualis futura sit Cæsaris vituperatio contra laudationem meam.*] Magnum volumen Catonis laudibus impleverat Cicero. Has laudes cum suo probro putavit Caesar esse conjunctas, quod perpetuo ab illo fuerat ab aliena-

Catonis, sed cum maximis laudibus meis: itaque misi librum [1] ad Muscam, ut tuis librariis daret. Volo enim eum divulgari. *Ex Cicer. ad Att. lib.* XII.

Hirtii epistolam si legeris, quae mihi quasi πρόπλασμα videtur ejus vituperationis, quam Caesar scripsit de Catone. *Ex lib.* XII. *ad Attic.*

Cum mihi Balbus nuper [2] in Lanuvino dixisset, se et Oppium scripsisse ad Cæsarem, me legisse libros contra Catonem, [3] et vehementer probasse. *Ex lib.* XIII. *ad Attic.*

[4] Quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Caesar [5] contra Catonem meum. *Ex Cic. in Topic.*

M. Ciceronis libro, quo Catonem coelo aequavit, quid aliud dictator Caesar, quam rescriptâ oratione velut apud judices respondit? *Ex Tacit. lib.* IV.

[6] Hisque usum C. Caesarem in vituperando Catone notaverit * Cicero. *Ex Quintil. lib.* III. (* *in Topicis.*)

Ut Catonem Tullius laudans: et duobus voluminibus Caesar accusans. *Ex Mart. Capell. lib.* V.

> *Atque utinam ritus veteres, et publica saltem*
> *His intacta malis agerentur sacra. Sed omnes*
> *Noverunt Mauri, atque Indi, quae psaltria penem*
> [7] *Majorem, quam sint duo Caesaris Anticatones,*
> *Illuc,* &c. Ex Juven. Sat. VI. vers. 333.

NOTAE.

tus dissidio. Itaque Catonis ipse vituperationem scripsit, cujus non tantum copiam Ciceroni fecit Hirtius, sed etiam προπλάσματος, id est, speciminis, quod antequam ipsum opus aggrederetur, Caesar adumbraverat. Tanta autem solertia fuit opus à Caesare compositum, ut eum in Catonem mortuum totum dirigeretur, Ciceroni tamen laudatori parceret, imo et hominem laudaret. Nam Ciceronis orationem ibidem laudavit Caesar, ut similem Periclis et Theramenis sermoni. Autor Plutarchus in Cicerone.

1 *Ad Muscam.*] Quidem Sempronius Musca apud Val. Maximum commemoratur, sed an is sit, non satis scio.

2 *In Lanuvino.*] Praedio prope Lanuvium oppidum, quod nunc *Indovino* dicitur. Sic à Tusculo oppido sit Tusculanum.

3 *Et vehementer probasse.*] Non tantum contra Ciceronem scripsit Caesar non sine laudibus Ciceronis, sed scriptum Caesaris Cicero suo calculo comprobavit. Utinam quicumque de argumentis sacris vel profanis controversias inter se vel stylo vel voce christiani homines agitant, christiano hoc exemplo etiam non christianis usitato mallent, quam contumeliis rem gerere.

4 *Quibus omnibus generibus usus est nimis imprudenter Caesar.*] Haec genera sunt quae ipse ibidem posuit: *Aut negari potest id factum esse quod laudatur, aut non eo nomine afficiendum quo laudatur affecerit, aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non jure factum sit.*

5 *Contra Catonem meum.*] Laudationem meam Catonis.

5 *Hisque usum C. Cæsarem.*] Cum Fabius in hujus libri III. cap. 6. dixerit esse status causae tres: An sit, Quid sit, et Quale sit; hicque postremus status qualitatis status appelletur hoc. cap. 7. quod totum est de genere demonstrativo, id est, de laude et vituperatione; ait tres status cadere in hoc opus posse hisque usum Caesarem in vituperando Catone à Cicerone fuisse notatum. Quod in superiore fragmento legimus.

7 *Majorem, quam sint duo Caesaris Anticatones.*] Longos illos oportet libros fuisse, quorum de magnitudine magnis rebus petatur comparatio, quamvis satyrico more à Juvenale Poëta.

Πυθόμενος δὲ ὡς ἑαυτὸν ὁ ἀνὴρ διειργάσατο, δῆλος μὲν ἦν δηχθεὶς ἐφ' ᾧ δὲ, ἄδηλον· εἶπε δ' ὖν· ὦ Κάτων, φθονῶ σοι τῦ θανάτυ, καὶ γάρ σύ μοι τῆς σωτηρίας ἐφθόνησας· ὁ μὲν ὖν μετὰ ταῦτα γραφεὶς ὑπ' αὐτῦ πρὸς Κάτωνα τεθνεῶτα λόγυς, ὐ δοκεῖ πράως ἔχοντος, ὐδὲ ευδιαλλάκτως σημεῖον εἶναι. πῶς γὰρ ἐφείσατο ζῶντος, εἰς ἀναίσθητον ἐγχέας ὀργὴν τοσαυτην. Paulo post: Καὶ τὸν λόγον ἐκεῖνον ὐκ ἐξ ἀπεχθείας, ἀλλὰ φιλοτιμίας πολιτικῆς συντετάχθαι διὰ τοιτύτην αἰτίαν· ἔγραψε Κικέρων ἐγκώμιον Κάτωνος, ὄνομα τῷ λόγῳ θέμενος Κάτωνα· καὶ πολλοῖς ὁ λόγος ἦν διὰ σπυδῆς, ὡς εἰκὸς ὑπὸ τῦ δεινοτάτυ τῶν ῥητόρων εἰς τὴν καλλίςην πεποιημένος ὑποθεσιν. τῦτο ἠνία Καίσαρα, κατηγορίαν αὐτῦ νομίζοντα τὸν τοῦ τεθνεῶτος δι' αὐτὸν ἔπαινον. ἔγραψεν ὖν πολλάς τινας κατὰ τῦ Κάτωνος αἰτίας συναγαγών. τὸ δὲ βιϐλίον Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται· καὶ σπυδαςάς ἔχει τῶν λόγων ἑκάτερος δια Καίσαρα καὶ Κάτωνα πολλύς. Ex Plut. in Caesare.

Ubi vero ad cum allatum est manus sibi Catonem violentas attulisse, ostendit ea re se morderi Caesar. Qua vero de causa obscurum est. Ait autem: Invidio tibi, Cato, hoc lethum, siquidem mihi tuam salutem invidisti. Enimvero quam postea in Catonem defunctum orationem scripsit, non apparet benigni vel placabilis in eum animi habere significationem. Quî enim pepercisset vivo, in quem exanimem tantam bilem effuderit? Paulo post; *Nec conjectant hunc librum odio, sed civili adductum ambitione commentatum fuisse ex ejusmodi causa. Scripsit Cicero Catonis laudationem, cui libro Catonem nomen indidit, is nimirum omnium manibus terebatur, ut ab Oratore eloquentissimo in argumento factus praestantissimo. Pupugit id Caesarem suum esse crimen arbitratum ejus, qui sui causa mortuus esset, laudationem. Scripsit igitur ejus criminationem, multis in eum collectis criminibus, librum Anticatonem inscripsit. Habet autem uterque liber aemulos Caesaris et Catonis causa multos*

Αὐτὸς δ' ὖν ὕςερον ἐν τῇ πρὸς Κικέρωνα περὶ Κάτωνος ἀντιγραφῇ, παραιτεῖται, μὴ ςρατιωτικῦ λόγον ἀνδρὸς ἀντεξετάζειν πρὸς δεινότητα ῥήτορος εὐφῦς, καὶ σχολὴν ἐπὶ τῦτο πολλὴν ἄγοντος. Ex Plut. in Caesare.

At postmodum in oratione, qua Ciceronis Catoni respondit, deprecatur, ne quis hominis militaris dictionem, cum oratoris solertis, quique multum in ea re otii posuerit, loquentia conferat.

Ἐκ δὲ τύτυ διετέλει τιμῶν καὶ φιλοφρονύμενος, ὥςε καὶ γράψαντι λόγον ἐγκώμιον Κάτωνος ἀντιγράφον τόν τε λόγον αὐτῦ καὶ τὸν βίον ὡς μάλιςα τῷ Περικλέυς ἐοικότα καὶ Θηραμένυς ἐπαινεῖν· ὁ μὲν ὖν Κικέρωνος λόγος Κάτων· ὁ δὲ Καίσαρος, Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται. Ex Plut. in Caesare.

Ex eo autem eum et perpetuo coluit et humanitate sua complexus est, ut quum scripsit in laudem Catonis Cicero orationem, ipse ex adverso scribens, dictionem ejus et vitam sicut maxime germanam Periclis Theramenisque extolleret.

EX LIBRIS DE ANALOGIA AD M. T. CICERONEM.

Reliquit et de Analogiâ duos libros, &c. *Ex Suet. in Caesare.*

EX LIBRO I.

[1] Quin etiam ex maximis occupationibus cum ad te ipsum, [2] inquit, [3] in me intuens, de ratione Latine loquendi [4] accuratissime scripserit, [5] primoque in libro dixerit verborum delectum originem esse eloquentiae : tribueritque, mi Brute, [6] huic nostro, [7] qui me de illo maluit [8] quam se dicere, laudem singularem (nam scripsit his verbis [9] cum hunc nomine esset affatus :) ac si cogitata praeclare eloqui possent, nonnulli studio et usu laboraverunt ([10] cujus te pene principem copiae, atque inventorem, bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus.) Hunc facilem et quotidianum noluisse sermonem, nunc pro relicto est habendum. Tum Brutus, amicè hercule, inquit, et magnificè te laudatum puto, quem non solum principem atque inventorem copiae dixerit, quæ erat magna laus, sed etiam benè meritum de populi Rom. nomine et dignitate. *Ex Cic. in Bruto.*

C. Cæsar ille perpetuus dictator, Cn. Pompeii socer, à quo familia et appellatio Cæsarem deinceps propagata est, vir ingenii præcellentis, sermonis præter alios suæ ætatis castissimi, in libris quos ad M. Ciceronem de Analogiâ scripsit, *arenas* vitiosè dici existimabat, quod *arena* nunquam multitudinis numero appellanda sit, sicuti neque *coelum*, neque *triticum*. Contra autem *quadrigas*, etiamsi currus unus equorum quatuor junctorum unum sit, plurativo semper numero dicendas putat, sicut *arma*, et *moenia*, et *comitia*, et *inimicitias*, &c. *Paulo post*, Tunc prolato libro de Analogiâ prima verba hæc ex eo pauca memoriæ mandavi : nam quod prædixisset, neque *coelum*, *triticumve*, neque *arenam* multitudine significationem pati : Num tu, inquit, harum rerum natura accidere arbitraris, quod *unam terram*, et *plures terras*, et *urbem*, et *urbes*, et *imperium*, et *imperia* dicamus? Neque *quadrigas* in unam nominis figuram redigere, neque *arenam* in multitudinis appellationem convertere possimus? *Ex A. Gell. lib.* XIX. *cap.* 8.

Atque id quod a Caesare excellentis ingenii ac prudentiae (*ita A. Gellius*, *Macrobius* providentiae) viro in primo de Analogia libro scriptum est, habe semper in memoriâ atque in pectore, ut tanquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens verbum. *Ex A. Gell. lib.* I. *cap.* 10. *et Macrob. lib.* I. *Saturn. cap.* 5.

NOTAE.

1 *Quin etiam ex maximis occupationibus*, &c.] In transitu Alpium, cum ex citeriore Gallia conventibus peractis, ad exercitum rediit in Galliam ulteriorem, scripsit libros de Analogia ad Ciceronem, et testatur Suet. in Caesare, cap. 56.

2 *Inquit.*] Atticus.

3 *In me.*] Ciceronem.

4 *Accuratissime scripserit.*] In libris de Analogia duobus quos ad te scripsit.

5 *Primoque in libro.*] Analogiae.

6 *Hunc nostro.*] Delectui.

7 *Qui me de illo maluit.*] Me Atticum de illo Caesare.

8 *Quam se.*] Caesarem.

9 *Cum hunc nomine esset affatus.*] Ciceronem.

10 *Cujus te pene principem.*] Ciceronem.

EX LIBRO II.

C. Caesar in libro de Analogiâ secundo, [1] *hujus die*, et *hujus specie* dicendum putat. *Ex A. Gel. lib.* IX. *cap.* 14.

Panium Cæsar de Analogia libro secundo dici debere ait, sed Verrius contra. Nam *i* detracta *panum* ait dici debere. *Ex Charis. lib.* 1.

Caesar de Analogiâ secundo, *fagos*, *populos*, *ulmos*. *Ex Charis. lib.* 1.

Caesar de Analogiâ secundo, *turbonem* non *turbinem* etiam in tempestate dici debere ait, ut *Cato*, *Catonis*, non ut *homo*, *hominis*. *Ex Charis. lib.* 1.

Lacer an *Laceris*, &c. Caesar de Analogiâ secundo, [2] nec non Valgius de rebus per epistolam quaesitis. *Ex Charis. lib.* 1.

Is homo, *idem* compositum facit, nisi quia Caesar libro secundo (*de Analogiâ videlicet*) singulariter, *idem*, [3] pluraliter *iidem* dicendum affirmat. Sed consuetudo hoc non servat. *Ex Charis. lib.* 1.

EX IISDEM, NON DISTINCTO LIBRO.

C. Caesar, gravis autor linguae Latinae, in libris Analogicis omnia istiusmodi (*puta senatu*, *victu*, *aspectu*, *&c.*) sine *i* litterâ dicenda censet. *Ex A. Gell. lib.* IV. *cap.* 16.

Hic et haec Samnis, *hujus Samnitis*. Sic Caesar de Analogia. *Ex Prisc. lib.* VI.

[4] *Partum*. Caesar de Analogicis, *harum partium*. *Ex Charis. lib.* 1.

EX IISDEM, UTI VEROSIMILE EST, NON ADSCRIPTO TAMEN UBI LAUDANTUR LIBRO.

Mihi autem placet Latinam rationem sequi quousque patitur decor. [5] Neque enim jam *Calypsonem* dixerim, ut *Junonem*: quanquam secutus antiquos C. Caesar utitur hâc oratione declinandi. *Quintil. lib.* V. *cap.* 5.

M. Tullius et C. Caesar, *mordeo memordi*; *pango pepigi*; *spondeo spepondi* dixerunt. *A. Gell. lib.* VII. *cap.* 9.

NOTAE.

1 *Hujus die.*] Sic Virgilius, lib. I. Georgicôn:

Libra die somnique pares ubi fecerit horas,

ut agnoscit Servius, quanquam nonnulli legant *dies*, quod A. Gellius autoritate Sallustii in Jugurtha probat, *vix decimâ parte die reliquâ*.

2 *Nec non Valgius.*] C. Valgius, ut testatur Quintilianus, lib. III. cap. 1. discipulus fuit Apollodori Pergameni Rhetoris, qui fuerat Apolloniae praeceptor Augusti Caesaris. Hujus *Apollodori præcepta*, inquit idem Quintilianus, *magis ex discipulis cognoscas*, *quorum diligentissimus in tradendo Latine fuit C. Valgius. Nam ipsius sola videtur ars edita ad Matium*, *quia cæteras missa ad Domitium epistola non agnoscit.* Quae epistola videtur hic à Charisio laudata.

3 *Pluraliter* iidem *dicendum affirmat. Sed consuetudo hoc non servat.*] Ergo Charisii tempore non servabatur, quod nunc Caesaris ad sententiam redit.

4 *Partum Cæsar de Analogicis*, *harum partium.*] Ergo ad usum Caesaris reditum est. Dicimus enim *partium* non *partum*.

5 *Neque enim jam Calypsonem dixerim*, *ut Junonem.*] Antiquitus Latini ignari Graecae linguae, si quae nomina Graeca pronuntiabant, latino more utebantur in declinando, tandem vero illius linguae majorem adepti cognitio-

C. Caesar ait, *l* litterâ nominativo singulari neutra finita nomina eandem definitionem capere, quam capiant *e* litterâ terminata: *huic animali*, et *ab hoc animali*: *huic puteali*, et *ab hoc puteali*. *Charis. lib* 1.

[1] *Aplustre.* Omnium nominum quae sunt neutri generis et in *e* terminantur, ait Plinius, Caesarem [a] scisse eosdem esse ablativos, quales sunt dativi singulares. *Charis. lib.* 1.

A R litteris nomina neutralia terminata, ait Caesar, quod dativo et ablativo pari jure funguntur, ut idem Plinius scribit. *Charis. lib.* 1.

Jubar. Plinius ait inter caetera etiam istud Caesarem dedisse praeceptum, quod neutra nomina *ar* nominativo clausa, per *i* dativum ablativumque singulares ostendant: *jubar* tamen et *far* ab hac regula dissidere. Nam *huic jubari* dicimus; *ab hoc jubare*; et *huic farri*, *ab hoc farre*. *Charis. lib.* 1.

Ac ne illa ratio recepta est, quam Caesar ponit in foemininis, ut *puppim*, *restim*, *pulvim*. Hoc enim modo et *ab hoc cani*, et *ab hoc cane*. *Charis. lib.* 1.

[2] Tribus *iii* junctis qualis posset syllaba pronuntiari? nam postremum *i* pro vocali accipiendum, quod Caesari artis Grammaticae doctissimo placitum fuisse, à Victore quoque in arte Grammatica de syllabis comprobatur. *Prisc. lib.* 1.

V, loco consonantis posita, eandem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Æoles digamma F, pro quo Caesar hanc figuram Ⅎ scribere voluit. Quod quamvis illi recte visum est, tamen consuetudo antiqua superavit. *Prisc. lib.* 1.

Haec pollis, *pollinis*. Sic Charisius. Probus autem et Caesar, *hoc pollen*, *pollinis* declinaverunt. *Prisc. lib.* VI.

Praeterea Caesar declinat, *pubis puberis*: Probus, *pubes puberis*: quidam, *puber puberis*. *Prisc. lib.* VI.

[3] Quamvis Caesar non incongruè protulit *ens* à verbo *sum*, *es*, *est*. *Prisc. lib.* XVIII.

Hoc lutum atque *macellum* singulari exire memento, licet Ennius, *ista macella*, dicatque et Caesar, *luta*. *Ex Capro.*

Lacrumae an *lacrimae*, *maxumus* an *maximus*, et si quae similia sunt, scribi debeant, quaesitum. Terentius Varro tradidit Caesarem per *i*

INTERPRETATIO.

a *Sanxisse.*

NOTAE.

nem, more Graeco declinare coeperunt, et tunc non *Calypsonem*, ut prius, sed Graecum Accusativum secuti, dicere coeperunt *Calypso*, cujus est nomen passim in Odyssea Homeri. Erat enim Nympha una de Atlantis filiabus, quae in Ogygia insula regnabat, et ibi Ulyssem per sex aut septem annos detinuit, illius conjugii cupida. Rem totam vide in Odyssea.

1 *Aplustre.*] Sunt navium ornamenta.

2 *Tribus* iii *junctis*, &c.] Quia genitivum *Pompeii* Antiqui per tria *iii* scribebant, quorum duo superiora loco consonantium accipiebant.

3 *Quamvis Cæsar non incongrue protulit* ens *à verbo* sum, es, est.] Quod vulgus Philosophorum cupide nostra tempestate arripuit;

ejusmodi verba solitum esse enuntiare et scribere: inde propter autoritatem tanti viri consuetudinem factam. Sed ego in antiquiorum, &c. *Cassiodorus ex Annaeo Cornuto de Orthographia.*

Variè etiam scriptitatum est, *mancupium*, *aucupium*, *manubiae*. Siquidem C. Caesar per *i* scripsit, ut apparet ex titulis ipsius. *Ex Velio De Orthographia.*

An ideo minor est M. Tullius orator, quod idem artis hujus (*Grammaticae*) diligentissimus fuit, et in filio, ut in Epistolis apparet, rectè loquendi usquequaque asper quoque exactor? Aut vim C. Caesaris fregerunt editi de Analogia libri? *Quintil. lib.* I. *cap.* 7.

APOPHTHEGMATA.

Sed tamen ipse Caesar habet peracre judicium: et, [1] ut Servius frater tuus, quem litteratissimum fuisse judico, facile diceret, hic versus Plauti non est, hic est, quod tritas haberet aures notandis generibus Poëtarum et consuetudine legendi: sic audio Caesarem, quum volumina jam confecerit [2] Ἀποφθεγμάτων, si quid afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, rejicere solere. Quod eo nunc magis facit, quia vivunt mecum ferè quotidie illius familiares. Incidunt autem in sermone vario multa, quæ fortasse, illis quum dixi, nec illiterata, nec insulsa esse videantur. Haec ad illum cum reliquis actis perferuntur. Ita enim ipse mandavit. [3] Sic fit ut, si quid praeterea dè me audiat, non audiendum putet. *Cic. lib.* IX. *Epist. ad Famil. Epist.* 16. *ad Pap. Paetum.*

DICTA COLLECTANEA.

Feruntur et à puero et ab adolescentulo quaedam scripta, &c. Item dicta collectanea. [4] Quos omnes libellos vetuit Augustus publicari. *Suet. in Caesare.*

EPHEMERIDES.

C. Julius Caesar quum dimicaret in Gallia, et ab hoste raptus equo ejus portaretur armatus, occurrit quidam ex hostibus qui eum nosset; et insultans ait * [5] Cecos Caesar, quod Gallorum linguâ, Dimitte, significat; et ita factum est, ut dimitteretur. Hoc autem ipse Caesar

NOTAE.

1 *Ut Servius frater tuus.*] Is est Servius Claudius, qui Metello et Afranio coss. diem obiit supremum, cujusque mortui libros Paetus frater Ciceroni tradidit.

2 Ἀποφθεγμάτων] Acute graviterve dictorum.

3 *Sic fit ut si quid praeterea de me audiat*, &c.] Praeter audita de me ex suis familiaribus.

4 *Quos omnes libellos vetuit Augustus publicari.*] Vix ac ne vix quidem matura fieri potest lucubratio nondum maturi hominis, quod si intelligere volumus, videamus quae Virgilius puer scripsisse dicitur; mirum quantum à Virgilio discrepant, ut Virgilium in ipso Virgilio requiras. Itaque nihil consultius, quam ejusmodi omnia juvenilia aeternis tenebris damnare.

5 *Cecos Cæsar.*] Aliquid hic est mendum, sed propter codicum penuriam inemendabile. Non hoc quidem in Commentariis Caesaris, quos in manibus habemus, reperitur. Verum

in Ephemeride sua dicit, ubi propriam commemorat felicitatem. *Servius in lib.* II. *Æneid. Virgil.*

* *Alias*, Cetos, Caesar. *Servius P. Danielis*, Caesar, Caesar. *Quod quid velit, docti examinent.*

LIBRI AUSPICIORUM.

Sed contrà Julius Cæsar XVI Auspiciorum libro [1] negat nundinis concionem advocari posse, id est, cum populo agi, ideoque nundinis Romanorum haberi comitia non posse. *Macrob. lib.* 1. *Saturn. cap.* 16.

AUGURALIA.

Cæsar in Auguralibus: Si sincera pecus erat. *Priscianus lib.* VI.

DE DIVINATIONE.

Genus eloquentiae duntaxat adolescens adhuc Strabonis Cæsar secutus videtur: cujus etiam ex Oratione, quæ inscribitur Pro Sardis, ad verbum nonnulla transtulit in divinationem suam. *Suetonius in Caesare. Erunt forte qui hoc ad Orationum Fragmenta pertinere existimabant, me non multum repugnante.*

ASTRONOMICA.

Nam Julius Cæsar ut siderum motus, de quibus non indoctos libros reliquit, ab Ægyptiis disciplinis hausit: ita hoc quoque ex eadem institutione mutuatus est, [2] ut ad solis cursum finiendi anni tempus extenderet. *Macrob. lib.* I. *Saturn. cap.* 26.

NOTAE.

multa in his desiderari, quae aliunde supplere non liceret, ibidem diximus.

1 *Negat nundinis concionem advocari posse.*] Feriae sunt quibus facere non licet. Nundinae an feriae essent, dubitatum est. Nonnulli nundinas inter ferias non referebant. Sed contra, illas Julius Caesar, qui plures de auspiciis libros conscripsit, ait esse ferias, quibus nempe comitia non poterant haberi. Granius Licinianus porro, ut refert Macrobius, nodum solvit difficultatis. *Ait enim nundinas Jovis ferias esse. Siquidem flaminica omnibus nundinis in regia Jovi arietem soleat immolare. Sed Lege Hortensia effectum ut fastæ essent, uti rustici, qui nundinandi caussa in urbem veniebant, lites componerent. Nefasto enim die praetori fari non licebat. Ergo qui ferias dicunt, à mendacio vindicantur patrocinio vetustatis, qui contra sentiunt, æstimatu, ætatis quæ legem secuta est, vera depromunt.*

2 *Ut ad solis cursum finiendi anni tempus extenderet.*] Cum Caesar Astrologiae peritissimus esset, annum, ut inquit Appianus, quem ad lunae prius motum metiri soliti erant Romani, ad solis cursum direxit; unde magna confusio orta fuerat. Rem totam ipsius Ammiani Marcellini verbis, quia plana sunt et aperta placet explicare, quae habentur lib. XXVI. *Spatium anni vertentis id esse, periti mundani motus et siderum definiunt veteres, inter quos Menon, et Euctemon, et Hipparchus et Archimedes excellunt cum sol perenni rerum sublimium lege polo percurso signifero, quem Zodiacum sermo Græcus appellat, trecentis, et sexaginta quinque diebus emensis et noctibus ad eundem redierit cardinem ut verbo tenus, si â secunda particula elatus arietis, ad eam dimensione redierit terminata. Sed anni inter vallum verissimum memoratis diebus*

Tres autem fuere sectæ, Chaldea, Aegyptia, Græca. His addit apud nos quartam Cæsar dictator, annos ad solis cursum redigens singulos, qui prius antecedebat. *Ex Plin. lib.* XVIII. *cap.* 25.

[1] A Bruma [2] in Favonium [3] Caesari [4] nobilia sidera significant: [5] III kal. Januarii [6] matutino [7] Canis occidens. *Paulo post:* [8] Pridie Nonas Januarii Cæsari [9] Delphinus matutino exoritur, et postero die [10] Fidicula, [11] quo Aegypto [12] Sagitta vesperi occidit. *Paulo post:* [13] A Favonio in æquinoctium vernum Cæsari significat [14] XVII kal. Martii [15] triduum varie, et [16] VIII kal. [17] Hirundinis visu, et postero die [18] Arcturi exortu vespertino. Item [19] III Nonas Martii Cæsar

NOTAE.

et horis sex adusque meridiem concluditur plenum, annique sequentis erit post horam sextam initium porrectum ad vesperam. Tertius a prima vigilia sumens exordium, ad horam noctis extenditur sextam. Quartus à media noctis usque ad claram trahitur lucem. Ne igitur hæc computatio variantibus annorum principiis, et quodam post horam sextam diei, alio post sextam excurso nocturnam, scientiam omnem squalida divisione confundat, et Autumnalis mensis inveniatur quandoque Vernalis, placuit senas illas horas, quæ quadriennio viginti colliguntur atque quatuor, in unius diei noctisque adjunctæ transire mensuram. Hæc nondum extentis fusius regnis diu ignoravere Romani, perque sæcula multa obscuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctuabat, cum in sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi, qui libenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempore vel augebant. Placuit igitur Caesari, teste Macrobio, ut quarto quoque anno sacerdotes diem unum intercalarent, idque Bissextum vocaverunt quia duobus diebus continuis dicimus Bissexto Kal. Martias, duos videlicet dies pro uno computantes. Inde anni dicti sunt Juliani, ut ait Censorinus.

1 *A Bruma.*] Proprie est dies Hiberni solstitii, qui fere est VIII. Kal. Januar.

2 *In Favonium.*] Favonius est ventus occidentalis, Euro oppositus, à favendo dictus, qui oriri existimatur XLV. à bruma die, id est VII. Februarii mensis. Itaque à bruma in Favonium, est ad VII illius mensis diem.

3 *Cæsari.*] Quia Plinius omissis tribus sectis astronomicis, de quibus modo dixit, Caesaris astronomicam rationem se sequi profitetur, utpote quae Italiae convenientior, in qua et cui scribebat.

4 *Nobilia sidera.*] Ea sunt, quorum ortus vel occasus, ortu vel occasu ignobilium efficacior novas tempestates inducit, quaeque coelo adhaerent.

5 *III kal. Januarii.*] XXX die Decembris.

6 *Matutino.*] Tempore.

7 *Canis occidens.*] Occasus est matutinus signi coelestis, quod Canis dicitur.

8 *Pridie Nonas Januarii.*] IV die illius mensis.

9 *Delphinus.*] Delphinus non longe est à Capricorno, ut ait Aratus in Astronomicis, inter sidera relatus à Neptuno ob ipsi conciliatam Amphitritem, vel à Jove observatum Arionem, ut testatur Ovidius in Fast.

Dii pia facta vident, astris Delphina recepit
Jupiter, et stellas jussit habere novem.

10 *Fidicula.*] Quae Columellae Fides, alio nomine *Cithara* dicitur, estque signum cœleste.

11 *Quo Aegypto Sagitta vesperi occidit.*] Ita enim comparatus est ortus occasusque siderum propter orbis terrarum convexitatem, ut diverso tempore diversis in locis oriri occidereque sidera videantur.

12 *Sagitta.*] Quae alibi *Sagittarius* dicitur, signum coeleste.

13 *A Favonio in æquinoctium.*] Id est à VII die Februarii, quo die flare solet Favonius.

14 XVII *kal. Martii.*] Quod fit anno Bissextili, quia etsi bis dicatur sexto kal. Mart. tamen pro uno eodemque die habetur, ita ut nihil referat, qui natus est Bissexto kal. Mart. an posteriore die natus sit, cum illud biduum pro uno tantum die habeatur.

15 *Triduum varie.*] Quia varias est numerus hujus mensis dierum.

16 VIII *kal.*] Martii scilicet, XXII Februarii.

17 *Hirundinis visu.*] Existimant enim ver hujus avis adventu signari.

18 *Arcturi.*] Arcturus stella in cauda Ursae posita, Graeco nomine dicta ἀπὸ τῆς ἄρκτου οὐρᾶς, cujus ortus et occasus gravissimas tempestates excitat.

19 III *Nonas Martii.*] V die Martii.

[1] Cancri exortu id fieri observavit. *Paulo post:* [2] Cæsar et Idus Martias ferales sibi annotavit, [3] Scorpionis occasu. *Paulo post:* [4] III Nonas Aprilis in Attica [5] Vergiliæ vesperi occultantur. [6] Eædem postridie in Bœotia; Caesari autem et Chaldæis, Nonis. *Paulo post:* [7] Cæsari VI Idus significatur imber [8] Libræ occasu. [9] XIV kal. Maii Aegypto, [10] Suculæ occidunt vesperi, sidus vehemens, et terra marique turbidum, [11] XVI Atticæ, [12] XV Cæsari, continuoque triduo significat. *Paulo post:* [13] VI Nonas Maii Caesari Suculæ matutino exoriuntur, et [14] VIII Idus [15] Capella pluvialis. *Ex Plin. lib.* XVIII. *cap.* 26.

A Vergiliarum exortu significant Cæsari postridie Arcturi occasus matutini. *Paulo post:* [16] XI kal. Caesari Orionis gladius occidere incipit. [17] III Nonas Junii Cæsari, et [18] Assyriæ [19] Aquila vesperi oritur, &c. [20] XI kal. ejusdem Orionis gladius Cæsari occidere incipit. *Ex Plin. lib.* XVIII. *cap.* 27.

A Solstitio ad Fidiculae occasum [21] VI kal. Junii (*alias* Julii Caesari Orion exoritur. *Paulo post:* [22] XVIII kal. Augusti, Aegypto Aquila

NOTAE.

1 *Cancri exortu.*] Cancer item signum coeleste.

2 *Caesar et Idus Martias ferales sibi annotavit.*] Quia in illis est interfectus.

3 *Scorpionis occasu.*] Qui et signum coeleste.

4 III *Nonas Aprilis.*] Qui tertius est dies mensis.

5 *Vergiliæ.*] Ideo dictae, quia earum exortus Veris habet significationem. Graece Pleiades, quod primae navigationis tempus ostendant.

6 *Eædem postridie in Bœotia.*] Quae regio Graeciae est septentrionalis Atticae regioni. Ejus caput Thebae.

7 *Cæsare* VI *Idus.*] Nempe Aprilis. Id est, VIII die illius mensis.

8 *Libræ.*] Signum coeleste, ad quod cum sol pervenit, autumnale est aequinoctium.

9 XIV *kal. Maii.*] Nempe XIX illius mensis.

10 *Suculæ.*] Graece Hyades, *ἀπὸ τῦ ὕειν, pluere*, quod pluvias excitent. *Nostri imperite Suculas, quasi à suibus essent, non ab imbribus nominatæ*, inquit Cicero lib. de Nat. Deorum.

11 XVI *Atticæ.*] Oriuntur illi regioni, cujus caput Athenae, XVII Maii.

12 XV.] XVIII Maii.

13 VI *Nonas Maii.*] XI ejus mensis die.

14 VIII *Idus.*] Nempe VIII die ejus mensis.

15 *Capella.*] Sidus coeleste.

16 XI *kal. Cæsari Orionis gladius.*] Nempe Julii qui XXI dies est Junii. Orion Neptuni filius cum Dianae vim inferre vellet, immisso ab ea Scorpio occisus est, cujus postea misericordia et ipse et Scorpius inter sidera relata fuerunt. Orionis sidus ventos, pluvias et tonitrua excitat. Unde grave sidus vocatur, et ita formatum est, ut stricto gladio in Taurum insurgat, propinquasque Pleiadas insequatur.

17 III *Nonas Junii.*] III Junii die.

18 *Assyriæ.*] Quam Adiabenen appellat Plinius, cujus hic potissimum fit mentio, quia ejus incolae in astronomicis clari exstiterunt; de quibus ita Cicero lib. de Divinat. VII. *Propter planitiem, magnitudinemque regionum quas incolebant, quum coelum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur, trajectiones motusque stellarum observaverunt. Quibus notatis, quid cuique significaretur memoriae prodiderunt.* Chaldaei sunt isti qui unam de tribus sectis astronomicis efficiunt, à quibus ait Plinius Babyloniam et Assyriam demonstratum iri.

19 *Aquila vesperi oritur.*] Inter sidera relatus est, qui dicitur in coelum pervenisse, quod Jovem parvulum in antro delitescentem necare paverit, ut Maro in versibus testatur.

20 XI *kal. ejusdem.*] Julii, qui XXI Junii.

21 VI *kal. Junii.*] Qui dies Maii est vigesimus septimus.

22 XVIII *kal. Augusti.*] Error videtur in numeris, cum in illum diem incidunt Idus. Repono igitur XVII.

occidit matutino, [a] [1] Etesiarumque prodromi flatus incipiunt, quod Cæsar [2] x kal. sentire Italiam existimavit. *Pridie postea* Aquila Atticae matutino occidit: III kal. [b] regia [3] in pectore Leonis stella matutino Caesari immergitur. *Ex Plin. lib.* XVIII. *cap* 28.

DE SIDERIBUS.

Etiam aliquid Poëticum edidit.

Sed nec aliquis pene Latinorum de hac arte Institutionis libros scripsit, nisi paucos versus Julius Cæsar, et ipsos tamen de alieno opere mutuatus. *Jul. Firmicus Mathes. lib.* II. *initio.*

Executus est etiam horum Siderum munerum Græce [4] Aratus, Poëta disertissimus: [5] Latine verò Cæsar, [6] et decus eloquentiæ Tullius. Sed hi tantum nomina ipsorum et ortus, non autem apotelesmatum autoritatem ediderunt: ita ut mihi videantur non aliqua Astrologiæ scientia, sed Poëticâ potius elati licentiâ, docilis sermonis studia protulisse. *Jul. Firmicus Mathes. lib.* VIII. *cap.* 5.

POEMATA.

Reliquit et de Analogia libros duos, et Anticatones totidem, ac praeterea Poëma quod inscribitur iter. Quorum librorum primos, in transitu Alpium, quum ex citeriore Gallia, conventibus peractis, ad exercitum rediret: sequentes, sub tempus Mundensis prælii fecit: novissimum, dum ab Urbe in Hispaniam ulteriorem * IV et XX die pervenit. *Suet. in Caesare.*

* VII et XX *legit ex Strabone et Appiano Casaubonus.*

Feruntur et à puero et ab adolescentulo quaedam scripta: ut laudes Herculis, tragoedia Oedipus, &c. quos omnes libellos vetuit Augustus publicari. *Suetonius in Caesare.*

INTERPRETATIO.

a *Qui solent præcurrere anniversarios ventos.* b *Præcipua.*

NOTAE.

1 *Etesiarumque prodromi flatus incipiunt.*] De Etesiis supra dictum in fine lib. III. de bello civili, cap. 107.

2 x *kal.*] Qui dies est Julii XXX.

3 *In pectore Leonis.*] Leo signum coeleste, qui Nemeae creditus est, et ab Hercule ibidem domitus.

4 *Aratus, Poeta disertissimus.*] Solis in Cilicia natus, cujus Phaenomena habemus, de quo Ovidius:

Cum sole et luna semper Aratus erit.

5 *Latine verò Cæsar.*] Noster non hic quidem, sed nec Germanicus, qui ab Augusto adoptandus Tiberio datus est, ut plerique existimant. titulo decepti, sed Domitianus Imperator, qui et Germanicus dictus, ut in primo poëmate videre est apud Statium, cujus est initium:

Quæ super imposito moles geminata colosso, &c. Ubi sic Domitianus compellatur.

Ante Peladiæ talem Germanice nobis.

Effinxere manus, &c.

qui et eo nomine dicitur apud Quintilian. lib. x. cap. 1. *Hoc nominavimus quia Germanicum Augustum ab institutis studiis deflexit cura terrarum parumque Diis visum est esse eum maximum Poëtarum.*

6 *Et decus eloquentiæ Tullius.*] Habemus apud Ciceronem haec Aratea carmina, seu potius Fragmenta.

Olus quoque silvestre est trium foliorum, D. Julii Carminibus praecipue jocisque militaribus celebratum. Alternis quippe versibus exprobavere [1] lapsana se vixisse apud Dyrrhachium, [2] praemiorum parsimoniam cavillantes. Est autem id cyma silvestris. *Plin. lib.* XIX. *cap.* 8.

Donatus, seu potius Suetonius, in vita Terentii, hos sub C. JULII CAESARIS nomine versus producit.

Tu quoque tu in summis, ô [3] dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis
Comica, ut aequato virtus polleret honore.
Cum Graecis neque in hâc despectus parte jaceres,
Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

Sequens etiam Epigramma C. JULIO CAESARI quidam inscribunt, alii [4] Germanico.

Thrax puer astricto glacie dum ludit in Hebro,
Pondere concretas frigore rupit aquas.
Dumque imae partes rapido traherentur ab amne.
Abscidit tenerum lubrica testa caput.
Orba quod inventum mater dum conderet urna,
Hoc peperi flammis, caetera, dixit, aquis.

INCERTA.

Unguenta dicuntur à locis, ut Telinum, cujus Julius Cæsar meminit, dicens: Corpusque suavi Telino unguimur, Hoc conficiebatur in insula Telo, quæ est una ex Cycladibus, &c. *Isidorus lib.* IV. *Origin, cap.* 12.

Apud Caesarem et Catulum et Calvum lectum est: Quum jam fulva cinis fueris. *Nonius in voce* Cinis.

[5] Salve primus omnium parens Patriae appellate, [6] primus in toga triumphum linguaeque lauream merite, et facundiæ, Latinarumque

NOTAE.

1 *Lapsana se vixisse apud Dyrrhachium.*] Vide 47. caput lib. III. de bello civili.

2 *Præmiorum parsimoniam cavillantes.*] Magnitudine scilicet praeteritorum laborum, praesentium praemiorum parvitati comparata.

3 *Dimidiate Menander.*] Ideo dimidiatus dicitur, quia mediam tantum partem dotum Menandri habet, nempe lenitatem, non vim qua caret. Est enim, teste Quintiliano, Menander, *omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus.*

4 *Germanico.*] Non illi qui à Tiberio Augusti jussu fuit adoptatus, sed Imperatori Domitiano, de quo supra diximus.

5 *Salve primus omnium parens Patriae appellate.*] Plinius hoc loco Ciceronem compellat hoc nomine. Testatur idem Plutarchus et datum hoc illi fuisse nomen *patris Patriæ*, cum Cato ita eum in concione nominasset.

6 *Primus in toga triumphum linguæque lauream merite.*] Meritum dicit, obtinuisse non dicit. Nec enim de civibus triumphabatur, cujusmodi meritum satis declaratum, cum per forum domum reversus à supplicio Lentuli-

litterarum parens: Atque (ut dictator Caesar hostis quondam tuus de te scripsit) omnium triumphorum lauream adepte majorem, quanto plus est ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam Imperii. *Plin. lib.* VII. *cap.* 30. *in fine*, *ubi de Cic.*

Cicero causarum XIII: Re venditâ iterum emptâ. Unde manifestum fit *venita* non dici, sed aut *venundata*, aut *vendita*, ut Cicero. C. Caesar: Possessiones redimi, eas postea pluris venditas. *Diomedes*, *lib.* I.

Esseda, vehiculi vel currûs genus, quo soliti sunt pugnare Galli. Caesar testis est libro ad Ciceronem III. Multa millia equitum atque essedariorum habet. Hinc et gladiatores essedarii dicuntur, qui curru certant. *Junius Philargyrus in* 3. *Georgic. Virgil.*

Augustus quoque in Epistolis ad C. Caesarem scriptis emendat, quod is *calidum* dicere quam *caldum* (*in libris forte de Analogia*) malit: non quia illud non sit Latinum, sed quia sit odiosum, et, ut ipse Graeco verbo significavit, περίεργον. *Quintil. lib.* 1.

C. JULII CAESARIS DICTA.

Tu, quaeso, quidquid novi (multa autem exspecto) scribere ne pigrere. [1] In his, de Sexto satisne certum: maxime autem [2] de Bruto nostro: [3] de quo quidem ille, ad quem diverti, Caesarem solitum dicere: [4] Magni refert, hic quid velit: sed quidquid vult, valde vult. (V. C. quidquid volet, valde volet) idque eum animadvertisse [5] quum pro Dejotaro Nicae dixerit, valde vehementer eum visum et libere dicere. *Cicero*, *lib.* XIV. *Ep. ad Atticum*, *Epist.* 1.

[6] Proxime [7] quum Sextii rogatu apud eum fuissem, exspectaremque sedens, [8] quoad vocarer, [9] dixisse eum: Ego dubitem, quin summo in odio sim, quum M. Cicero sedeat, nec suo commodo me convenire

NOTAE.

et Cethegi Catilinae sociorum, triumphales viri homine praesenti clare testarentur sibi pop. R. acceptam referre debere potentiam et pecunias, Ciceroni vero securitatem et salutem. Reverso tamen è Cilicia, ubi rem bene gesserat contra Cilices, cum senatus triumphum decrevit, ait se Caesaris ad bellum civile ruentis, concordia facta, malle sequi currum. Laurea hic pro triumpho accipitur, quia lauream tenere solebat qui triumphabat. Hic porro notanda Graeca phrasis, *omnium triumphorum lauream adepte majorem*, pro *omnibus triumphis*: apud Graecos enim comparativum nomen regit Genitivum casum

1 *In his, de Sexto.*] Pompeii Magni minore superstite filio, qui bellum in Sicilia parabat.

2 *De Bruto nostro.*] Caesaris interfectore.

3 *De quo quidem ille.*] Matius Caesarianus.

4 *Magni refert, hic quid velit.*] Non enim parva mente consilia agitabat hic Brutus.

5 *Quum pro Dejotaro Niceæ dixerit.*] De quo sic Cicero in Bruto: *Erat à me mentio facta causam Dejotari fidelissimi atque optimi regis ornatissime et copiosissime à Bruto me audisse esse defensam.*

6 *Proxime.*] Ante Caesaris necem.

7 *Quum Sexti rogatu.*] Is est pro quo extat oratio ejusdem Ciceronis.

8 *Quoad vocarer.*] Admissus ad ipsum Caesarem.

9 *Dixisse eum.*] Caesarem Matius ille aiebat.

possit? Atqui, [1] si quisquam est facilis, [2] hic est. Tamen non dubito, quin me male oderit. *Cicero*, *lib.* XIV. *Epist. ad Attic. Epist.* 1.

Aiebat, Caesarem secum, quo tempore Sextii rogatu veni ad eum, quum exspectarem sedens, dixisse. [3] Ego nunc tam sim stultus, [4] ut hunc ipsum facilem hominem, putem mihi esse amicum, quum tamdiu sedens meum commodum expectet? *Cic. lib.* XIV. *Epist. ad Attic. Epist*: 2. *Idem cum eo quod supra ex Epistola* 1. *attulimus.*

[5] Quo gaudio elatus, non temperavit quin paucos post dies frequenti curia jactaret, invitis et gementibus adversariis adeptum se quae concupisset: proinde ex eo insultaturum omnium capitibus: [6] ac, negante quodam per contumeliam, [7] Facile hoc ulli foeminae fore, responderit, quasi alludens: In Assyria quoque regnâsse Semiramin; magnamque Asiae partem Amazonas tentuisse quondam. *Suet. in Caesare.*

Pharsalica acie caesos profligatosque adversarios prospicientem, haec eum ad verbum dixisse refert Asinius Pollio: [8] Hoc voluerunt. [9] Tantis rebus gestis C. Caesar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petiissem. *Suet. in Caesare.*

Consecutusque cohortes [10] ad Rubiconem flumen, qui provinciae ejus finis erat paululum constitit, ac reputans quantum moliretur, conversus ad proximos. Et etiam nunc, inquit, regredi possumus. Quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt. *Suet. in Caesare.*

Cunctanti ostentum tale factum est. [11] Quidam eximia magnitudine et forma, &c. Tunc Caesar, Eatur, inquit, quo Deorum ostenta, et inimicorum iniquitas vocat. Jacta alea est, inquit. *Suet. in Caesare.*

Romam iter convertit: appellatisque de republ. Patribus, validissimas Pompeii copias, quae sub tribus legatis, M. Petreio, et L. Afranio, et M. Varrone in Hispania erant, invasit: professus ante inter suos, Ire se ad exercitum sine duce, et inde reversurum ad ducem sine exercitu. *Suet. in Caesare.*

Prolapsus in egressu navis, verso ad melius omine, Teneo te, inquit, Africa. *Suet. in Caesare.*

NOTAE.

1 *Si quisquam est facilis.*] In ferendis incommodis ab hominibus acceptis.

2 *Hic est.*] Cicero.

3 *Ego nunc tam sim stultus.*] Caesar.

4 *Ut hunc ipsum facilem hominem.*] Ciceronem, ut supra dictum est.

5 *Quo gaudio elatus.*] Decretae sibi provinciae Galliae.

6 *Ac, negante quodam per contumeliam.*] Illud facere se posse.

7 *Facile hoc ulli foeminæ fore.*] Tam facile esse ut foemina id facere posset, si in suo loco esset constituta, nedum vir natus.

8 *Hoc voluerunt.*] Sibi.

9 *Tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem.*] Nempe ob multas res contra leges gestas.

10 *Ad Rubiconem flumen.*] De quo sic Lucanus:

——— *qui Gallica certus*
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.

12 *Quidem eximia magnitudine et forma.*] Nolim dejerare illum hominem à Caesare non fuisse subornatum, qui hoc bellum à se susceptum non sine Deorum nutu credi volebat.

[1] Quum exspectatio adventus Jubae terribilis esset, convocatis ad concionem militibus, Scitote, inquit, paucissimis his diebus regem affuturum cum x legionibus, equitum xxx, levis armaturae c millibus, elephantis ccc. Proinde desinant quidam quaerere ultra, aut opinari; mihique qui compertum habeo, credant: Aut quidem vetustissima nave impositos quocunque vento in quascunque terras jubebo avehi. *Suetonius in Caesare.*

Jactare solitus, Milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse: Nec Milites eos pro concione, sed blandiori nomine commilitones appellabat (*etiam* Quirites.) *Suet. in Caesare.*

[2] Famem et caeteras necessitates, &c. tantopere tolerabant, ut Dyrrhachina munitione Pompeius viso genere panis ex herba, quo sustinebantur, cum feris sibi rem esse dixerat, &c. *Suet. in Caesare.*

Quosdam infimi generis ad amplissimos honores provexit. Quum ob id culparetur, professus est palam, Si grassatorum et sicariorum ope in tuenda sua dignitate usus esset, talibus quoque se parem gratiam relaturum. *Suet. in Caesare.*

Interrogatus cur repudiasset uxorem, Quoniam, inquit, meos tam suspicione, quam crimine judico carere oportere. *Suet. in Caesare.*

Acie Pharsalica proclamavit, Ut civibus parceretur. *Suetonius in Caesare.*

Nec minoris impotentiae voces propalam edebat, [3] ut T. Ampius scribit: Nihil esse rempublicam. Appellationem modo, sine corpore ac specie. Syllam nescisse litteras, qui dictaturum deposuerit. Debere homines consideratius jam loqui secum, ac pro legibus habere quae dicat. *Suet. in Caesare.*

Eoque arrogantiae progressus est, ut, haruspice tristia, et sine corde exta sacro quodam nuntiante. Futura diceret laetiora quum vellet: Nec pro ostento ducendum si pecudi cor defuisset. *Suet. in Caesare.*

Triumphanti et subsellia tribunitia praetervehenti sibi [4] unum è collegio Pontium Aquilam non assurrexisse, adeo indignatus, ut proclamaverit: Repete ergo à me, Aquila, rempublicam tribunus. Nec destiterit per continuos dies quidquam cuiquam, nisi sub exceptione, polliceri, Si tamen per Pontium Aquilam licuerit. *Suet. in Caesare.*

Plebei regem se salutanti, Caesarem se non regem esse respondit. *Suet. in Caesare.*

De quo genere optime C. Caesarem praetextatum adhuc accepimus dixisse, Si cantas, male cantas; si legis, cantas. *Quintil. lib.* 1.

NOTAE.

1 *Quum exspectatio adventus Jubæ terribilis esset.*] Vide lib. de bello Africano, cap. 48.

2 *Famem et cæteras necessitates, &c. tantopere tolerabant, &c.*] Vide item lib. 1. de bello civili, caput 47.

3 *Ut T. Ampius scribit.*] Is est ad quem Cicero scribit, lib. VI. Epist. ad Famil. quem Caesariani, ut ibidem ait, appellabant tubam belli civilis, cui reditum à Caesare concessum gratulatur.

4 *Unum è collegio.*] Tribunorum.

Elevandi ratio est duplex, ut aut veniam quis, aut jactantiam minuat: Quemadmodum C. Caesar Pomponio ostendenti vulnus ore exceptum [1] in seditione Sulpitiana, quod ipse se passum pro Caesare pugnantem gloriabatur, Nunquam fugiens respexeris, inquit. Aut crimen objectum, ut Cicero, &c. *Quintil. lib.* VI.

Est et illa ex ironiâ fictio, qua usus est C. Cæsar. Nam cum testis diceret, à reo faemina sua ferro petita, ut esset facilis reprehensio, cur illam potissimùm partem corporis vulnerare voluisset: Quid enim faceres, inquit, quum tu galeam et loricam haberes? *Quintil. lib.* VI.

Sic fac existimes, post has miserias, id est, postquam armis disceparti coeptum est de jure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam et ipse Caesar, accusata acerbitate Marcelli (sic enim appellabat) laudataque honorificentissimè et aequitate tua, et prudentia, repente praeter spem dixit, se senatui roganti de Marcello, * hominis quidem caussa negaturum. (* *Sic Victorius edidit, eumque secutus Lambinus cui tamen* ominis *legendum videtur. Ipsum vide.*) *Cic. lib.* IV. *Epist. ad Famil. Epist.* 4. *ad Ser. Sulpicium.*

Demetrio Megæ Siculo Dolabella rogatu meo civitatem à Caesare impetravit: qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur. Quumque propter quosdam sordidos, qui Cæsaris beneficia vendebant, tabulam, in qua nomina civitate donatorum incisa essent, revelli jussisset, eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, Nihil esse, quod de Mega vereretur; [2] beneficium suum in eo manere. *Cic. lib.* XIII. *ad Famil. Epist.* 36. *ad Acilium.*

DE C. JULIO CAESARE.

Sed tamen, Brute, inquit Atticus, de Cæsare et ipse ita judico, et de hoc hujus generis acerrimo æstimatore sæpissime audio, illum ferè omnium Oratorum Latine loqui elegantissimè, nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Læliorum et Domitiorum familiis audiebamus, sed, quamquam id quoque credo fuisse, tamen ut esset perfecta illa benè loquendi laus, multis litteris, et iis quidem reconditis et exquisitis, est consecutus, &c. *Ex Cic. in Bruto.*

Sed perge, Pomponi, de Caesare, et redde quæ restant. Solum quidem, inquit ille, et quasi fundamentum Oratoris, &c. Cæsar autem rationem adhibens, consuetudinem vitiosam et corruptam, pura et incorrupta consuetudine emendat. Itaque quum hanc elegantiam

NOTAE.

1 *In seditione Sulpitiana.*] Quae fuerat illa seditio nescio. Video à Sulpitio interrege unicum consulem esse creatum Pompeium. Quod cum adversus Caesarem fieret, potuit fieri seditio, et ejus nomine appellari. Video etiam per Sulpitium alterum consulem Marcello, quantum potuit, restitisse Caesarem. Quod etiam forte sine seditione fieri non potuit.

2 *Beneficium suum in eo manere.*] Id est, nolle mutare aut revocare beneficium quod dederat.

verborum Latinorum, quae etiamsi Orator non sis, et sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est, adjungit illi oratoria ornamenta dicendi: tum videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc quum habeat praecipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere: splendidam quamdam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, formâ etiam magnifica, et generosa quodammodo. Tum Brutus Orationes quidem ejus, &c. Atque etiam Commentarios quosdam scripsit rerum suarum, valde quidem, inquam, probandos: nudi enim sunt, recti, et venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta. Sed dum voluit alios habere parata unde sumerent, qui vellent scribere historiam; ineptis gratum fortasse fecit qui volunt illa calamistris inurere; sanos quidem homines à scribendo deterruit, &c. *Ex Cic. in Bruto.*

Quid Oratorum? Quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior? *Ex Cicer. ad Cornelium Nepot. apud Sueton. in Caes.*

[1] Sed bene loquendi de Catulis opinio non minor; [2] sale verò (mero) conditus, et facetiis Caesar. *Ex Cic. lib.* I. *de Offic.*

Reliquit et rerum suarum Commentarios, Gallici, Civilisque belli Pompeiani. Nam Alexandrini, Africique et Hispaniensis incertus autor est. Alii enim Oppium putant, alii Hirtium: quin etiam Gallici belli novissimum, imperfectumquè librum suppleverit. *Paulo post:* Pollio Asinius parum diligenter, parumque integrâ veritate compositos putat; quum Caesar pleraque et quae per alios erant gesta, temere crediderit: et quae per se, vel consultò, vel etiam memoria lapsus perperam ediderit: existimatque rescripturum, et correcturum fuisse. *Ex Suet. in Caesare.*

C. vero Caesar si tantum foro vacâsset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur; tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat: exornat tamen haec omnia mira sermonis, cujus propriè studiosus fuit, elegantia. *Ex Quintil. lib.* x.

Quid tantum noceret vim Caesaris, [3] Asperitatem Coelii, diligentiam Pollionis, judicium Calvi, quibusdam in locis assumere? *Ex Quintil. lib.* x.

NOTAE.

1 *Sed bene loquendi de Catulis opinio non minor.*] Duo erant Catuli, pater et filius. Sed hic de patre potissimum dicitur. Filius enim, quamquam bene loqueretur, Orator non fuit habitus.

2 *Sale vero (mero) conditus, et facetiis Cæsar.*] Ille Caesar non noster est, sed alius ab illo, Caius itidem, ut noster, et Lucii filius, de quo Cicero in Bruto dicit Oratorem non fuisse vehementem, et esse ejus aliquot orationes ex quibus sicut ex tragoediis lenitas ejus sine nervis perspici potest. Vis autem ex sequentibus ex Quintiliano petitis maxime nostro tribuitur Caesari.

3 *Asperitatem Coelii, diligentiam Pollionis, judicium Calvi,* &c.] Haec sunt Oratorum nomina, quorum orationem nihil ad nostram aetatem pervenit, de quibus supra suo loco diximus. Vide de his Ciceronem in Bruto.

Hinc vim Caesaris, indolem Coelii, subtilitatem Calidii, gravitatem Bruti, acumen Sulpitii, acerbitatem Cassii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messallae, sanctitatem Calvi reperiemus. *Ex Quintil. lib.* XII.

At tristior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Coelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero. *Ex Autore Dialogi de Orator.*

Λέγεται δὲ καὶ φῦναι πρὸς λόγους πολιτικοὺς ὁ Καῖσαρ ἄριστα, καὶ διαπονῆσαι φιλοτιμότατα τὴν φύσιν, ὡς τὰ δευτερεῖα μὲν ἀδηρίτως ἔχειν, &c. Ex Plut. in Caesare.

Dicitur autem et ad urbanam facundiam à natura maxime fuisse comparatus, ingeniumque suum sedulo exercuisse, secundas ut citra controversiam ferret.

Ἐν δὲ Ῥώμῃ πολλὴ μὲν ἐπὶ τῷ λόγῳ περὶ τὰς συνηγορίας αὐτοῦ χάρις ἐξέλαμπεν. Ex Plut. in Caesare.

Romae vero multa ejus orationis in defensionibus effulsit venustas.

[1] Ac mihi ex Graecis orationes [2] Lysiae ostentat; ex nostris [3] Gracchorum, [4] Catonisque: quorum sane plurimae sunt circumcisae et breves. Ego Lysiae, [5] Demosthenem, [6] Aeschinem, [7] Hyperidem, multosque praeterea; Gracchis, et Catoni Pollionem, Caesarem, Coelium, imprimis M. Tullium oppono, cujus oratio optima fertur esse, quae maxima. *Ex Plin. lib.* I. *Epist.*

Sed ego verear ne me non satis deceat, quod decuit M. Tullium, C. Calvum, Asinium Pollionem, M. Messallam, &c. Divum Julium, Divum Augustum, Divum Nervam, Tib. Caesarem, &c. *Ex Plin. lib.* V. *Epist.*

NOTAE.

1 *Ac mihi ex Graecis,* &c.] Comparat Oratores quorum brevis est dictio, longioribus in dicendo.

2 *Lysiae.*] Lysias Atheniensis quidem, sed Syracusanus genere, unus de X Graecis Oratoribus. De quo Ciceronis vide judicium in Bruto.

3 *Gracchorum.*] Gracchi ambo, qui fratres erant, inter Oratores habiti. Eorum vitam vide apud Plutarchum.

4 *Catonisque.*] Cato etiam inter Oratores, Uticensis nempe, cujus et vitam apud eundem Plutarchum lege.

5 *Demosthenem.*] Demosthenes Atheniensis Graecorum Oratorum princeps, cujus item vita apud eundem Plutarchum legitur.

6 *Aeschinem.*] Demosthenis aemulus Aeschines fuit, cujus adhuc habentur aliquot orationes.

7 *Hyperidem.*] Hyperides unus etiam ex Graecis Oratoribus Athenis, qui Aemulus aliquando fuit Demosthenis ab ipso scilicet peculatus accusatus, sed tandem amissa Republica ab Antipatro Macedone excisa lingua necatus est.

INDEX

VOCABULORUM OMNIUM

QUÆ IN

CÆSARE

LEGUNTUR.

Prior numerus Paginam, alter verò, vel alii ad proximam usque Lineolam, Paginæ Lineam vel Lineas significant.

MONITIO ad LECTOREM.

Cum hæc Editio, etsi in Octavo, eodem tamen Paginarum numero cum Parisiensi in Quarto constet ; et Paginæ in utrâque Editione eundem plerumque Linearum numerum contineant, Linearum in hoc Indice Figuras sicubi differant, mutare supervacaneum duximus : Sat fore rati Lectorem monuisse, quòd si vox aliqua, in Indice contenta, non occurrat in Lineâ eodem notatâ, eam in præcedente vel subsequente reperire in promptu erit.

A

D

H.

J.

M

N.

V

FINIS.

EXCUDEBAT C. STEWART,
ACAD. EDIN. TYPOGRAPHUS.


GALLIAE NARBONENSIS PARS
Mare Liguſticum
MARE GALLICUM
MARE SARDOUM
GALLIA TOGATA
REGIO OCTAVA
REGIO NONA
CORSICA
SARDINIA
Taphros Fret.
Stoechades I.
Maſsilienses
Salyes
Forum Julium
Segusii
Caturiges
Rhæti
Aleria
Syracusanus Port
Granianum Pr.
Philoni Portus
Marianum Pr.
Ilvanus Pr.
Hermæa
Cedrius Fl.
Susalei Villa
Accipitrum Ins.
Herculis Ins.
Tarras
Tibula
Valentium
Bosa
Cornus
Neapolis
Thyrsi Fl.
Pisæ
Luca
Populonia
Genua
Crema
Cremona
29
30
31
32
33
34
37
38
39
40
41
42
43
44


ITALIÆ ANTIQUÆ
Delineatio Auctore
PHILIPPO CLUVERIO
ILLYRIS
MARE
IONIUM
MARE
AUSONIUM
MARE GALLICUM
Mare Ligusticum
CORSICA
MARE
SARDOUM
SICILIAE PARS
GALLIAE NARBONENSIS PARS


BRITANNIAE
PARS
Londinum
OCEANUS BRITANNICUS
Caletes
Ambibara
Lexobij
Ambibates
Sesuuij
CELTAE
Osismi
AMORICUM
Curiosolites
MARITIMAE
Aulerci qui Cenomani
Lemovices
Aulerci qui Diablintres
CIVITATES
Turones
Rhedones
Veneti
Andes
Cadetes
Ligeris Flu.
Ligeris Fl
Nannetes
Pictones
Santones
Lemovicum
OCEANUS
AQUITANICUS
Petrocorij
Garumni
Cocosates
Vocates
Garites
Tarbelli
Preciani
Toto
Cantabri
Tarusatum Oppidum
Bigerriones
Elusates
Sibutzate
Pyrenaei Montes
HISPANIAE
PARS
16
18
20
22
47
45
43


GALLIA VETUS
BRITANNIAE PARS
MARIS GERMANICI PARS
OCEANUS BRITANNICUS
GERMANIAE MAGNAE PARS
OCEANUS AQUITANICUS
HISPANIAE PARS
MEDITERRANEI MARIS PARS
GALLIAE CITERIORIS (QUÆ ET ITALIAE) PARS
PROVINCIA ROMANORUM
BELGÆ
CELTAE
GALLI
AQUITANI
ARDUENNA SILVA
Londinium
Cantium
Tamesis Flu.
Rhenus Fl.
Batavorum Ins.
Sicambri
Menapii
Morini
Atrebates
Nervii
Treviri
Eburones
Bellovaci
Caletes
Lexobii
Suessiones
Remi
Parisii
Lutetia
Meldæ
Lingones
Senones
Agendicum
Carnutes
Turones
Andes
Nannetes
Pictones
Santones
Bituriges
Lemovices
Arverni
Gergovia
Cadurci
Helvii
Rhuteni
Gabali
Volcæ
Narbona
Massilia
Arelate
Vienna
Voconti
Allobroges
Helveti
Sequani
Rauraci
Mediomatrices
Leuci
Triboces
Harudes
Veragri
Seduni
Sebusiani
Aedui sive Aedua
Mandubii
Alpes Montes
Gebenna Mons
Pyrenæi Montes
Ligeris Flu.
Sequana Flu.
Rhodanus Fl.
Varus Fl.
Cantabri
Tarbelli
Vocates
Tarusates
Tolosates
Bigerriones
Sontiates
Ausci
Garumni
Cocosates
Petrocorii
Armorica sive Maritimæ Civitates
Veneti
Osismii
Curiosolites
Rhedones
Diablintres
Unelli
Cenomani
Samarobrina
Noviodunum
Avaricum
Bibracte
Matisco
Cabilonum
Vesontio
Genava
Tigurinus Pagus
Verbigenus Pagus
Ocelum
Caturiges
Tauroïs
Albici
Brannovii



MARE AFR
Rusicade
Tabraca
Hippo Regius
Tagaste
Sicca
Veneria
NUMIDIA
Lambaesa
Madaura
JUBAE REGNUM
Thebeste
Getuli Mariani
Zama
Tusca Fl.
Tucc
Bagrada


CONSPECTUS
LOCORUM BELLI
AFRICANI
MARE AFRICANUM
SICILIA
Agates Ins.
Lilybaeum
Agrigentum
Syracusa
Gela
Pachynum Pr.
Pelorum Pr.
Messana
Aetna
Italiae Pars
Aegusa
Mercurii Prom.
Aegimurus
Clupea
Neapolis
Utica
Hippo Regius
Rusicade
Tabraca
Tagaste
Sicca Veneria
Cirta
NUMIDIA
JUBAE REGNUM
Lambaesa
Vacca Vaga
Madaura
Thebeste
Getuli Mariani
Zama
AFRICA PROVINCIA
Carthaginis ruinae
Tunes
Musti
Parada
Afsurae
Adrumetum
Aphrodisium
Ruspina
Leptis Parva
Thapsus
Tisdrus
Tegea
Susibus
Sufetula
Zella
Thaenae
Tucca Terebinthina
Cilio
Tuce
Tuburba
Byzacia
Zugar
Sasura Ptol
Capsa
Tacapa
Gitti
Syrtis Minor
Cosyra
Gaulos
Melite
Lopadusa
Sabrata
Oea
Abrotonum
Tripolitana Regio
Leptis Mag.
Tritonitis Lacus
Bagrada Fl.
Tusca Fl.
Rubricatus Fl.
Catada Fl.

